



DE INSTITVTIONE PRINCIPVM, LOCI COMMVNES, QVORUM cognitio non modò ijs, qui cum imperio sunt, uerùm quibúsuis alijs Magistratibus, & subditis in primis utilis & necessaria. Recens recogniti, atque locupletati,

Autore REINHARDO Lorichio Hadamario.

• CVM INDICE.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareo.

FRANC. Apud Chr. Ege.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, DOMINO ERICO IVniori, Duci in Brunſuueigk, & Luneburgk, &c. Domino ſuo clementiſſimo, Reinhardus Lorichius Hadamarius S. D. P.



VM IAMOLIM qualemcunq; de Christiani Principis institutione libellum Germanicè ſcriptum, æderem, non arbitrabar futuros qui propter nimis obſcurũ Autoris nomen, uel orationis illepiditatem eſſent illum aliquo fauore proſecuturi. Sed euentus opinionem uicit: Libellus enim non ſolum à fortunæ mediocris hominibus rerum publicarum magis quàm priuatæ commoditatis amatoribus, prædicatur in oculis ferri, ſed etiam ab Illuſtrißimo, cui dicatus erat, Heſſorum Principe Domino Vuilhelmo, ſolidam iniſſe gratiam, & in primis ab eius parente ſummorum Heroum clarißimo, D. Philippo, qui non modo cõmendaſſe, ſed maximis etiam alijs Principibus exemplaria requiſita perhibetur ad legendum obtuliſſe. Tanta nimirum in tantis principibus relucet animi moderatio, ſtudiorum a-

mor, humanitas, & quæ uerè generosos Heroas ex ornant uirtutes. Quare licet hodie uerißimum illud sit, quod Ecclesiastes ait: Faciendi plures libros, nullus finis: & me æditi illius Germanici propemodum iam pœniteret, tamen Principum tantorum erga bonas literas fauor atq; benignitas, effecit, ut animum, qui ferè (quod aiunt) in pedes deciderat, ego recipiens, Germanicũ recognoscere, atque idem argumentum oratione latina reddere non exhorruerim. Sed ad nouos labores accincto mihi uidebatur accidere, quod uulgò dicunt: ἡ κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει. Paucis enim septimanis pensum hoc, quod plurimas efflagitabat, uerius, ut ita dicam, præcipitaui, quàm absolui. Sic festinandi studiũ, ac negocio suscepto Colophonem addendi, nimius ardor, imprudentem naribus traxit. Sic ursit item Chalcotypi neceßitas, qui cum libelli partem iam sub prælo haberet, cogebatur famulorum opera in id destinata uti, et totum hoc opus, uno quasi textu ad finem usq; perducere. Quare si quid minus scitè, quàm pro expectatione multorum, positum, dictumúe erit, id uel temporis angustiæ candidus lector imputare debet. Quanquã quòd nonnullis in locis parum eleganter atq; concinnè filum orationis cohærere uideatur, in causa etiam fuit illa sententiarum illustrium, ex Autoribus claßicis depromptarum bene multa coaceruatio,

tio, quarum copiam non facilè poterat ingenij tenuitas ita disponere, ut genuinam unius stili nobilioris naturam præ se ferrent, artificiq; ductu fluerent. Quas tamen ut ubertim, ita studiosè collegi, quò uidelicet earum dignitate simul ac elegantia captus lector, hoc opusculum aliquo dignaretur honore, non impolitia mearum compositionum abalienatus, odio prosequeretur: Deinde si qua liberius apparuerint dicta, non protinus ea mihi, sed Autoribus, unde promanauerint, aßignaret. Neq; uerò hic Attici lepôris artem profiteri, sed craßiore, quod aiunt, Musa collibuit proferre, quæ sentirem, uellata selectißimis autorum optimorum scriptis, licentiosius alicubi (cum sic etiam citata, plus utilitatis lectori non moroso, quàm incommodi uidebantur allatura) productis. Atqui suborituros auguror, quibus oratio petulantior alicubi, fœnū, (ut aiunt) in cornu uidebitur habere: Verum ijdem si meminerint eius regulæ, quam toties inculcat Diuus Hieronymus, uidelicet: Vbi generalis de uicijs disputatio est, ibi nullius personæ esse iniuriam, neque carbone notari quenquam, quasi malus sit, sed omnes admoneri, ne sint mali: minimè, ut puto, hæc auersabuntur, aut frontem, quod dici solet, corrugabunt, nisi fortè contendant omnes Principes immaculatos atque sanctos esse, omnes aulicos incorruptos, omnes denique subditos honestos, &

integros. Denique non uideo, qui nam tandem generatim hæc scripta, in se speciatim dicta esse, adeò suspicaturi sint, nisi forte ij,

Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo uerbere cædit.
Occultum quatiente animo tortore flagellum,

ut poëta ait. At ego, cum ne Iupiter quidem ipse (iuxta prouerbium) placeat omnibus, æquiore sum animo laturus dicta, ut sic dicam, eorum Archilochia, qui semper ociosi, nihil ipsi scribere: tantum aliena, ut Momus, reprehendere solent, neque quicquam laude dignum, nisi quod ipsi faciant, putare. Quorum similibus ingenijs ut occurreretur, antiqui moris fuit, eos, qui protulißent opera literaria, uiris ea præclaris, atque potentibus dedicare, ut in tutelam recepta defenderentur ab iniurijs hominum malè feriatorum. Proinde ego quoque quum animaduerterem libellum hunc meum, in eam fortunam incidiße, ut quasi alijs insulsior, & opprobrijs fatalibus magis expositus, haberet opus meliore patrono, cœpi mecum cogitare atque dispicere, cuinam quarta natus (ut aiunt) luna protectori commendandus eßet. Inter multos, tua potißimum Illustrißime Princeps, occurrit clementia, cui totam illius salutem committendam eße duxi, nihil ambigens, quin Latinus non minorem in tua sibi conciliaturus sit beneuolentiam

lentiam atque præsidium, quàm Germanicus in Soceri tui charißimi Principis aula fuit consecutus, Et quanquam non dubitem futuros, qui mihi uicio hanc rem uertent, quòd una opera, duplicem inire gratiam, eademq; fidelia, ut est in prouerbio, duos parietes dealbare uelim, uidelicet eodem libello duobus inscripto Principibus, attamen quum ad laborem aspicio, quem non modò in hoc latinè uertendo & nouum, & maiorem sumpsi, sed etiam eo nomine difficiliorem aliquanto, quòd pleraque fusius & copiosius retractaui, multa etiam supra ueterem illum sententiarum aceruum, quasi de nouo adieci, uideor mihi meo quodam iure hoc facere potuisse. Neque enim puto, quòd alij toties fecere et docti, & principibus uiris ijdem non ingrati aut uiles habiti, idipsum mihi non licere, præsertim cũ non idem aliquod opus repetam, eandemq; cantilenam iterũ canam, sed argumentũ antea tenuiter, & pro linguæ ratione etiam humiliter tractatum, non modo diuerso, sed multò etiam locupletiore dignioreq; sermone excolendum, & quasi interpolandum mihi sumpserim. Quare Illustrißime Princeps, quando ea tua ab omnibus prædicatur clementia, ut neminem supplicem auerseris, ea tua humanitas, ut neminem abiectum aut humilem despicias, non dubito, quin hunc quoque libellum, pro insita atque innata ista animi libertate, benignè ac

placidè sis recepturus. Quod superest, DEVM OPT. MAX. precor, ut sua dona, quæ in te largißimè contulit, seruare, tueri, & augere dignetur. Marpurgi, XVI. Calendas Septembris. Anno

M.D.XXXVIII.

AVTOR.

AVTOR AD LIBELLVM.

Corda uenturi nimis imperita
Cum geras fati, properas abire
Quo fugax, quò nam uolitarē gestis,
Stulte Libelle?
Veritas, cuius probitate fidis,
Pauculos uulgò reperit fauentes,
Quem paras, nisu simili Patronum
Quæritat ipsa.
Ergo prudenti moderare cœptum
Regula cursum, moribunda prisca
Iam Fides languet, uiduata priui
Iuris amusse.
Tecta plagosæ uiolenta (ne tu
Vapules) turbæ caueas subire:
In tui solum Domini futurus
Tutior aula.

PROLOGVS.




HILIPPVS Amyntæ filius, Macedoniæ rex, cuius uirtute, industriaq; Macedones locupletißimo imperio aucti, nationum multarum potiri cœperant, & cuius uim atque arma toti Græciæ cauendam, illæ Demosthenis orationes planum faciunt. Is licet negotijs belli, uictorijsque præoccupatus eßet, à liberali tamen Musa, & studijs humanitatis nunquam abfuit. Testimonio sunt compluria ingenij eius monumenta, in quorum numero literæ clarent, quibus Aristoteli philosopho natum sibi esse Alexandrum nunciauit, asserendo, dijs immortalibus se gratiam habere, non perinde, quia natus eßet filius, quàm pro eo, quòd eum nasci contigerit temporibus Aristotelis: Sperabat enim fore, ut eductus, eruditusque ab eximio præceptore filius, & patre, & succeßione regni dignus euasurus esset. Quod egregium curæ, diligentiæque in liberorum disciplinas hortamentum, optimo iure Principum Christianorum animos expergefacere deberet. Nam si Ethnico regi, curam eam iniectam fuisse legimus, ut solius patriæ salutis gratia, non solum ipse tot arduis negocijs districtus, in bonas literas incubuerit, uerum etiam filium ijsdem disciplinis uoluerit imbutum iri, quanto magis Christianum

Gell. lib. 9. cap. 3.

principem

principem decuerit, & ad Dei Opt. Max. gloriam, & ad beatum totius Reipub. statum, neruos omnes in id intendere, atque uigilanter procurare, ut bonarum literarum studia foueantur, & quod imprimis expeditu necessarium, generosi liberi sui diligenter erudiantur, ut bonis artibus exculti, & piam ætatem exigere, et habenas Reip. prudenter tractare poßint.

DE PRINCIPIS TENERIORIS Pędagogo, atq; eius officio.



ATVRA tenacißimi sumus eorum, quæ rudib. annis percepimus, ut sapor, quo noua imbuas durat, nec lanarũ color, quibus simplex ille candor mutatus est, elui potest. Et hæc ipsa magis ptinaciter hærẽt, quæ deteriora sunt, quæ celerius ad uicia procliue magis ingeniũ hominis arripit, non aliter, quàm ignem uicinũ naphtha. Vnde Chrysippus, nõ immerito nutrices optauit sapientes, et quantũ res pateretur optimas eligi uoluit, ne sermonib. prauis animi teneriores corrumperentur. Et Quintilianus in ipsis parentibus quàmplurimũ eruditionis optauit esse

Era. in mil. Christ.

Quin. li. 1. cap. 1.

esse, nec id in patribus tantum, uerum etiam in matribus, ut in Gracchorum Cornelia, aut Lælij, aut Hortensij filia. Quod cum in plebeiorum potißimum institutionum (qui priuati non tantum poterunt Reipub. uel prodesse, uel incommodare) legamus ab Autoribus illis tanta diligentia prolatum, neminem arbitror fore, qui non intelligat, quàm moratos & eruditos requirat informatores, principem instituendi prouincia, ut cuius ab ingenio, certa patriæ uel salus, si bonus euaserit, uel, si malus, pernicies sit profluxura. Non igitur quibuslibet committendus erit imperio natus, sed ijs tantum, quorum eruditio non solum perspecta, sed etiam uita nullis obnoxia criminibus, irreprehensi mores, & optimum experimentum, ne malè morati ad uicia procliues, innocentem generosorum animorum sanctitatem, mala contagione corrumpant. Vt Leonides olim alexandri Pædagogus, qui uicijs eum quibusdam imbuit, quæ robustum & maximum regem, ab illa institutione puerili sunt prosecuta. Vnde naturæ suæ uicium agnoscens Philager, sapienter dicitur respondisse, rogatus, quamobrem non delectaretur educandis et informandis pueris: quoniam, inquit, nec meipso delector. Erat enim natura iracundus & morosus, eòque nec appositus ad teneram ætatem instituendam. Nouerat ingenuus uir in pædagogis non modo solidam eruditionem,

Plutarc. de educ. pue.

Era. 8 apo.

sed

sed morum integritatem, & praecipuè mansuetudi nem requirendam, ne quod ingeniorũ dexteritate structum, id rigidiore morum asperitate ac saeuicia destruatur. In primis enim cauere oportebit, ne teneris protinus acerbius instantes, faciamus, ut qui studia nondum amare possunt, odio quasi nouercali, prosequantur: et amaritudinem semel perceptam, ultra rudes annos reformident, & acerbitatis denique impatientes, à quinque rupibus (ut aiunt) in undam desilire praesumant. Et cum ipse Pythagoras olim in familiarem quempiam asperius fuisset inuectus, adolescentem laqueo praefocasse guttur, aiunt. Et ex eo tempore nunquam uir ille quenquam alio praesente, reprehendebat atrocius. Etenim nihil est foedius praeceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus, toruo uultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrenatis conuicijs, facie inter pallorem & ruborem uariata, clamore perstrepitat, & errantes non tam à bono retrahit, quàm ad mala sua saeuicia praecipitat. Eiusmodi ergo debet esse futuri principis institutor, ut & eruditione sana, & morum iucunditate praecellens, norit, quemadmodum eleganter à Seneca dictum est, obiurgare citra contumeliam, & laudare citra adulationem, quem ille simul & reuereatur ob uitae seueritatem, & amet, ob morum iucunditatem.

Quin. li. 1.

Plut. de dis. adu. et ami.

Hiero. sup. epi. ad Ti.

Caeterum

Erasmus in prin. instit. Cæterum quisquis instituendi principis suscipit prouinciam, illud etiam atq; etiam secum cogitabit, sese rem haud quaquam uulgarem agere, sed omnium ut longè maximam, ita omnium periculosissimam: Qui animum in primis adferet eo munere dignum, neque spectabit, quantum sacerdotiorum illinc auferre poßit, aut quantum æris aceruum corradere: sed qua ratione possit suæ patriæ, cui plurimum debet, salutarem principem reddere. Cum autem pleraque mortalium ingenia, magis in malum, quàm bonum uergant, sagaciter animaduertet is, cui suas fortunas in gremium dedit Respub. quorsum iam tum suscepti uergat adolescentis ingenium. Quippe, qui perspicaces sunt, deprehendunt in pueris notas quasdam, quibus coniecturam facere liceat, ad quæ studia, quódque uitæ genus, quásque actiones sint idonei. Quæ ratio discipulos recipiendi ac instituendi Pythagoræ fuisse traditur. Is iam à principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant ἐφυσιογνωμόνει, id uerbum significat, mores naturasque hominum coniectatione quadam, de oris & uultus ingenio, deque totius corporis filo, atque habitu sciscitari. Et Democritus aciem animi, solertiamque Protagoræ ex artifici lignorum fasce, & quasi geometrica caudicum iunctura considerauit. Notus igitur quibusdam industrius Pædagogus

Era. in Philodoxo.

Gell. lib. 1. cap. 9.

Gelli. lib. 5. cap. 3.

gogus deprehendet, num propensior sit generosioris adolescentis animus ad iracundiã, num ad ambitionem, aut famæ sitim: num ad libidinem, aut aleam, aut pecuniæ, aut uenationis nimiæ studium, num ad uindictam, aut bellum, num ad potentiam, aut Tyrannidem. Deinde quà senserit illum procliuem ad uicium, eà primum muniet animum illius salubribus decretis, ac præceptis accommodis, conabiturque sequax adhuc ingenium in diuersum habitum trahere. Rursus quà deprehenderit naturam ad honesta procliuem, hàc magis instabit, & naturæ commoditatem cultu adiuuabit.

Erasmus in prin. instit.

Porrò ut ex mala principum institutione plurima ueniunt incommoda, sic utilitatis plurimum nascitur è principum bene institutorũ prudentia. Cuius rei gratia bonus Pædagogus, multa facere, multa etiam non grauabitur tolerare. Vnde Aristippus à Dionysio cosputus, æquo tulit animo. Indignantibus autem ob eam contumeliam, Piscatores inquit, ut gobionem capiant aqua marina se patiuntur aspergi: ego ut balenam capiam, non patiar me aspergi saliua? Balenæ uocabulo Regem signans, quem sua patientia conabatur ad philosophiæ studium allicere.

QVO TEMPORE PRINceps instituendus.



ERITO reiecta est à doctis illorum sententia, qui putauerunt ætatem, minorem septem annis, non admouendam literis, cuius sententiæ Autorem plurimi crediderunt Hesiodum, quanquam Aristophanes Grammaticus ὑποθήκας, quo in opere id proditum est, negat esse Hesiodi. Verum ut citra controuersiam fuerit Hesiodi, nullius hominis autoritas tantum apud nos ualere debet, ut pigeat meliora sequi, si quis attulerit. Tametsi quicunque fuerunt huius sententiæ, non hoc senserunt, totum hoc temporis, usque ad annum septimum, oportere uacare omni cura institutionis, sed ante id ætatis pueros nō esse uexandos labore studiorum, in quibus omnino tædia quædam deuoranda sunt, uelut ediscendi, reddendi, scribendiq;. Vix enim reperias ullum tam docile, tamque tractabile, ac sequax ingenium, quod his rebus prorsum absque stimulis assuescat. Nec repugnarunt ijs infantulos tradendos, qui sapienter ingenia tractare nouerint. In quorum numero sunt, qui pueris dant crustula blandi, Doctores elementa uelint ut discere prima. Qui literarum eburneas irritandæ ad discendum infantiæ formas in lusum offerre calluerint, uel si quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inueniri potest, quod tractare, intueri, nominare, iucundum sit, ac

Horat. i. ser. i.

inter

inter lusum pro captu ingeniolorum ediscere. Qui denique nouerint puerorum ingenia, quantum excipere poßint. Quæ non aliter ut uascula oris angusti, superfusam humoris copiam respuere, sensim autem influentibus, uel etiam instillantibus compleri. Huius generis præceptoribus nempe duobus prudentißimis ac celeberrimis Grammaticis Palæmoni & Cornuto, traditus olim Lucanus, Romam deportatus, non maior octo mensibus, Sodales studiorum habuit Saleium Bassum, & A. Persium, alterum historia, alterum Satyra nobilem. Hinc nimirum illa in iuuene, tam omnibus numeris absoluta Cyclopedia, tam admirabilis eloquentia, qui in carmine non minus oratorem summum præstat, quàm poëtam. Proinde natus Princeps statim ab ipsis (ut aiunt) incunabulis optimo pædagogo tradendus est. Etenim mox, ut fari cœperit, habilis fit ad institutionem literarum. Et tempus aptißimum, quo uacuum curis ac uicijs ingenium, quo mollis ac tractabilis ætas, quo sequax ac habilis ad quæuis animus ac præceptorum tenacißimus: Et quod potißimum, quo sese principem esse nondum intellexerit. Porrò si uicijs, priusquam intelligit quid sit uicium, potest assuescere, pari ferè facilitate uirtutibus poterit. Optimis autem rebus, optimum est protinus assuescere. Quod intelligens Marcus imperator magno curarũ fluctuabat æstu;

Quin. li. 1. cap. 1. et 2.

Ex Io. Sulpitio et Petro Crinito.

Eras. de pueris liber. instit.

Ex Herodiani libro primo.

Anxius enim agebat, ne filius, qui tum primam inierat adolescentiam, siue ætatis feruore nimio, siue licentia quadam summa, quam in orbitate esset habiturus, bonis artib. studijsq; relictis, ebrietati sese & crapulæ dederet. Quippe facilè ingenia adolescentũ à recta honestaq; disciplina ad luxũ uoluptatesq; dilabuntur. Terrebat insuper hominẽ minimè imperitũ multorũ memoria principũ, qui iuuenes imperiũ suscepissent, ut Dionysij Syciliæ Tyranni cuius tanta fuit intẽperantia, ut nouarũ uoluptatũ inuentores summis adficeret præmijs, ut item eorũ qui Alexandro successerunt. Ita .n. contumeliose, uiolenteq; dominati sunt, ut illius imperio graue dedecus cõciliarint. Siquidem Ptolomæus eo turpitudinis prolapsus est, ut contra Macedonũ atq; adeo Græcorũ omniũ leges, etiam sororis amoribus implicaretur. Antigonus aũt, quo liberũ patrẽ repræsentaret pro diademate Macedonico hederã capiti circundare, thyrsumq; pro sceptro gestare est solitus. Solicitabant animũ senis recẽtia quoq; exempla, ut Neronis ipsius, qui ne à materna quidẽ cæde abstinuerit, et se ridiculum populo spectaculũ præbuerit. Vt item Domitiani, qui nihil sibi ad extremã crudelitatem reliqui fecerit. Has igitur tyrannidũ imagines uolutans, de filio solicitus fuit, curarũq; fluctib. æstuans amicos rogauit, ut filio parẽtis loco essent, atq; curarent instituendũ, ne rerũ imperitia

ritia

uitia de recto quasi cursu ablatus deflecteret, malisque artibus impingeret. Este, inquit, uos illi pro me uno multi parentes, sed excolẽdo, atq; optima suggerendo.

DE MODERANDO PRINcipum impubium uictu.

OPERA non solum danda, ne lasciuientis ætatis culpa, & inquiete petulantia, pueri detrimentũ accipiant, sed multò magis ne potu nimio, aut cibo frequenter ingurgitẽtur, Crapula .n. teneriorum corporũ sanitatem profligat, ac ingenijs officit. Etenim ex multiplici mensarũ Sybariticarũ, aut cœnarum pontificalium uarietate (ubi frigida cũ calidis, pugnant humentia siccis, Molliæ cum duris, cum dulcibus acria certãt) ingluuies cõtracta, puerilium ingeniorum uires eneruat ac deperdit, fenestramq; morbis compluribus aperit. Porrò qui multiplici ciborũ pastu nutriuntur, diuersas (ut Macrobius ait) ex diuersitate succorum qualitates patiuntur, humoribus ex materiæ uarietate nascentibus, minimè concordantibus. Hinc morborum scaturigo, qui ex repugnantium sibi humorum uariorum discordia nascuntur. Vnde simplex unum salubre ferculum, puero melius & utilius multò, quàm uiginti diuersißimis aromatum speciebus condita ciborum genera. Simplex

enim cibus adultis, nedum teneris pueris utilißimus. E contrario aceruatio saporum pestifera, et condimenta perniciosiora. Vnde Hipocrates in libello de Flatibus, Malam diætam uocat, quæ consit ex pluribus cibarijs, multiformiq; alimonia. Rectè Persius inquit:

Poscis opem neruis corpusque fidele senectæ,
Esto age, sed grandes patinæ, iuretaque crassa
Annuere his superos uetuere, Iouemq; morantur.

Hoc est, turpe uotum bonam corporis ualetudinem præcari, cum eandem epulis nos impediamus, atque crapula.

Horat. 2. ser. 2.

Accipe igitur uictus tenuis quæ, quantaq; secum
Adferat, inprimis ualeas bene, nam uariæ res
Vt noceant homini credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit. At simul aßis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem uertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita: uides ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia.

Simili modo, tenuis, sed boni uini, aut cereuisiæ potio, puerilibus ingenijs longè salubrior, quàm fortia, Siceræ, Cretici, uel Rhœtici pocula, quæ natiuos puerorum calores ac sanguinem, uelut ignem caminis addentia, perurunt. Nec solum ex nimio cibi uel potus usu, corporum pernicies, sed etiã ingeniorum (ut dixi) profluit. Inde enim pueri stupidiores

diores, ac ingenij multò tardioris euadunt. Vnde Gellius, compertum eſt, inquit, Impuberes, ſi plurimo cibo, ſomnoque uterentur, hebetiores fieri, animaduertimusq́; hinc tarditatem elici. Hinc prouerbium: παχῆα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. Rectè Poëta Lyricus:

> Quin corpus onuſtum
> Heſternis uicijs, animum quoq; prægrauat ipſum,
> Atq; affligit humo diuinam particulam auræ.

His omnibus diligenter excuſſis ſapientiores externarum gentiū patres accuratius procurare ſolent, ne filij, cum natura paucis contenta ſit, obruantur crapula. Atqui nonnullæ nutrices Germanæ bonum ac ſalubre pueris arbitrantur, ſi multiplicibus uariorum generum cibis ſubinde diſtenti fuerint, ut periculum ſit, ne rumpantur.

DE CONVICTORIBVS ac colluſoribus iuniorum Principum.



VM tantæ cōſuetudinis aſſiduæ uis exiſtat, & occultus quidam naturæ conſenſus, ut homines etiam imprudentes, imbibant eorum uicia, quibuscum uiuunt, ex uſu fuerit ætatem cum ijs exigere qui moribus ſunt incorruptiſſimis. Quare non quibuslibet colluſoribus Eraſm. in prin. inſtit.

admiſcendus Princeps, ſed bonæ uerecundæq; indolis pueris. Ab huius igitur auribus atque oculis erit arcenda laſciuorum iuuenũ, ebrioſorum, turpiloquorum, & imprimis adulatorum pernicioſa turba. Sumuntur enim à conuerſantibus mores. Et ut quædam in contactos corpore uicia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus cõuictores in amorem uini trahit. Impudicorum cœtus fortemq; & ſi liceat uirum emollit. Auaricia in proximos uicium ſuum transfert. Hinc Ariſtoteles rogatus à quodam, quibus rationibus efficere poſſet, ut equum haberet eximiũ. Si inter generoſos, inquit, equos educetur. Quippe nõ tã ualetudini pdeſt utilis regio et ſalubrius cœlum, q̃ animis parũ firmis, in turba meliorũ uerſari. Etenim ut infectus aër corpora corrũpit, ita bonos mores, colloquia praua. Et modicũ fermentũ, totã maſſam corrũpit. Et ſi iuxta claudũ habites, ſubclaudicare diſces, ut uerißimum illud: Σοφοὶ τύραννοι, τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. Sapientes tyranni, ſapientũ congreſſu.

Seneca lib. 3. de ira.

Era. de pu. liber. inſti.

Adagia

1. Corin. 5. & 15.

DE PRINCIPIS IVnioris inceſſu.



NSTITVTI perperam adoleſcentis eſt, ambulando greſſus hiſtrionum (qui pedem quotieſcunque proferunt, modulos quoſdam obſer-

obſeruare ſoliti ſunt) imitari. Aut thraſonum, qui per mediam turbã incedentes, ſupercilioſi, buccas inflant, & labia porrigunt, quaſi popyſmum facturi. Sed morato Principi, quod abhorret à uero dignitatis heroicæ decoro, fugiendũ eſt. Quare probabilem ac maturum diſcat ſuſcipere greſſum, in quo grauitatis ſpecies, & autoritatis ueſtigium ſit effulſurum. L. Catilina nobili genere natus, ſed ingenio malo prauoque, cuius conſcientia mentem exagitatam uaſtabat: Vnde color eius exanguis, fœdi oculi, citus modò, modò tardus erat inceſſus, ut ait Salluſtius. Imprimis igitur cauendum, ne aut tarditatibus utatur in greſſu mollioribus, ut pomparum ferculis, ſimilis eſſe uideatur, aut in feſtinationibus ſuſcipiat nimias celeritates aut ridicula faſtus inſulſi documenta relinquat. Etenim quum modò celeriter, modò lente nimis itur, quum fiunt anhelitus, quum torquentur ora, ſignificatio magna fit, non adeſſe conſtantiam, aut dignitatem ingenii heroicæ reſpondentem, ſed arrogantiæ ac ſtoliditatis argumenta. Proinde quoties prodit, aduigilet, ut ipſe uultus, inceſſus, & præcipuè ſermo talis ſit, ut populum reddat meliorem, memor, quicquid fecerit aut dixerit, ab omnibus obſeruari, cognoſcique, ut ait Eraſmus in Principis Inſtitutione. Cic. 1. Offi.

LITERAS PRINCIPI futuro necessarias esse.

PROCERVM aulicorum quidam, subuerentes, ne non, ubi Princeps bonarum disciplinarum cultu splendidior euaserit, & ingenij radijs omnium aulicorum oculos præstrinxerit, inferiorem gratiæ uel autoritatis gradum sint occupaturi, solent ineptissimos Pædagogos asciscere, atq; in hanc sententiam proloqui: Quorsum Principi nostro literæ? Non decet tot fortunæ dotibus herum excellentē, studere: nec in Doctorem euadere. Qui literarum hostes, uidentur imitari stultitiam Ephesiorum, Qui cum Hermodorum ciuitate expellerent, ita locuti sunt: Nemo de nobis unus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco, & apud alios sit: Librorum usus principis membra debilitat, & uires exhaurientia studia cerebrosum reddunt, quæ solis cerdonum filijs, ac pauperculis socijs relinquenda, ut in ea noctes atque dies incubituri famem pellant, & miseris quærant uiatica canis. Sed hæ uoces nouæ non sunt. Nihil enim iam dictum, quod non dictum sit prius. Siquidem olim Alphonsius Arragonum rex, quum audisset, quendam modo consimili dixisse, nempe: Non decere principes scire literas, fertur exclamasse: Eam uocem bouis esse, non hominis, cùm à rationis iudicio non profecta, sed insulso beluinæ ruditatis instinctu fuisset

Cicero Tusculanarū Questionū quinto.

Er.S. apo.

fuisset effusa. Quam sapientiss. Regis sententiam, omnes Trabeati literarum osores animis infigere deberent, et densis tandem excußis animi tenebris, sagaciter perpendere, Literas uiris principibus magis necessarias eße, quàm hominibus plebeijs, cũ ex illorum ingenijs & institutione literaria, totius (ut dictum est) patriæ fortuna dependeat, ex horũ non item. Porrò quemadmodum corpora cœlestia, si uel paululum tumultuentur, ac recto cursu diuaricent, non sine graui rerum humanarum pernicie id faciunt, id quod palam uidemus in defectibus solis, ac lunæ. Ita summi principes, si quid aberrent ab honesto, aut si quid ambitione, ira, stulticiaue peccent, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. Recte igitur Vegetius: Nullus est, inquit, quẽ oporteat uel plura, uel meliora scire, quàm Principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis. Etenim ut in nauigatione nauclerum, cui clauus commissus est, oportet cæteris antecellere peritia gubernandi, uigilia, fide: Sic eum qui principatum gerit, oportet reliquos anteire dotibus imperatorijs, sapientia, iustitia, animi moderatione, & ardentiss. publici commodi studio: Quæ non inter canum uenaticorum latratus, equorum hinnitus, militum strepitus, & inter quæ (ut Cice. ait) leges silent, arma discuntur, sed ex uaria literarũ, et historiarũ cognitione percipiuntur: ex qua uelut

Erasmus in prin. instit.

Vege. de re mili.

Ci. pro Milone.

uberrimo fonte profluit omnis bene regnandi, ac sapienter imperandi peritia. Quorum non ignari quondam Imperatores Ethnici, diligenter bonam nauando studijs operam, in doctos uiros, imperijs dignos euaserunt. Quid enim commemorem Philipum Macedoniæ regem, cuius ingeniũ studia nobilitarunt. Quid eius filium Alexandrum, qui Homericam (quam rei militaris uiaticum appellauit) Iliadem ab Aristotele præceptore perdidicit, atq; ipsum Homerum in tanto precio habuit, ut semper unà cum pugione sub puluino iacentem tenere, & ipsum βασιλικὸν Poëtam uocitare solitus fuerit, ac dicere: Malle se disciplinis antecellere, quàm opulentijs. Quid C. Iulium Cæsarem, animi uigore præstantißimum, quem scribere et legere simul, dictare & audire solitum legimus, Qui epistolas maximarum rerum quaternas pariter librarijs dictare, aut si nihil ageret, septenas. Quid Tyberium? Qui doctus composuit carmina Lyrica. Fecit & Græca Poëmata, Euphononem imitatus, & Parthenium, Quibus poëtis admodum delectatus scripta eorum & imagines publicis Bibliothecis inter ueteres, & præcipuos authores dedicauit. Quid regem potentißimum Darium? qui literarum sitientißimus, Heracliti Ephesij, et contubernio & disciplina frui peroptauit, scripsitq; ad illum ita: Rex Darius Histaspis filius, auditor

Plu. in uita Alexandri

Plin. li 7. cap. 25.

tuus eße cupit, Venias itaque quàmprimum ad conspectum meum, ac regiam domum. Apud me aderit tibi omnis honor, primatusque omnis, quotidiéque solicita obseruatio & grata colloquutio, uitaque tuis moribus probabilis. Quid Antonium Philosophum Imperatorem? in quo tantum philosophiæ studium fuit, ut ascitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonij causa discendi uentitarit. Iam breuitati consulturus prætereo Hieronem, Attalum, Magonem, Iubam, Cn. Pompeium, Augustum, Traianum, Antoninum Pium, atque alios innumeros Musarum alumnos, ac literarum propagatores, Imperatores, Reges, ac Cæsares. Vnum transire non poßum Sigismundum Imperatorem Alberti Socerum, qui cum alijs multis nominibus, tum illo præcipuè commendabilis fuit, quòd ut ipse linguarum ac literarum peritiam amauit, ita uiros eruditione præstantes semper amare, ac prouehere studuit. Quo nomine quum à Germanis principibus, qui latinas literas oderant, reprehenderetur, quòd homines obscuro genere natos, ob literarum commendationem foueret. Quid ni, inquit, eos amem, quos natura cæteros antecellere uoluit? Germani plurimũ tribuunt generis nobilitati, at uir prudens intellexit, in eruditis esse quiddam

Dio. Laert. li. 9. de uit. philoso.

Iulius Cap.

quiddam stemmatis præstantius. Illi habent ædiũ parietes clypeis et imaginibus depictas, hi animum habent optimis disciplinis exornatum. Adde quòd ut natura animus præstantior est corpore, ita ornamenta ingenij longè pulchriora sunt externæ nobilitatis insignibus. Quod agnoscentes uerißimum hodie multi nobiles, non sine maxima prosperrimarum rerum expectatione bonas ad literas sese conferunt. Idem etiam Ethnici quondam excellentißimi uiri fecerunt. Et licet ætate confecti, tamen bonas literas mordicus amplexi sunt, unde Rector populorum authoritate multa præditus
Val. lib. 8. Solon dicere solebat: Se quotidie aliquid addiscen
cap. 7. tem senescere. Quod ipsum die supremo confirmauit. Nam aßidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, satis iam pressum caput erexit. Interrogatusq;, quapropter id fecisset, respondit: ut cum istud, quicquid est, de quo disputatis, percepero, moriar. Et Saluius Iulianus tum eximia iuris cognitione, tum multorum Prin-
Pan. li. 14. cipum ac Regum amicitia clarus, solitus est dicere:
tit. de fidei Κἂν γὰρ ἕτερον πόδα ἐν τῇ σωρῷ ἔχω πρὸς μα-
com. l. 20. θῆν τι βουλοίμην. Hoc est, si alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc quid addiscere uellem.

Ci, de sene. Cum igitur non uiribus, aut uelocitatibus, aut celeritate corporum res in Imperijs magnæ gerantur, sed, quæ ex solo literarum cultu profluunt, & consilio,

consilio, & authoritate, & sententia, non iniuria maximum olim dedecus fuit habitum, in Principibus literarum ignorantia. Et adhuc Heroës cæteri sapientiores, unicum ditionis mediocris eruditum Principem, multis locupletioribus præferre non dubitarint, persuasum habentes, illum studiorum fructu plurimum utilitatis adferre posse. Et σύμβουλον ἱερὸν χρῆμα. Hos autem indoctos nō item, quum in conciliabulis sint, quod canis (ut aiunt) in balneo. Quod Aristippus non ignorans, cuidam percontanti, qua re melior esset euasurus filius, si eum curaret literis erudiendum. Vt nihil aliud, inquit, certè in Theatro non sedebit lapis super lapidem. Hominem indoctum & elinguem uocauit lapidem. Sic Diogenes hominem opulentum & indoctum χρυσόμηλον, id est, ouem aureo uellere dicebat. Idem meridie lucernam gestans, obambulabat per forum hominibus differtū, rogatus quidnam rei quæreret: Hominem, inquit, quæro. Sciebat illic eße turbam, sed pecudum, nō hominum. Idem cum die quodam ex æditiore loco contionem aduocaßet, clamans: Adeste homines, iamq; frequens hominum turba conuenisset, nec aliud ille diceret, quàm: Adeste homines. Subirati quidam reclamauerunt: Adsumus homines, dic si quid habes. Tum ille: Homines adesse uolo, non uos, qui nihil minus estis, quàm homines, eosq; baculo

Dioge. Laë. li. 2. de ui. phi.

Diog. li. 6.

culo abegit. Profectò uerissimum est, hominem nec philosophiæ, nec ullis disciplinis instructum, animal esse brutis aliquanto deterius. Siquidem pecudes naturæ duntaxat adfectibus obsequuntur, homo nisi literis ac Philosophiæ præceptis formetur, in adfectus plus quàm ferinos rapitur. Nullum est animal adfectatius, aut nocentius homine, quem agit ambitio, cupiditas, ira, inuidia, luxus, & libido. Quibus adductus Socrates, diuitem indoctum conspiciens: Ecce, inquit, aureum mancipium. Idem prædiuitem, sed nulla præditum uirtute conspicatus: Hic, inquit, equus est argento circumtectus: equorum numero duxit, Nam ut equi stragulis, phaleris, ac bullis argenteis exornari solent, quum interim tamen nihil aliud sint, quàm equi. Sic indoctus Heros purpurata Simia. Et simiæ (iuxta prouerbium) semper simiæ, etiam si aurea gestent insignia.

Era. de pu. libe. instit.

Er. 8. apo.

Quapropter licet principes opulenti sint, et omnibus fortunæ dotibus præponderent, tamen eos decuerit, non tam facultatibus externis, quàm eruditione, & sapientia subditos præstare: persuasum habentes, hæc uera & æterna bona, illa momentanea esse, ut Sallustius rectè dixerit: Diuitiarum & fortunæ gloria fluxa & fragilis habetur. Et Procopius ille propter uictoriam stultè ferociuerit, ignorans, quòd quiuis beatus, uersa

Ammianus Marcel. li. 26.

rota

rota fortunæ, ante uesperum poterit esse miserrimus. Est enim τύχη εὔριπος, id est, fortunna æstuaria & uolubilis. Et δινός, quasi pilas homines habens, iam in altum iacit, iam in terram affli- Plau. in Ca
git: nunc huius, nunc illius fautrix, sed nimis ut ptiuis.
Vurgilius ait, inconstans, fragilis, perfida, lubrica. Quæ magnum suis monstrat ostentum, Si quis uisatur, una stratus ac fœlix hora. CON- Boëtius.
TRA. Decus eruditionis, & doctrinarum uirtutes, nullius fortunæ ludibrijs obnoxias, immortales florere. Quas nec Iouis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetustas, Nec ullum Plutarc. de
(quod singula torrentis instar trahit, ac rapit o- educa. pue.
mnia) bellum eripere doctrinam poterit. Vnde cũ Demetrius captam urbem solo æquasset, Stilponem interrogauit: numquid suorum quicquam amisisset? Respondit Stilpo: Nihil equidem, Bellum enim ex uirtute nulla ducit spolia. Et Bias Pri enensis, quum patriam eius hostes inuasissent, omni Vale. li. 7.
bus quos modo sæuicia belli incolumes abire passa cap. 2.
fuerat, preciosarum rerum pondere onustis fugientibus, interrogatus quid ita nihil ex bonis suis secum ferret? Ego, inquit, uera bona mea, mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris, non oculis uisenda, sed æstimanda potius animo, quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt.

&

& ut manentibus præsto sunt, ita fugientes non desẽ-
Cic. 5. Tus. quæst. serunt. Laudanda igitur libra illa Critolai, qui
cum in alteram lancem animi bona imponat, in al-
teram corporis & externa, tantum propendere il-
lam boni lancem putet, ut terram & maria depri-
mat. Illorum contemptor olim, & horum admi-
rator egregius ille, cuius opulentia in prouerbium
abijt, Lydorum rex Crœsus extitit. Vnde cum
acie collata superatus à Cyro, pyram instructam
alligatus conscendisset, spectantibus Persis, et Cy-
ro, quantum maxima uoce potuit, ter: O Solon (cu
ius antea prudentiam et eruditionem despexerat)
exclamauit, pœnitentia scilicet tactus, quòd fortu-
Plut. in ui. Solonis. næ bona, donis animi consolatione plenis, fastuosus
olim prætulisset. Quæ si modo consimili Diony-
sius Syracusanorum Tyrannus, contempsisset, con
fectis fame uiribus emarcuisset. Qui licet maxima-
rum opum dominus, exercituum dux, rector clasi-
um, equitatu potens esset, tamen bonarum literarũ
Cic. 3. et 5. Tusc. quæ. maximè Musicæ, & poëtriæ studiosus erat. Vnde
Syracusis pulsus, Corinthi pueros docendo uitæ
necessaria poterat nancisci. Hinc cum aliquando
Neroni prœdictum à mathematicis foret, ut impe-
Suetoni. in Cæsarib. rio destitueretur, uocem illam celeberrimam fer-
tur enunciasse: τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει, quò
maiore uenia meditaretur Citharœdicam artem,
Principi gratam, priuato necessariam. Quippe

cer-

certißimum uiaticum est Eruditio. Vnde Antisthenes Atheniensis, ea dicebat uiatica esse comparanda, quæ cum naufragio simul enatarent. Quæ consecutus olim Aristippus Socratis discipulus, cum naufragio eiectus, in oppidum Rhodiensium uenisset, & bonas literas professus esset, munera multa accepit, ut non modo seipsum ornaret, sed etiam eis, qui unà cum eo erant, uestimenta, & cætera quæ opus essent ad uictum, præstaret. Cum autem comites eius in patriam reuerti uoluissent, interrogarentq; eum, quid domum renunciare uellet, iußit Atheniensibus dicere, ut eas possesßiones & uiatica liberis suis pararent, quæ etiam & naufragio unà possent enatare, & ea uera uitæ præsidia æstimarent, quibus neque fortunæ tempestas unquam, neque publicarum rerum mutatio, neque possesßionum uastatio posset nocere. Rectè igitur Plato, qui percontantibus quibusdam, quænam possesßionum genera filijs comparanda præstarent, ea dixit, quæ non grandinem, non uim, non deniq; ipsum Iouem pertimescerēt, Eruditionem intellexit, Nam ut Menander ait: ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς. Quod etiam Abstemij fabula planum facit: Vir, inquit, diues quidam, sed illiteratus, uirum doctum, sed inopem deridebat, quòd ipse sua industria multas diuitias congregasset, cū

Diog. Laer. lib. 6.

Plu. in uita Platonis.

ille qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur. Cui ille: Nil mirum, quum tu opibus coaceruandis, ego uerò doctrinæ comparandæ, quæ longè diuitijs præstat, incubuerim. Hinc inter diuitem & literatum orta contentio, utrum doctrina, an gaza præstantior esset, componi non poterat, quum uterq; multos fautores haberet, sed plures diues. Tandem hoc pacto compertum est, doctrinam gaza præstantiorem esse: Discordijs ciuilibus ambo solum mutare compulsi, quum nihil secum è suis fortunæ bonis ferre potuissent, in aliam urbem se contulerunt, ubi uir literatus magna ad docendum mercede conductus, in magno precio, & honore habebatur. Qui uerò diues fuerat, panem hostiatim petere coactus, inopia confessus est, se sua opinione deceptum. Hinc Philosophus ille cuidam percontanti, qua re differret eruditus ab indocto. Mitte, inquit, ambos nudos ad homines ignotos, & uidebis. Significat sapientem doctum, secum in pectore circumferre, quo se commendet quibuslibet. Proinde si doctum & indoctum pariter nudos mittas in regionem peregrinam, ubi ambo sint æquè ignoti, doctus autem proferens opes suas, protinus rem & amicos inueniet, nudus alter fame periclitabitur.

Er.3. apo.

Quare Principis erit sapientis, bonarum litera-

rum studia, ut cognitu necessaria complecti, non contemnere, uana Gnatonum persuasione seducti, aut ambitioso nimis gloriæ mundanæ curru prouecti, aut dotibus æstuariæ fortunæ momentaneis plus æquo suffulti ac confisi, sed egregia multorum, sapientia præcellentium Ethnicorum exempla sequutus, illa rebus in prosperis ornamentum ac utilitatem, in afflictis, spem ac salutem allatura, sibi certò persuadebit, ac semper animo uersabit: Regibus opus esse disciplina, quòd eos maximè iustitiæ capiat obliuio, qui in imperiorum honorem gloriæue cupiditatem inciderunt. Rectè igitur Alexander ille Magnus inquit: Ἐγὼ δ᾽ ἐ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι διαφέρειν. Ego doctrinæ anteire malim, quàm copijs atque opulentijs.

Cicero 1. Offic.

Gell. li. 20. cap. 4.

CVR ET QVID addiscere Princeps iunior debeat.



Hemistoclis Pædagogus dicere solitus: Nihil mediocre futurus es, ò puer, Nam aut magnum bonum eris Reipub. aut magnum malum. Quibus intelligi uoluit, Iuniorem Principem, si accedat recta institutio, magno bono patriæ futurum, sin educatione praua corruptus, ad uitia degenerarit, illaturum ingentia damna, et ipsißimam inuecturum κακῶν πανηγυρίν. Quod uetus etiam prouerbium approbat: Aut regem aut fatuum nasci oportet. Cum igitur uideamus qua sollicitudine, qua cura, qua uigilantia paterfamilias educat puerũ, unius fundi dominum futurum, longè maiori cura instituendus erit is, qui uel magno omnium bono, futurus sit bonus, aut magno omnium exitio, malus. Quare infantulo, cum se nondum intelligat esse Principem, adhibendus artifex egregius, qui in pectusculum adhuc uacuum ac sequax instillet opiniones principe dignas, muniat optimis de honesto decretis, ostendat discrimen ueri Principis & tyranni, subijciat oculis, quàm propinqua Deo res sit, salutaris Princeps, quàm tetra belua, tyrannus. Admoneat nihil interesse inter piratas & principes, prædonum ac piratarum animo præditos. Inculcet quàm multis hominum millibus, imò quàm uniuerso mundo prodesse queat, si is sapientem ac bonum præstiterit uirum.

Era. in prouerbijs.

Ex Seneca.

uirum. Doceat apud Christianos homines, imperium nihil aliud esse, quàm Reipub. administrationem, non dominium. Breuiter planum faciat, quòd non ortus, non imagines uetustæ, non sceptrum, non diadema, sed animus sapientia præcellens, animus pro incolumitate publica sollicitus, & nihil nisi commune bonum spectans, faciat Principem.

Cæterum cum imperio destinatus, non habeat longa uarios audiendi libros, atque discendi tempora, nec omnes Principi literæ conueniant, poterunt à tradita statim loquendi ratione, duos in scopos Institutionis capita dirigi: Alter sit pietatis, cuius imbibendo semina, Deum omnipotentem, supremum omnium iudicem esse, Regem regnantiũ, dominum dominorum agnoscat, sub cuius imperio Principes omneis terræ mancipia sint, ac opus habentes illius gratia miseri peccatores. Illum igitur ex toto corde discat amare ac timere, quum Ecclesi.1.
principium sapientiæ, sit timor domini, unde prompta sapienter regnandi facultas promanat. Cum in duobus autem tota scriptura pendeat, nempe in Matth.22.
uera (quæ fertilißima semper optimos producit fructus) fide, & non ficta (quæ minimè fastidiosa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ proximi, hoc est, subditorum) charitate, fideliter informandus erit, ut agnoscat, quid Deo Opt. Max. debeat, quid subdi-

tis suis, quorum curam non aliter atque magnus Paterfamilias, ab omnipotente Deo susceperit. Hic non parum situm erit in commoditate dexteriore interpretis, ut breuiter, dilucidè, plausibiliter, ac uiuidè doceat, ea potißimum, quæ ad Principis munus attineant, & ad perniciosißimas uulgarium Principum opiniones refellendas faciant, partim ex nouo Testamento, partim ex ueteri deprompta, cum primis autem Prouerbia Solomonis exponantur, Ecclesiasticus, Liber Sapientiæ, mox Euangelia. Præmoneatur & Heros, ut nec omnia quæ deinceps in sacris Voluminibus uel legerit, uel audierit, continuò putet imitanda. Discat Hebræorum pugnas & cædes ad allegoriam esse uocandas. Et longè aliud permissum pro ratione temporum illi populo, aliud traditum cœlesti Christianorum populo.

Erasmus in Prin. instit.

Alter scopus sit bonarum artium, in quibus fideliter exercitus Princeps, reddetur magis idoneus audiendis ac legendis selectis Ethnicorum libris, hoc præsertim antidoto præmunitus, ut caueat, ne quicquid usquam offenderit, id protinus sibi putet imitandum, sed omnia ad Christi regulam exigenda. Inprimis autem profutura sunt egregia lectionum historicarum exempla, Ethica, Politica, cuius generis pulcherrima Liuius, Cicero, Seneca, Plutarchus, complurima memoriæ prodiderunt.

diderunt, quibus omnia contineri Princeps animaduertet, quæ ad iustam regnorum administrationem desiderauerit, cum pacis, tum belli temporibus. Hinc Alphonsus Arragonum rex, percontantibus utri rei plus debere se fateretur, libris an armis. Ex libris, inquit, & arma, & armorum iura didici, hac uoce profitens, se libris debere omnia. Er.8.apo.

In prædictis igitur, cum solidius fundamentum iecerit Princeps, & iam adultas habenas imperij tractare cœperit, ipse literarum amore captus, libenter, oblata rerum & temporis occasione bonos Autores euoluet, facilè inuenturus, quod boni Principis sit officium, quæ mali uesania. Et ea maximè lectionibus priuatis assecuturus, quæ necessaria correctu, nemo aulicus, uel timore perculsus, uel adulationis lenocinio fractus indicare uoluerit. Vnde prudenter Demetrius Phalareus, Regem Ptolomeum admonere solitus, ut conscriptos de regno, imperioque libros compararet, atque lectitaret. Nam quæ amici non audent reges monere, ea in libris descripta esse. Et diuina scriptura Regem, postquam in solio sederit, monet, ut legis Volumen descriptum habeat, & legat illud omnibus diebus uitæ suæ, ut discat timere dominum deum suum, et tenere legis præcepta. Plut. in apo Deut. 17.

INSTITVTIO
QVAE SAEPIVS AVDIRE, & imis reponere sensibus iunior Princeps debeat.

Erasmus in Prin. instit. & militis Christi.



On semel audiat Christi dogmata, cum primis ad Principem attinere Christianum, qui non tam gemmis, auro, purpura, satellitio subditos antecellere, quàm integritate, prudentia, ac ueris animi bonis debeat exuperare. Animo infigat, Principes Christianos non debere potestatem tyrannicam in suos exercere, sed charitatem, & cogitare, qui maximus, eum ministrum, non dominum esse. Nec his artibus constare Principem, si bellè saltitet, si dextre ludat alea, si gnauiter potitet, si fastu turgeat, si fortunæ strepitu insolescat, si regaliter expilet populum, si cætera faciat, quæ nos pudet referre, sed uerum (ut dixi) Principem æstimandum: modestia, sapientia, animi magnitudine, humanitate, & longo uirtutum, recteq; factorum ordine. Quantopere enim uulgus Principum studet abesse, à cultu uictuq; plebeio, tantopere uerus Princeps debet abesse, à uitijs plebeijs, sordidis opinionibus, ac studijs uulgi, imò hoc solum sordidum, uile, seq; indignum ducat, cum plebecula sentire, cui nunquam optima placuerunt.

QVAM

QVAM EX INSTITVtione recta, bonisq́; studijs commoditatem assecuturus sit Princeps.



Vum (ut Salomon in prouerbijs ait) stultitia sit agnata cordi adolescentis, nemo tā generoso stemmate natus unquam prodijt, qui citra salutarem institutionem, in uirum imperio dignum euaserit. Nemo enim sapiens nascitur, sed fit. Et ut ager quamuis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest, sic quoq; sine doctrina animus. Ita est utraq; res sine altera debilis. Quippe nihil momenti, uel ad bene uiuendum, uel sapienter regnandum, externa generis claritas poterit conferre, sed ea solummodo, quæ disciplinarum insertione prouenit, accommoda prodest, sed ijs potißimum, quos & ingenij uis adiuuat, ac sedula parentum et amicorū diligentia propellit, non quos ubique delicata nimis indulgentia corrumpit, & malus animi Genius retardat. Nam hi præceptoribus etiam sexcentis stipati uix promouerint, ut Commodus Antoninus Imperator, cui tot insignes bonarum disciplinarum magistri nihil profuerunt. Is à prima statim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinosus, ore quoq; pollutus

Prouer. 22

Seneca lib. de ira.

Ci. 2. Tusc. quæst.

Ael. Lam.

& conspurcatus euasit. Et Neronis natura corruptior erat, quàm ut sanctißimus ille præceptor Seneca, potuerit efficere, quominus pestilentißimus euaderet Princeps. Vnde præclarum indolis generosæ, ac boni Principis indicium est, bonas ab ineunte adolescentia disciplinas, honestarumque professores artium amore prosequi, & discendi cupidum esse. Hoc animo præditi sapientes, ubi

Prou. 1. audierint, promouebunt, & cordati industriam consequentur. Contrà, stulti sapientiam & eruditionem aspernabuntur, pluris facturi uel canem, uel equum, uel etiam cercopithecos, quàm optimos eruditionis prouentus. Verum illi, quibus sapientia curæ, plurimas institutionis rectæ beneficio commoditates assequntur.

PRIMO. Virtutis habitum, uitæ autem prauæ desuetudinem, & odium. Quod euidenti Lycurgus Spartanorum ille Legislator exemplo planum fecit. Qui geminos ex ijsdem parentibus catulos suscipiens haud paribus educauit moribus: Alterum enim belluonem, luxuriáque solutum, alterum indagine sagacem, & uenationibus idoneum reddidit. Postea cum aliquando Lacedæmonij in unum locum conuenissent. Ad parandam, inquit, uirtutem, uiri Lacedæmonij, ingens est momentum, consuetudo, disciplina, doctrina, & uitæ institutio, quæ uobis illico manifesta uehementer

Plutarc. de educa. pue.

esse faciam, duos subinde catulos adducens, cum ollam in medio, leporemq; corã eis posuißet, alter quidem in leporem, alter in ollam magno erupit impetu. Cum autem Lacedæmonij nondum quidnam id sibi uellet, coniectarent, aut quamobrem catulos ostentaßet. Hi ambo, dixit, ijsdem orti parentibus, cæterum diuersam uitæ consuetudinem aßecuti, alter gulosus, alter uenator euasere. Sic perperam edocta soboles, in prauos, sed instituta bene, in homines bonos euadunt. Vnde Plato scripsit, Hominem recte institutum, in diuinum quoddam animal euadere, Contrà perperam educatum, in immanißimam quandam degenerare beluam.

SECVNDO. Quamuis rerum copia Princeps adeò præcellat, ut non opus habere uideatur institutione literaria, tamen propter res longè grauiores ea ipsa nullo modo poterit carere. Etenim is, qui beatus albæ (ut aiunt) gallinæ filius, tot maiorum ornamẽtis effulget, cui bonorum Myrmecia, uel domi Gygis annulus, uix in tanta uiuendi uel agendi libertate principatum rectè gesserit, nisi bonis fuerit disciplinis institutus. Indoctus enim à dextra uirtutis uia longè facilius ad latam & molliorem deflexerit, quàm difficiliorem transitu tenuerit, neq; id mirum, cum fortuna

secundior animos efferet, ac stultitiam (iuxta Horatij sententiam) patiantur opes, ut immunis à delicto diues esse non poßit. Adeò ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria uerò ut uicia omnia, sic impietas aduersus Deum nascitur, ut longè facilius

Marci. 10. sit, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnum cœlorum intrare. Abstrahunt enim

Seneca de pauper. à recto diuitiæ, honores, potentiæ, & cætera, quæ opinione hominũ cara sunt, precio suo uilia. In tã uarijs igitur, in quæ diuites ac potentes Heroës incidere solent, discriminibus tentationũ, quis non uideat sanam doctrinam Principibus utilißimam, qua uenenosis blanditiarum laqueis irretitum animum explicare, & innoxium conseruare queant, ne in hoc mundo potentes, diuites, in futuro seculo uilißimi ac miserrimi pauperes sint futuri. Quibus

Era. 7. ap. periculis sana paupertas obnoxia non est, hinc Acesilaus eã cõparauit Ithacæ patriæ Vlyßis, quæ iuxta Homerum aspera quidem, sed bona κουροτρόφος, id est, iuuenũ altrix, dũ eos consuefacit frugaliter & cõtinenter uiuere, ad omnẽ uirtutis functionem exercẽs. Eadẽ ratione motus Diogenes, pau-

Eras. 3. apo. pertatem αὐτοδίδακτον, id est, quæ per se discitur appellauit. Cum diuites opus habeant multis præceptis, ut sanctè uiuant, ut ueterem cum suis affectibus Adamum rerum copia luxuriantem coërceant, ne uoluptatibus frangantur & insolescant

ad

ad interitum. Quæ omnia se ipsam docet paupertas, quæ per seipsam nulli turpitudini cōiungitur. Non enim habet unde luxuriose uiuat, cuticulam plus æquo curet, opes insana iactet, ac ferociat, aßiduò pergræcetur, maschalam deniq; tollat. Si quid tamen horum fecerit, ridicula fuerit, nec probro uituperationeq; uacauerit. Diues igitur heros tanto felicior æstimandus erit, quanto plus eruditionis fuerit assecutus. Concors huic & consentaneum illud Isocratis uidetur esse responsum. Nam cum Gorgias (ut arbitror) percontaretur, an Persarum regem felicem esse putaret, Nescio, inquit, quantum habeat uirtutis ac disciplinæ, per inde ac in hisce, non autem fortunæ bonis persistat beatitudo.

Plu. in cōp. Aristid. & Catonis.

Plu. de lib. educ.

TERTIO. Literarum studia Principibus conferunt, mentis acumen, ac singularem euoluendi libros amorem infundunt, ut ipsi legendo commodū ea percipiant, quæ boni Principis intersunt et quorum aulici cœcutientes nolunt, uel (ut dixi) non audent admonere. Porrò muti magistri nescientes erubescere non conniuent, sed ut dignis bonos Heroas euehunt laudibus, ita sublato metu prauos insectantur, ac dente Theonino rodunt. Quam audaciam non omnes suis in aulis Principes tollerauerint, sed ferro citius gratiam retulerint, & sanguine reputatum læsæ maiestatis crimen expiarint.

rint. Pauci enim similes imperatoris Theodosij,
Pau. Diac. qui cũ à beato Augustino, propter quoddã facinus
libr. 12. de obiurgaretur, & nisi publicè pœniteret, in ecclesi
ge. Roma. am non admitteretur, prohibitionem humiliter pertulit, & satisfactionem non erubescens, indictum ab Episcopo pœnitentiæ modum deuotus excepit. Alij complures similes aliorum, adfectui magis, quàm rationi parentium. In quorum numero
Diog. La. de ui. phil. fuit Cypri rex Nicocreon, qui Menedemum Philosophum ad se uocatum, luxuriosa conuiuia coarguentem, & apparatus superfluos damnantem interficere conatus.

In eodem numero Cambyses rex, quem nimis
Sene. lib. 3. de ira. deditum uino cum Praxaspes, unus ex charißimis admoneret, ut parcius biberet, turpem esse dicens, ebrietatem in rege, quem oculi omnium aurésque sequerentur. Ad hæc ille: ut scias, inquit, quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo iam, & oculos post uinum in officio esse, & manus. Bibit deinde liberalius, quàm aliàs capacioribus cyphis, & iam grauis, & uinolentus, ac uiolentus obiurgatoris sui filium procedere ultra limen iubet, alleuatáque super caput sinistra manu stare, tunc intendit arcũ, cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisoq; pectore hærens in ipso spiculum ostendit, ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum, interrogauit.

gauit. Sic cum Harpagus Regem suum alicuius rei admonuisset, offensus Rex, liberos illi epulandos apposuit, & subinde quæsijt, an placeret conditura. Deinde ut satis illum plenum malis suis uidit, afferri capita illorum iußit. Simili modo Dionysius Tyrannus insanijt, qui Platonem, ut secum loqueretur impulit. Cum autem ille de Tyrannide dissereret, dicens: Non id præstare, quod sibi soli esset utile, nisi & uirtute excelleret. Offensus tyrannus: Verba tua, inquit, ociosorum senum sunt. Et Plato: Et tua, inquit, tyrannidem sapiunt. Ad hæc indignatus tyrannus illum necare uoluit, sed à Dione & Aristemone exoratus tantum flagitium non admisit. Quibus horrendis Tyrannorum exemplis adductus fatearis oportet, utilißimam esse Principibus literarum cognitionem, unde meliores redditi, sponte sua uirtutes amplexabuntur, & autores legendo sua ipsorum uicia agnoscent, ne rudes, omnisq; expertes humanitatis sæuiant in amicos, inq; honestatis admonitores exerceant phalarismum. Plu. in uita Platonis.

QVARTO. Quamuis antiqua generis nobilitate Principes emicent, ab indulgentis fortunæ decoribus præluceant, tamen, ut splendorem istum externũ uera claritate fulgidiorẽ efficiant, utilißimum illis doctrinæ cultum futurũ nemo dubitarit. Cũ igitur τιμὴ πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς id est, Menander

id est, Honor omnibus mortalibus eruditio. Et do-
Ecclesi. 21. ctrina sit ornamentum aureum prudenti, & quasi
Daniel 12. brachiale in dextro, ut etiam docti quasi splendor firmamenti sint effulsuri, procul dubio Principes eruditi pulcherrimis genus ac fortrnas suas ornamentis illustraturi sunt, & maximam inde gloriã autoritatemq; consecuturi, non solum apud suos, sed etiam apud exterarum nationũ Heroas. Quod adfatim experientur, si longinqua peregrinatione suscepta, fines alienos aliquando peragrauerint. Prudentissimum olim (memoriæ piæ) Maximilianum Cæsarem, fauore summo prosequebãtur, & omni dignissimum honore iudicabant omnia regna, idq; solo eruditionis, & qua pollebat, dicendi facultatis nomine.

Sic piæ memoriæ D. Arnoldus Dominus in Eckmont, huius adhuc Caroli uiuẽtis Geldriorum ducis auus, summis, quos ex doctrinæ cultu ceperat, præditus honoribus effulsit. Qui cum ueterẽ quorundam Christianorum consuetudinem asseruando, multis Heroibus ac ducibus alijs, præsertim fratre Guilielmo Domino in Eckmont, comitatus, Hierosolymam iter institueret, solus magno passim honore fuit adfectus: at frater & reliqui, quoniam rudes literarum erant, uulgus indoctum, homines illaudati, & ad pocula Germani fortes iudicati. Eidem Romam uenienti magnificum hono-

Ex D. Ger. Nouiomag.

rem

rem exhibuit Pontifex Max. Paulus Quintus, qui latinam illius confeßionem, & eruditam colloquij facundiam exosculatus, tã expolitum ante omnes regaliter hoſpitem tractauit, cæteris omnibus Germaniæ Principibus prætulit, ſubinde prædicando, ſolum Arnoldum Principem dignum, qui liberis populis imperaret, cum bene, ut qui didicerit, principatum gerere poßet. Hæc Guilielmi fratris animum, præſentem ignorantiæ teſtem occulto uerbere cæciderunt. Vnde reuerſus in patriam, filios omnes ſuos bonis literis imbuẽdos curauit, & Lutetiam mißos, non antè fuit in patriam redire paſſus, quàm in magiſtros (ut uocant) artium euaſißent, Fratris exemplo bonus Princeps licet ſerò, didicit, quanta ſtudiorum gloria, laus & honor. Quare neruos in id omnes intendit, ut diuinis quæ neglexißet ipſe literarum inſignibus exornati liberi, ſuis, atque patriæ ſummo futuri eßent ornamento.

QVINTO. Bona literarum ſtudia ueram & æternam, adeòque ſolam principibus dignam uoluptatem adferũt. Alia quibus capi ſolent, irritamenta læticiæ momentanea ſtatim euaneſcunt, Gaudia enim non remanent, ſed fugitiua uolant. Mart. li. 1. Quod leuius uideretur, ſi fugientia non relinquerent à tergo uenenum. Quippe uoluptas quæ non habet commercium cum uirtute, mentis præſtrin-

Sen. in epi. git oculos, inimica rationi. Oblectamenta enim fallacia, & breuia decipiunt, sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pēsat. Vnde recte Boëtius: Habet hoc uoluptas omnis: Stimulis agit furentes, Vbi grata mella fudit, Fugit, & nimis tenaci ferit icta corda morsu. Hinc Tarentinus Architas ille solebat dicere.

In sen. Nullam capitaliorem pestem, quàm corporis uoluptatem hominibus à natura datam, quòd nullum scelus, nullū facinus magnum eßet, ad quod suscipiendum nō libido uoluptatis impelleret. Quocirca cum blāda sub imagine uoluptates atrox uirus effundant, ac receßuræ plus aloës quàm mellis relinquant.

Era. 7. ap. Aristoteles Stagirides admonere solitus, ut uoluptates contemplemur nō uenientes, sed abeuntes, hoc est, non à fronte, sed à tergo. Venientes enim fucata specie blandiuntur: abeuntes autem pœnitentiam ac dolorem relinquunt. Contrà, uoluptates honestæ, quas literarum (quibus, ut ait Cicero, nihil dulcius est) ocia producunt, ueram semper iucunditatem, et uberrimam suauitatis æternæ delectationem fundunt.

Ci. pro Archia. Res ceteræ neq; tēporum, neq; ætatum omnium, neq; locorum sunt, sed literarum studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectāt domi, nō impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur,

tur, uenantur, militant.

Porrò literas magno Principibus usui futuras, inde existimatu facile est, quòd ad manũ eruditis sit, quo iucundis & honestis, animos suos uarijs negotiorum curis obrutos, subinde queant illectationibus demulcere, Si quidem in conciliabulis non salibus scurrilibus, non in aulis alea, non tesseris animorum laxandorum gratia certauerint, nec se se mutuis, corpora perdentibus & animos, poculis ingurgitarint, sed eruditi lepidissimis historiarum ac rerũ symbolis oblectarint. Et soli etiã studiorum amœnitate sese recrearint, omnia temporis longi tædia discussuri. Etenim docti licet soli, nulla tamen solitudinis tædia sentiunt, nec minus soli & ociosi, quàm cum soli sunt. Vnde magnanimus ille dux P. Scipio Aphricanus dicere solitus: Nunquã se minus ociosum esse, quàm cum ociosus, nec minus solum, quàm cũ solus esset. Quæ uox magno uiro digna, declarat, illũ in ocio fuisse negociosum, & in solitudine secum loqui solitum, ut alterius colloquio non egeret. Nam & hanc utilitatem heroibus studia contulerunt. Vnde Antisthenes Atheniensis rogatus, quid emolumenti cepisset ex philosophia: Vt mecum, inquit, loqui possim. sensit doctos etiam solos, multa suo cum animo tractare posse, nec ullam ijs solitudinem, neque temporis tædiũ esse molestũ. Docti ergo Principes non opus

Cic. 3. offi.

Dio. Lae. lib. 6.

habituri pudendo Morionum & Scurrarum grege, quorum illecebrosis inficetijs, & ridiculo fuco titillati soluantur in risus, cum animis insculptas ipsi gerant ueras delicias, ex bonarum literarum studijs depromptas, quarum una multo magis recreare, & plus ueræ uoluptatis afferre poterit, quàm trecenta scurrarum dicteria. Hinc ueteres Principes literis excultos urbanißimos fuisse legimus, hominum doctorum magis, quàm fatuorum, ac parasitorum consortio delectatos. Testimonio sunt autores multi, qui plurimos Heroũ iocos, & eruditas facetias memoriæ prodiderunt.

SEXTO. Bona studia uirtutes afferunt, & præcipuè summis uiris dignißimas: Comitatem, clementiam ac humanitatem. Vnde rectè Menander: ἅπαντας ἡ παίδευσις ἡμέρους ποιεῖ, id est, omnes eruditio mansuetos facit. Artibus enim ingenuis pectora mollescunt, asperitásque fugit. Et nemo adeò ferus, ut non mitescere poßit, Si modo doctrinæ patientem præbeat aurem. Vnde factum est, ut ueteres humanitatem appellauerint id propemodum, quod Græci παιδείαν uocant, nos eruditionem institutionemq́; in bonas arteis dicimus, quas qui synceriter cupiunt appetuntque, ij sunt uel maximè humanißimi. Tales si Principes fuerint, solidam certè & grandem à subditis suis gratiam iniuerint, non uulgarem omnium (quód non

Ouid. 1. de Ponto.
Horat. 1. Epist.
Gel. lib. 18. cap. 15.

non paruum regni præsidiū) amorem consecuturi. Porrò ualidißimus atque sanctißimus habetur amor ille, quem per uirtutem quispiam à ciuibus & populo sibi comparauerit. Plut. in pol

SEPTIMO. Saluberrimas rebus in afflictis, consolandi rationes & medicamina laborantis animi certißima Principes humanitatis studio consequuntur. Nam iuxta prouerbium: Animo ægrotanti medicus est oratio. Vnde rogatus Aristoteles, quid esset eruditio. Respondit: Inter prospera ornamentum, inter aduersa refugium. Hinc Horatius: Sunt uerba, inquit, & uoces, quibus hūc lenire dolorem poßis, & magnam morbi depellere partem. Quod expertus in bello ciuili M. Tullius Appio Balbo scripsit. Si quam ad incommoda nobiscum ferenda medicinam haberem, tibi quoque eandem traderem: sed est unum profugium, doctrina & literæ, quibus semper usi fuimus, quæ secundis rebus delectationē modò habere uidebantur, nunc uero etiam salutem. Siquidem studia ut optimè felicitatem extollunt, ita facilimè calamitates minuunt. Hinc diuinus Seneca: Alia sunt, inquit, ad exiguum momentum doloris remedia. Itaque illò te ducā, quò omnibus, qui fortunā fugiunt, confugiendum est, ad liberalia studia, illa sanabunt uulnus tuum, illa omnem tristitiam tibi euel-

Dio. lib. 5.

Ep. fa. li. 6

Sen. de cōs. ad Albinā.

Studia humanit

lent. Ad bonas igitur literas reuertamur, tutum te præstabunt illæ, cõsolabuntur illæ, delectabunt illæ, si bona fide animum tuum intrauerint, nunquam amplius intrabit dolor, nunquam solicitudo, nunquam adflictionis irritæ superuacua uexatio. At hic protinus ex indocta nugonum aulicorum turba, germen Arcadium obganniet: Hinc facesse cũ tua cõsolatione literaria, qua Princeps noster opus nõ habet, qui semper Tibicinis, aut sponsi uitam (ut aiunt) potest uiuere, cuius irrepentem fortasse mœrorem cantiones Agathoniæ discutiunt, subortam tristitiæ nubeculam, odore suo propellunt Samiorum flores. Si qua denique nausea, uel tædia, protinus ea leuant Adonidis horti, Cerebella Iouis, Attica bellaria. Verum si mundum hunc ualli lachrymarum, et seculum mari tot funestis fluctuũ tristiorum procellis agitatum, simillimum nõ modò legimus, sed etiam experimur, ut Solon urbes humanarum cladium miseranda septa rectè uocauerit & dixerit, si in unum locum homines cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum aceruo portionem suam ferre mallent, certè principum uita, non semper (ut facie tenus apparet) undique fortunata, nec malorum expers, sed communibus etiam aduersitatibus obnoxia iacet, immo quanto maior fortuna, tanto

Vale.li.7. cap.2.

Ari.8.eth.

minus

minus eſt ſecura. Quanto res ſublimior eucĉta, tan tò grauiori ſubiecta caſui, & quo ſecundior blan dientis fortunæ ſerenitas effulſerit, tanto faciem auertentis obnubilatio triſtior. At minus glorioſum extiterit, neque gratulatione dignum, ſi qui nimiũ fortunati floruerint. Id enim eorum eſt, qui ad mundi principẽ Satanã defecerunt à Deo, mun di, non Dei uiui pacem habentes, uoluptuarijs pecuinarum cupiditatum oblectamentis, & adfectibus ſuis prauis relicti. Sed quem Dominus diligit, hunc caſtigat. Diuus Auguſtinus: Felicitatibus, inquit, terrenis ideo Deus amaritudines miſcet, alia ut quæratur felicitas, cuius dulcedo nõ eſt fallax. Non abſurdè Demetrius ille, nihil infelicius eo dixit eſſe, cui inhil in uita acciderit aduerſi, quòd oporteat talem hominem, aut ſibi ignotum eſſe, aut qui nunquam ſui periculum fecerit, aut dijs inuiſum, ut quem præterierint, uelut ignauum, nec idoneum ad fortunæ conflictum. Quocirca ſancti uiri cum ſibi ſuppetere proſpera huius mun di conſpiciunt, pauida ſuſpitione turbantur. Timent enim, ne hic laborum ſuorum fructus recipiant.

Prou. 3.

De uerbis Domini ſer mone 28.

Ex Seneca

Cum igitur mortalium calamitates, æquè poten tiſsimis atque uiris humilimis impendeant, meritò Principes bonas in literas incubuerint, ex quibus efficaciores multo, quàm ex temporarijs

Grego. 51. moral.

fortunarum delicijs consolationes, ad manum poterunt rebus in aduersis, habere. Argumento sit Demetrius Phaleræus rex, quē exulantem, ingloriū, humilemque Thebis uiuentem, cum Crates conuenißet deq; exilio disseruißet, quòd nihil haberet miserum, neque grauiter ferendum, cum eßet à periculosißimis negotijs & incertis liberatus, simulque adhortaretur, ut in seipso, suóque animo fiduciam collocaret, exhilaratus ille, receptóque animo ad amicos, inquit: Malé sit negotijs & occupationibus, per quas huiusmodi uirum non licuit cognoscere. Et enim dolenti grata amici oratio est. Quòd si Crœsus olim ætate et regno florente, artes ingenuas et præclaras illas Solonis admonitiones auidè fuißet amplexus, plus inde refrigerij cepißet, quàm ex opulentißimo thesaurorum aceruo. Nec Arthemisia Mausoli regis uxor perpetuo mœrore, & æterno luctu contabuißet, si bonis disciplinis imbuta, sententiam illius imbibisset: Aequo animo ferendum, quod uitari non potest. Fata nolentem trahunt, uolentem ducunt. Et:

Plu. de dis. adu. et ami.

Plu. in uita Solonis

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

Hor. 1. epi. 18. & 1. ser sat. 1.

Nec Cleopatra Aegypti regina sibi uoluntariam mortem aspidis ueneno consciuißet, si literarum studio magis olim indulsißet, quàm libidini. Sic forsi-

forsitan erudita hoc aut simili se captiuam fortiter erexisset:

Nemo confidat nimium secundis, Senec. tra. 2.

Nemo desperet meliora lapsis.

Aut illius simule reuocasset in memoriam: Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter accipere. Vnde & in persecutionibus non licet manu propria perire. Vetat enim dominans ille in nobis Deus iniussu hinc nos suo demigrare. Hieron. ad Heliod. Cic. 1. Tus. quaest.

Prudentius igitur uitam suam instituerat Dionysius, qui licet non inferior nequitia (quae summa in doctis pernicies) tamen bonis literis fuit instructior, unde regno pulsus, non desperare, neque fortunam insolenter ferre, sed ex studiorum fructu consolationes petere, & in meliorem spem animos erigere didicerat. Quare cum tyrannide excidisset, interrogatus à quodam, quid sibi Plato philosophiaque profuisset: Vt tantae, inquit, fortunae mutationem aequo animo feram. Plu. in apo. Et Diogenes rogatus, quid ex philosophia lucratus esset, respondit: Si nihil aliud, uel hoc ipsum, quòd ad omnem fortunam paratus sum. Lae. li. 6.

OCTAVO. Salutari disciplinarum institutione Principes assequuntur ingeniorum perspicacitatem, insitam mentibus prudentiam, & ad omnem uirtutem procliuos, omnemque uelut ad honestatis rationem enatos animos, adeò, ut si nulla

lex, nullus infernus, nullum deniq; numen eſſet, tamen quarumcunque conditionum eruditi & ſapientes uiri ſua ſponte nullum flagitium ac nefarium ſcelus eſſent facturi. Vnde Antiſthenes ſolebat dicere: Sapientem non ſecundum conſtitutas leges uicturum, ſed iuxta uirtutis normam. Quod Peregrinus ille Philoſophus approbat, Qui uirum ſapientem non peccaturum eſſe dicebat, etiamſi peccaſſe eum dij atque homines ignoraturi forent. Non enim pœnæ aut infamiæ metu non eſſe peccandum cenſebat, ſed iuſti honeſtique ſtudio & officio. Philoſophi quatuor ponunt ſpecies perturbationum, quæ Græci πάθη uocant, hoc eſt, concitatos animorum turbidorum motus, dolorem, metum, ſpem, lætitiam, quibus hominum uulgus, ut procelloſum mare fluctibus inquietatur. Tormentorum aut infamiæ metu non committuntur latrocinia, nec furta, neq; alia flagitia deſignantur. Eadem ſuſcipiuntur, perficiendi ſpe, uel cõmodorum expectatione. Et, Mali ſit ſpes cælandi, miſcebunt ſacra prophanis. Spartanus ille Glaucus, depoſitum utilitatis propriæ cauſa, primò negauerat, mox deorũ metu, & pœnarum formidine reſtituit Mileſijs. Quod hiſce uerſibus eleganter Iuuenalis ſcripſit:

Gel. lib. 12. cap. 11.

Cic. in Tuſ. Quæſt.

Horati. in epiſt.

Hero. li. 6.

Iuuenalis ſaty. 13.

> Spartano cuidam reſpondit Pythia uates,
> Haud impunitũ quondam fore, quod dubitaret
> Depoſitum retinere, & fraudem iure tueri,

Iurando,

Iurando, quærebat enim quæ numinis esset
Mens, & an hoc illi facinus suaderet Apollo.
Reddidit ergo metũ, non morib. sed tamen omnẽ
Vocem aditi dignã templõ, uirumq; probauit.
Extinctus tota pariter cum prole domoq;.

Atqui sapientes et docti propriæ uirtutis instinctu nõ peccant. Etenim sua spõte, nullis externis impulsi rebus ea faciũt, quæ iusta leges alijs præscribunt.

Oderunt peccare boni uirtutis amore. Hor. 1 epi.

Vnde rogatus Aristoteles, quid ex philosophia lucratus esset: Hoc, inquit, ut iniussus ea faciam, quæ plerique per legum metum faciunt. Quippe uulgus legum præscriptis arcetur à peccando. Doctus autem rationem, atq; è studijs collectam, infixamq; pectori pietatem pro legibus habet, faciens quod rectũ est, etiamsi nõ iubeat, imò si nulla esset, aut uniuersa flammis absumpta foret. Vnde percontanti Dionysio quid eximium haberent philosophi præ cæteris hominibus, respondit Aristippus: ut etiam si omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter sint uicturi. Sed literarum rudes ac maliciosi, solis prohibiti legibus, & infernalis pœnæ metu deterriti, flagitiosis inceptis aliquando absistunt, tyrannidẽ non exercent, plebem non expilant, urbes et agros igni & ferro non uastant. Persarum regis Cubiculario peculiariter hoc negotij mandatũ erat ut diluculo ingressus, regi diceret: Surge rex atq; Diog. Laer. lib. 5. Plu. de doct. principis.

cura

cura negocia Reipub. Sed docti & boni Principes admonitore non opus habebunt externo, sunt enim sibijpsis monitores, cordibus insculpta gerentes, quæ uellant aurem, et admoneant omnis officij atq; iustitiæ. Porrò quemadmodum apud Senecam Ariston ait: Insano frustra præcipi, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo se gerere in publico, quomodo in priuato, nisi prius atram bilem expuleris: ita frustra moneas de ratione gerendi principatus, nisi prius expulsa ignorantia, & discußa pectoris caligne, sanctæ fuerint infusæ doctrinæ, & impreßi uirtutum stimuli.

NONO. Sæpißimè Principibus usuuenire solet, ut dare responsa, sententias dicere, ad fortiter agendū suos adhortari, ad interrogata respondere, Ius dicere, honores mandare, beneuolentiam colligere, res gestas oratione defendere cogantur, ijs ergo non solum utilia, sed omnino literarum studia necessaria fuerint, quibus instructi, dicenda tacendaq; noscant, ne rerum ignari pueriliter ineptientes, ridiculi fiant, & occulti materia risus, atq; sub orituri contemptus. Porrò Principum uerba, uelut Apollinis oracula solent ab omnibus excipi, quæ si futilia, & concha (ut aiunt) digna fuerint, furtim naso populus suspendet, ac à tergo Ciconia pinset. Erasmus igitur rectè: Ex oratione, inquit, certius quàm ex amictu Principis animus cognoscetur.

Erasmus in prin. instit.

ſcetur. Spargitur in uulgus, quicquid ab ore Principis fuerit exceptum. Proinde ſummam oportet eſſe curam, ut ea quæ loquitur uirtutem ſapiant, et mentem bono Principe dignam præ ſe ferant. Quas etiam ob cauſas ſolitus Diogenes dicere, ſæpius in uita parandum λόγον ἢ βρόχον. Laer. li. 6.

Dictis igitur atque compluribus alijs ſimilibus rationibus adducti iuniores Principes artibus ingenuis libenter incumberent, in Platonis ingenij & doctrinæ Principis ſententiam diſceſſuri. Qui Plato de re
tum denique ciuitates, atque Reſpub. beatas fore pub. lib. 5.
iudicauit, ſi aut docti, aut ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut qui regerent, omne animi ſtudium in doctrina & ſapientia collocaſſent. Proinde non in caſſum Diogenes ille ſolitus eſt dicere: Diog. li. 2.
Vnicum eſſe bonum, ſcientiam, Malum contrà unicum: inſcientiam, quòd illinc rerum humanarum felicitas, hinc certa calamitas impenderet. Vnde Ad Demon.
rectè ſcripſit Iſocrates: Exiſtima, inquit, diſciplinas multis eſſe pecunijs præſtantiores, Iſtæ quidem citò deficiunt, illæ uerò per totum tempus permanent. Sola enim poſſeßionum immortalis ſcientia. Nec malè Cyrenaicus Ariſtippus: Melius eſſe, dicebat fieri mendicum, quàm indoctum: quòd ille tantum pecunijs egeat, hic humanitate, atque iudicio. Cæterum non difficiles inuentu ſunt homines barbari, qui prædicta grauißimorum autorum

præ-

præconia floccifacientes, ex animo uelint omnes bonos libros cum scriptoribus omnibus è medio sublatos, & ad internitionem ferro & ignibus absumptos. Cuius peruersitatis unica causa est ignorantia, quam Eruditio solam habet inimicam. Porrò si uotorum (id quod Deus omen auertat) isti compotes fierent, ac bonæ literæ, quæ Dei Opt. Maxi. dona sunt, ad illustrandum hunc mundum, ac homines, cœlitus demissa, penitus extinguerentur, tum cahos illud antiquum redire, & cœlum, (ut aiunt) terræ, terram cœlo uideas misceri. Quid enim aliud esset ingenuas è mundo disciplinas tollere, quàm de cœlo solem auferre. Omnia enim essent æterna caligne obscurata, & cuncta iacerent in tenebris, nisi literarum lumen accenderet. Ergo bono iure Diogenes Eruditionem omnibus hoc sermone commendabat, quòd diceret eam iuuenibus adferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornamentum, propterea quòd ætatem suapte sponte lubricam coërceat ab intemperantia. Senectutis incommoda honesto solatio mitiget, Diuitum fortunas exornet.

Cic. p Arc.

Eras. 3. apo

CVR HEROVM FILII à bonis literis potissimum abhorreant.

AD


D uoluptatem à labore naturalis illa procliuitas, et mollior educatio, quam indulgentiam uocamus, faciunt, ut generosi pueri, iocularibus, quibus assueuerũt, oblectentur magis, quàm rebus serijs & utilibus, neq; id mirum, cum iudicij & rationis expertes, nondum intelligere, nec indagine consequi studiorum commoda poßint. Remotis igitur magistris ad ingenium redire, & quæ plausibilia magis, et iucunda, percepto faciliora capessere solent. Hinc Flaccus ait:

Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq;, et aprici gramine cãpi,
Cereus in uitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris.

Accedit quòd ab initio, literæ plus aloës (ut aiunt) quàm mellis habere uidentur. Quocirca solitus Aristoteles dicere: Studiorum liberalium amaras radices, fructus autem dulces esse. Et olim uel his causis commoti, uel parentum uicijs corrupti iuuenes bonas literas exploserunt, ut lege lata Lycurgus impendentibus malis succurrere fuerit coactus, & omnes ciuitatis iurium expertes denunciare, qui puerorum institutionem neglexissent. Sed qui felicioris indolis sunt, & naturæ dexterioris, sua sponte, ad bonarum literarũ studia feruntur, difficultate rerum nulla deterriti. Diog. li. 5.

Noue-

Nouerunt enim nullum ignauia decus parari, Callem uirtutis arduum esse, Deorum munera laboribus uendi, Et quæ pulchra, difficilia fore. Proinde cum res quidem pulcherrima sit bonum Principem præstare, ac sapienter imperium administrare, sed longè difficilima, non pigebit eius rei gratia Principem iuniorem bonis literis, uirtutum genitricibus operam impendere non uulgarem.

DISCRIMEN ERVDITI Principis, & indocti.



Vemadmodum rationis ac uirtutum capacitate præstant homines animantibus reliquis, ita Principes eruditi reliquos antecellunt sola literarum ac uirtutum gloria, non potestatis, aut diuitiarum affluentia, cum illa summo in precio cuncti Sapientes habuerint: hæc autem, ut non uera bona plurimi contempserint, in suo (quod aiunt) regno satis diuites uisi. Et inter plebeios satis opulenti reperiantur, magis fortasse quàm Principes in hac parte fortunati, cũ tranquilliores illi genialiter uiuere possunt, hi negociorum turbis obruti, quo diuitiarum plus habent, tanto plus in mille rerum usus, in tot hominum capita cogantur indies expendere. Adde quòd di-

Isoc. ad Nicoclen reg.

*) Typo [illegible]

uitiæ etiam improbis affluant, & bipedum opes etiam nequißimis contingere queant. Vnde Solon ille sapiens inquit:

Multi ditãtur improbi, Probi aũt pauperes fiunt, Verum nõ permutabimus, Diuitijs uirtutẽ quidem Quoniam hoc stabile est perpetuum, Illud mutatur Aliàs aliter sese habet. (tempore. Plu. in uita Solonis.

Cum autem ueræ diuitiæ non opes sint, sed uirtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum diues fiat. Bernhard. serm. 4. Et aurum & argentum uerè terra sit rubea & alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat preciosam, boni Principis fuerit, in id iugiter incumbere, ut ueris animi dotibus, non bonis fortunæ, præluceat alijs, & cogitare: Non habere aurum præclarum uideri, Ci. de sene. sed his qui habent bene posse imperare. Quod ex literarum ac uirtutum studijs solum parari potest. Quæ cœlestia munera, atque adeò uera bona sola faciunt homines hominibus non modò superiores, sed etiam beatiores, ut æquitate, probatis moribus, sanisque mentibus præditos, multis, ut aiunt, Diog. li. 2. parasangis uulgo præcurrentes. Vnde rogatus Aristippus, quò differrent docti ab indoctis, quò equi, inquit, domiti ab indomitis. Quemadmodum equus indomitus ad omnem usum incommodus est, ob inscitiam ac ferociam, ita qui rapitur affectibus, quos bona domat institutio, ad omnem

uitæ consuetudinem inutilis. Hinc & Plato rogatus, quidnam inter peritum et imperitum interesset. Quod inter medicum, ægrotumq; respondit. Et Aristoteles quò docti à rudibus differrent interrogatus: Quò uiuentes inquit, à mortuis. Nam sine doctrina uita est quasi mortis imago.

Plut. in uita Platonis: Diog. li. 5. Cato.

PRINCIPVM ET HEroum maximorum status & conditio.

VVlgus indoctum, et multorum illa capitum belua persuasum habet, magnos Principes in regno suo, uelut in amœnißimo quodam Paradiso uiuere, ubi dijs atq; hominibus plaudentibus bonorum glomi, & (ut dicitur) Datyli dies, ubi omnia, quæ ad delitias atq; uoluptates pertinent, uirgula (ut aiunt) diuina suppeditentur. Atqui iuniores Principes longè aliter sentiunt, disciplinarum beneficio certiores facti, quòd terræ Principibus omnibus ac regibus grauis æquè labor & crux, ut plebeijs hominibus à Deo Opt. Max. sit imposita, atq; adeò, ut facile discretu fuerit, utra maior ac durior. Non enim exigui negotij res est, sapienter imperare, proferre uirtutum pomœria. Criminibus omnibus uiam præcludere. Neminem iniustè per potentiam opprimere, sine acceptione

perso-

personarum inter uirum & proximum suum indicare, aduenis & pupillis & uiduis defensorē esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, parricidas & peierantes uiuere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negocia constituere, senes, & sapientes, & sobrios consiliarios habere, iracundiam differre, patriam fortiter defendere, cuncta aduersa patienter tolerare, filios non sinere impiè agere, oppressam plebem liberare, pro Reipub. commodis iugiter inuigilare, et in id incumbere, ne alicubi rationis deliret amußis. Et imprimis prospicere, ne officiarij iustitiæ prætextu sæuiant, aut fucatis titulis subditos expilent. Hæc & consimilia Principum atque Regum sunt officia, quibus si non diligenter responderint, grauißima damna sunt accepturi, & animarum, procul dubio, iacturam facturi. Quod ad animi iudicium, si paulo perspicaciores reuocaremus, certè nostra sorte contenti libenter cum Aesopico uiueremus asino. Qui quum uideret equum alimonia delicata saginari, ocio indulgere ac diligenter curari, aureo freno ephippioque insignem, & purpureis redimitum phaleris, illum longè beatiorem prædicabat, quòd optimis continuè cibis uesceretur, & splendido amiciretur ornatu, se autem præ illo

Ex Augustino de 12. abusionū gradibus.

infelicem deplorabat, qui clitellis malè dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur, & cum multum laboraßet, uix haberet, quibus famem eximeret paleas. At ubi belli tempus ingruit, miles armatus in equum insiluit, in gyros flexit, & calcaribus instigatum, medios in hostes immisit, ubi uulneribus multis confectus, propè succubuit. Quem cum uidit asinus sanguinolentum pugna redeuntem, præ illius infelicitate, se felicem appellabat, & uicē illius dolens longè melius eße dicebat, quotidiano labore durum uictum quæritare, et turpiter uestiri, quàm post optimos & delicatos cibos, & tantos ornatus, grauißima uitæ discrimina subire. Sic alius quidam inuidebat Porco, quòd omnis laboris expers, uarijs nutriretur cibis, indiesque pinguior fieret, ipse autem plurimum laboris sustinens, duris paleis aleretur, unde macilentus effectus, uix ingredi, uel oßibus hærere poßet. Sed ubi uidit porcum ad lanienam trahi, aliquantulum recreatus: Atat, inquit, hinc illa in nutriendo porco hominum diligentia. Sic nos, qui maximorum Heroum uitam felicißimam eße putamus, Asinos Aesopicos imitati nostras mutaremus sententias, si cōtemplaremur labores ac pericula, quæ Reip. gratia Principes sæpius adire coguntur. Etenim munus illorum est, non solum Reipub. præsentem statum tueri, uerumetiam multis laboribus florentiorem

Ex Abstemij fabulis.

tiorem

tiorem reddere, plurimum oportere perſpicere, qui plurimis proſpicere, plurimum ſapere, qui uniuerſis conſulere uolunt. Breuiter, infinitas ſubditorum ac pauperum cauſa moleſtias ac labores ſuſcipere atque perferre. Et ſua morte, ſi fors ita tulerit, populi commodis conſulere, atque Reipublicæ mala in ſe transferre. Quod in uotis erat Furio Camillo, qui precatus, ut ſi cui Deorum nimia populi Romani felicitas uideretur, ſuo aliquo ſaciaretur incommodo, ut ait Valerius. Quæ omnia perpendens, Rex Seleucus ſubinde dicere ſolitus fuit: Si multi ſcirent, quantum ſit negocij, tantum modo tot in regnis epiſtolas ſcribere & legere, nec humi proiectum diadema tollerent. Item rex ille ſubtilis iudicij, quem ferunt traditum ſibi diadema, priuſquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe, ac dixiſſe: O nobilem magis quàm felicem pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat, quàm multis ſolicitudinibus, & periculis, & miſerijs ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere uellet. Et olim Dionyſius, quàm beata potentißimorum uita eſſet, oſtendit. Nam cũ quidam ex eius aſſentatoribus Damocles commemoraret in ſermone copias eius, opes, maieſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretq́; unquam beatiorem quenquam fuiſſe. Vis ne igitur ò Damocles

Era. 8. ap.

Vale. li. 7. cap. 2.

Cic. 5. Tuſ. quæſt.

quoniam hæc te uita delectat, ipse eandem degustare, & fortunam experiri meam? Quum ille cupere dixisset, collocari iußit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo magnificis operibus picto, abacosq; complures ornauit argento, auroq; cælato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iußit consistere, eosque ad nutum illius intuentis diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitißimis epulis extruebantur. Fortunatus sibi Damocles uidebatur. In hoc medio apparatu, fulgentem gladium è lacunari seta equina, aut tenuißimo filo appensum demitti iußit, ut impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat ad mensam, iam ipsæ defluebant coronæ. Denique exorauit Dionysium, ut abire liceret, quòd iam beatus nollet esse. Quibus ostensum est, Potestates omnes excelsas uarijs casibus ac periculis pluribus subiectas esse. Rectè igitur Seneca: Omnium, inquit istorum, quos incedere altos uides, bracteata felicitas est. Inspice & scies, sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali iaceat. Hinc est quòd Ethnicorum Theologi finxerint atram illam silicem lapsuram semper, & cadenti similem, illorum potißimum capitibus imminere, qui in principatu summo

Epi. lib. 21. epi. 115.

Macro. de som. Sci. li. 2, cap. 10.

cogunt

coguntsubiectum uulgus odisse, dum metuat. Olim Crœsus ditissimus, cum aperuisset thesauros suos, & cæteram supellectilem, ac magnificentiam regiam Soloni ostendisset, rogassetq; num quem alium hominem se beatiorem uidisset. Tum Solon nihil adulans respondit, se nouisse Tellum, Cleobim & Bitonem homines obscuros, sed bonos atq; pios longè feliciores. Quod uerum ipse rex captus à Cyro Crœsus postea comprobauit. Quis igitur illos suauiter ac beatè uitam exigere censuerit, qui tot negociorum assiduò procellis obruti, qui tot nunciorum, tumultuum, legatorum, querelarum, ac iniuriarum molestijs affecti, ut ubiq; laborum mare circumsonet, & uix ad aures quidem (ut aiunt) scalpendas ocium supersit. Quippe: Plu. in uita Solonis. Plut. de disc. adu. et ami. Sene. tra. 8.

Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumúe sui tenuere diem,
Alia ex alijs cura fatigat,
Vexatq; animos noua tempestas.
Non sic Lybicis syrtibus æquor
Furit alternos uoluere fluctus,
Vt præcipites regum casus
Fortuna rotat: metui cupiunt,
Metuiq; timent: non nox illis
Alma recessus præbet tutos:
Non curarum somnus domitor
Pectora soluit.

Quod expertus Arragonum ille rex Alphonsus, cui cœnanti cum senex quidam importunus & garrulus sine fine obstreperet, exclamasse fertur, & dixisse: Asinorum conditionem esse potiorem, quàm regum. Nam illis dum pascuntur dominos parcere, regibus neminem. Quæ sapientes omnia Principes si diligenter expenderent, certè regnorum suorum finibus contenti, nouis amplioribus nunquam inhiarent, cum quo maior & populosior ditio fuerit, tanto maiores quoque curarum æstus, & uariæ, quæ seriò pensiculatæ regnorum adfectationem cohibuerint, rationes exoriuntur.

Brd. 8. apo

PRIMO. Quàm ingens onus humeris sustineant, qui uerè Principes acturi gubernacula rerum susceperint, non ignorant qui nouerunt quàm difficile sit (ut dictum est) bene imperare, qui sciunt, quanta rerum moderatores opus habeant prudentia, ne temerarij & priuatas, & Respub. in graue discrimen adducant. Qui denique intelligunt, quanto uirtutum ordine reliquos antecellere debeant, quibus imperant. Quippe ut oculi est uidere, aurium audire, narium olfacere, ita Principis est, populi commodis consulere. At non potest alia re consulere, quàm sapientia. Ea si careat princeps, non magis consulet Reipub. quàm oculus uidebit excœcatus. Quocirca bono iure Cyrus ille maior solitus dicere: Neminem debere suscipere princi-

Erasmus in prin. instit.

principatum, nisi melior ac sapientior his, in quos susciperet, Sentiens hoc esse Principis unicum munus, alijs prospicere, & publicis consulere commodis: id autem non potest, nisi qui sapientia, uigilantia, animiq; integritate cæteris antecellit. Hoc uero non præstat natiuitas, sed instructio recta, & rerum usus, nec insignia fastuosa, neq; strepitus aulicus. Hinc est, cur Solō dicere solitus: ἄρχε πρῶτον μαθὼν ἄρχεσθαι. Tūc rege, cū primū didiceris regi. Impera, sed cum imperium ferre addidiceris. Era. 5. ap. Dio. Laer. lib. 1.
SECVNDO. Tanta regnandi libidine non traherentur, si perpenderent uerum Principem sibi non licentiosam uiuendi rationem, nec tyrannicā legibus abutendi potentiam arrogare licere, sed à legibus, quarum ipse conseruator & exactor est, ne latum (ut aiunt) digitum discedere debere, cum principatus nihil aliud sint, quàm nitida quædam ministeria. Quod agnouit rex Antigonus, qui conspiciens filium suum eos, in quos habebat imperium, ferocius tractantem, atq; insolentius: An ignoras, inquit, fili regnum nostrum esse splendidam seruitutem? Nihil dici potuit cordatius. Nam Princeps non minus obseruire cogitur populo, & æquitati, quàm populus Principi & legibus, nisi quòd Princeps id facit cum dignitate. Alioqui re uera mutua seruitus est. Hinc illud Homericum prouerbium: Consulendum, et consilijs parendum. Et Aga Era. 8. ap. Hom. Il. 2.

Ad Ia. Cæ. petus: Tibi, inquit, ipsi custodiendi leges impone necessitatem, quum non habeas in terris, qui te poßit cogere. Sic enim tum legum prætereferes cultū ipse ante alios eas reuerendo: tum subditis constabit, legum præuaricationem periculi non esse immunem. Cæsar Augustus legem tulerat de adulteris, quomodo iudicandi eßent de hoc crimine delati, & quomodo puniendi conuicti. Pòst iræ impotentia irruit in adolescentem delatum, quòd cum Iulia Augusti filia commercium habuißet, eumq; ma-

Plu. in apo. nibus uerberauit. At cum adolescens exclamaßet: Legem tulisti, ô Cæsar, adeò facti pœnituit Cæsarem, ut eo die recusaret cœnam capere. Crimen licet per se graue erat, tum admißum in Cæsaris filiam, tamen Heroi doluit exacta non secundum legem propriam uindicta. Sed quis Principum nostratium ibi dolori suo temperaßet, aut ibi legum iudiciorumq; moras expectasset? At tantus Princeps sibi adeò displicuit, ut à se ipso pœnas sumpserit, quòd legi, quam alijs prodiderat, nō per omnia paruisset. Verum quis principi iustius imperauerit, quàm Lex, quæ omnium regina, mortalium & immortalium, ut ait Pindarus. Porrò cæterarum artium optima quæque difficilima, sed nulla neque pulchrior, neque difficilior, quàm bene regnandi: quam ignorantes magistratui gerendo non idoneos eße, Rex Agesilaus indicaturus, Xenophon-

Plu. de do. princ.

Bre. 1. apo

nophontem illum ſapientem, quem apud ſe magnì nominis habebat, iußit, ut filios ſuos accerſeret Athenis Lacedæmonem docendos, artem omnem pulcherrimam, uidelicet imperare, & parere imperio. Athenienſes putauit ſcire, quæ recta eſſent, ſed nolle facere, Apud eos quidem florebat omnium liberalium diſciplinarum genus, ſed illam artem cæteris omnibus præſtantiorem exiſtimabat nuſquam melius diſci, quàm apud Lacedæmonios, ubi non uerbis diſputabatur de bene adminiſtranda Repub. ſed ciuium moribus honeſtißimæ rei exemplum exprimebatur. His adiungere poteris Ageſilaum, quem ideo ſubditis commodißimum fuiſſe regem tradunt, quòd ad imperandum non prius acceſſerit, quàm bene imperare, & imperio obſequi didiciſſet. Cic. in Sen. Plu. in uita

TERTIO. Regnorum adfectatores ad imperia plura, ſuam in poteſtatem redigenda, tumultuoſos nunquam adijcerent animos, ſi conſiderarent Principem Dei quoddam ſimulachrum eſſe debere. Quippe, ut Deus eſt optimus, cui bonitas hoc præſtat, ut omnibus prodeſſe uelit. Sic Principem Dei uicarium oportet ſubditis commodum eſſe, non quæ ſua, ſed quæ ciuiũ ſunt, quærere, omnibus deniq; (ſi modò uelit Archetypo ſuo reſpondere) præditũ eſſe uirtutibus, ad quarũ æmulationẽ extimulẽtur ſubditi. Quo pernicioſius Ci. de le. 3.

de

de Rep. merentur uitiosi Principes, quòd non solum uicia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitates, neq; solũ obsunt, quòd illi ipsi corrũpuntur, sed etiam quo corrumpunt, plusq; exemplo, quàm peccato nocent. Etenim non solum malorum abstinentia iustificat potentem, sed bonorum operum æditio coronat illum. Non igitur solum abstinere malicia cogitabit, sed egregia etiam uirtutum ædere facinora contendet. Quãtũ enim potestate cæteris antecellit, tantum bonis operibus emicare debet, persuasißimum habens, eam à se postulari honestorum operationem, quæ magnitudini potestatis respondeat. Sic memoriæ proditum legimus, Themistoclem, cum ad Remp. animum appulisset, decentius sese geßiße, compotationibus & comeßationibus abstinuiße, uigilijsq; multis se maceraße. Sic in magistratu, qui (ut aiunt) uirũ demonstrat, Periclen, rationem uiuendi mutaße, & compositum os atq; uultum aßumpsiße, quòd considerent, populi multitudinem, salutaribus exemplis pellectum facilius in officio contineri poße. Quippe idem in regno, quod in nauigatione contingere solet. Nã si quispiã nauta modicũ errauerit, affert nauigantibus nocumentũ. At si gubernator ipse delirauerit, totius efficit nauigij perniciẽ, & in eo rerũ omnium iacturã. Sic in ciuitatibus, si quispiam ex subditis peccet, Non tam Rempublicam quàm

Agapetus.

Plu. in pol.

Agapetus.

seipsum

ſeipſum lædit. Sin uero ipſe Princeps, uniuerſæ inſert Reipublicæ detrimentum. Is igitur, ut nõ exiguam redditurus rationem, ſi quid neglexerit eorum, quæ facto opus ſunt, cum exquiſita diligentia, & dictitet cuncta, & factitet. Nã quanto quiſque maior eſt, tanto eius dicta factaq; ſunt conſpectiora, illuſtrioraq;. Et ut inquit Satyriographus:

Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe Iuu. ſat. 8.
Crimen habet, quanto maior qui peccat habe-
(tur.

Principi ergo, qui in dilucido mortalium conſpectu uiuit, in quem oculi omnium conijciuntur, cuius in clariſſima luce uerſantis, nullum obſcurum poteſt uel dictum, uel factum eße, circumſpectius, cautius, & ſanctius uiuendum eſt, ut eius uita pro ſpeculo ſit contemplantibus. Et profecto non parum multa priuatis permittuntur, quæ minimè Principem deceant, imò quæ Puincipem dehoneſtent ac indecorent. In quam ſententiam eſt illud ab Ouidio in Conſolatione ad Liuiam decenter proditum:

Non eadem uulgusq; decent, & limina Regum,
Eſt quod præcipuum debeat eße domus.
Ad te oculos, auresq; trahis, tua facta notamus.
Nec uox miſſa poteſt Principis ore tegi.

Concinit ſubſcribitq; Naſonis carmini luculenta illa Claudiani, & memoratu & ſcitu digna ſententia.

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palàm, nec posse dari regalibus usq;
Secretum uicijs. Nam lux altißima facti
Occultum nihil esse sinit, latebrasq; per omnes
Intrat, & obstrusos explorat fama receßus.

Porrò nullius pestilentiæ, neque citius corripit, neque latius serpit contagium, quàm mali Principis, cum Principis uita sit in conspicuo, ut latere neque at. Aut igitur omnium bono bonus sit, neceße est, aut magna cum sua, tum omnium pernicie malus.

Erasmus in prin. inst.

QVARTO. Insatiabilis regnorũ adfectatio facilè deferbuerit, si ante oculos positum fuerit, in quanto discrimine Principũ fortuna fluctuet. Quãto cum onere ac solicitudine, summus sit honor cõiũctus, Quàm spinosa, quàm plena curarum, ac periculorum uita potentium, quàm denique breuis uita potentatus omnis, ut Cæsar ille rectè dixerit: Conditionem Principum miserrimam eße. Vbiq; timentur insidiæ, proditoriæ fraudes, doli, seditiones, inimicitiæ, uenena. Vix audent proferre pedem, nisi magno stipati satellitio. Non cibum capere, nisi Chironomon aliquis prægustauerit. A quibus omnibus liberum uulgus ac securum. Nulla enim aconita bibũtur fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumes gemmata, & lato Setinum ardebit

Eccles. 10.
Sue. in Fla. Domitian.
Iuue. sa. 10.

In auro. Poßum in qualibet parte urbis incedere, sine timore, quamuis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius. Principi in sua pace armato uiuendum est. Nostros motus pauci sentiunt, prodire nobis ac recedere, ac mutare habitum sine consensu publico licet, Principi non magis, quàm soli, latere contingit. Quocirca quisquis affectat Principis munus, is aut stultus sit necesse sit, qui non intelligat, quàm solicita, quamq; periculosa res sit, rectè fungi Principis officio: aut adeò uir malus, ut in animo habeat sibi gerere imperium non Reip. Aut adeò socors, ut non expendat onus, quod suscipit. Quarum rerũ omnium magnitudine Cæsar Augustus olim deterritus non semel de deponẽda imperij mole cogitauit. Et fecißet, si nactus fuißet, in cuius humeros citra publici status perniciem, onus potuißet reclinare. Illum enim diem lætißimũ cogitabat, quo magnitudinem suam exueret. Et rationibus iisdẽ impulsus Ludouicus olim Lantgrauius, oblatã imperij Romani molẽ recusauit, literarũ ignorantiæ prætextu, cũ ingenij dotibus & animi præsentia uir eßet, qui Principum omnium fluctus potuerit uel solus compescere.

Sen. lib. 1. de clement.

Erasmus in Prin. inst.

Suetonius in Cæsarib.

Seneca de uitæ bre.

Fran. Iren.

ITEM, Syriæ rex Antiochus, à L. Scipione ultra Taurum montem, imperij finibus submotus, cũ Asiam prouinciam uicinasq; ei gentes amisißet, gratias agere po. Ro. non dißimulãter tulit, quod

Val. li. 4. cap. 1.

Ci. in orat. pro Deiot.

quòd nimis magna procuratione liberatus, modi- cis regni terminis uteretur. Intellexit uir prudens unius hominis animum, quantumuis uigilantem non posse tot negotijs parem esse, ut ait Erasmus in apo phthegmatis.

POSTREMO. Nulla summæ dominatio- nis cupitæ suspicio, maximis ne per somnium qui- dem incideret hominibus, si mente conciperent, ac præmeditarentur, Imperium ita gerendum esse, ut facilè gesti queat ratio reddi. Futurum, idq; breui, ut rationem exacturus sit is, apud quem nihil pro- fuerit Principem fuisse, nisi quòd tanto rigidior fu- turus sit, quanto maius potestatis perperam admi- nistratæ concreditum talentum. Vnus licet aliquis sit totius orbis monarcha, tamen nec illum exacto- rem, nec fallere poterit, nec effugere, nec terrere, nec corrumpere. Cogitarent igitur, quàm capita- lis ex alto ruina, quàm seuerum iudicium supremi iudicis in eos futurum, qui hic sese in honoribus & potestatibus usurpandis, cæteris anteposuerunt.

Erasmus in prim. instit.

Mors quidem æqua est omnibus mendicis iuxta ac regibus. At post mortem iudicium haud æquum est omnibus, in quo cũ nullis seuerius agetur, quàm cum potentibus. Quibus, qua mensura suis fuerint mensi, eadem metietur Deus, apud quem non est per sonarum respectus. Quocirca Iustinianum Aga- petus admonet, ut talem se præstet erga famulos,

Ronan. 2.

qualem ergà ſe Dominum futurum exoptet. Nam ut audimus, inquit, audiemur: ut reſpicimus reſpiciemur, à diuino cunctaq; obtuente aſpectu. Priores igitur nos miſericordiæ miſericordiam conferamus, ut par pari recipiamus. Sicuti exquiſita ſpecula, tales monſtrant uultuum apparentias, qualia ipſa ſunt Archetypa, nitida uidelicet nitentium, triſtes triſtantium: eodem pacto iuſtum Dei iudicium noſtris actionibus adſimilatur, qualia enim ſunt, quæ à nobis præſtantur, talia ipſe nobis par pari referens, exhibebit.

Ergo uel cæco manifeſtum eſt, Principum (quibus animarum longè charior eſt ſalus, quàm ueſana regnandi libido) conditionẽ longè minus, quàm facie tenus appareat, amœnam ac beatam eſſe. Quare qui non leues Chriſtianorum Principum officijs fungi uoluerint, adfatim ad manus habebunt, in quibus ſe uiros oſtendant, uitam Chriſtiano Principe dignam uicturi.

Fuerunt magni Proceres, qui pietatis exercendæ ſtudio, magnos principatus reliquerint, & inuoluti cucullis, in horrida monachorum habitacula conceßerint. At proferendæ uirtutis cauſa neceſſe non erit, ut Princeps Chriſtianus in uarias monachorũ, quaſi Proteus, ſe figuras transformet cum amplus ſatis in ipſo Regni ſplendore campus ſit, in quo ſe poßit ad ſatietatem exercere, Mona

chorum ac monialium turba, noctu surgit, ad preces antelucanas, & nocturna sacra facienda. Et Principi ad negocia Reip. procuranda noctu surgendum: οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα, id est, Non decet Principem solidam dormire noctem. Etenim Principi uigilandum, ut subditis altum dormire liceat. Quid enim non uigilandum ei, cui tot hominum milia, cui tãtæ negociorum moles commissæ sunt? Vnde cuidam percontanti, num esset ociosus Dionysius senior: Absit, inquit, ut hoc mihi unquam accidat. Sensit turpißimum regi, uacare unquam à Reipub. negocijs. Vbi sunt igitur, qui bonam diei partem alea, nugisq; transigunt?

Hom. Il. 2.

Era. 5. ap.

Porrò, ut gubernatoris est, clauum tenendo regere nauigium solertia atque prudentia, cum interim uectores persæpe ludant, cantitent, comessentur, ociosi rerum omnium. Ita Principis est, clauũ Reip. uigilantia et cõsilio moderari, prospicere, ne uspiam periclitetur, & impingat, cum interea ciues et subditi ocio perfruantur, et colant genialia, de principe illud meritò concinentes: In te domus omnis inclinata recumbit. Quocirca satis constat, principatum nequaquã rem undiq; delectabilem, aut inertem esse, uel ignauam, sed ualde laboriosam, nec ocio et animi relaxatione fluentẽ, sed molestijs, curis, uigilijs inquietam, cuius faciem amœnam

Phil. Bero. de opt. stat.

nam et amabilem forinsecus qui hiantes cõtemplantur, laborum interiorum amaritudinem non uident. Quòd si Virgilius non sine iudicio fingit Aeneam ubique uigilem ac laboribus obrutum, unde quæso Principi Christiano sit ocium, totos fallendi dies, imò perdendi maximam uitæ partem, alea, choreis, uenatibus, morionibus, & his etiam nugatioribus nugis? Atqui prudentiores olim Principes ethnici, graues officiorum suorum rationes cõtemplati, multum uigilare, nõ inerti solebant ocio torpescere. Quod Alexandrum Magnum factitauisse legimus, qui ænea concha supposita, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteã, ut cum neruorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum. Et Iulianus (qui noctes item ad officia diuiserat tripartita: quietis, Reip. et Musarum) absq; instrumento, quoties uoluit, euigilauit, & nocte dimidiata, semper exurgens, non è plumis, uel stragulis sericis ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete, & ξυσίσα, quam uulgaris simplicitas Susurnã appellauit. Et Augustus Cæsar ob ingentes curas sæpe maximam noctis partem ducebat insomnem. Quare cum Equite Romano quodam defuncto, compertum esset, illum tantum habuisse æris alienũ, ut summa ducenties mille nummûm excederet, idq; dum uiueret, cælauerat. Quum igitur res illius auctio-

Erasmus in prim. instit.

Am. Marcel. lib. 16.

Macrob. Sat. lib. 2. cap. 4.

ni subijcerentur, ut ex pecunia creditoribus satisfi eret, Augustus iußit sibi emi culcitram illius cubi- cularem, ac mirantibus hoc præceptum: habenda est, inquit, ad somnum mihi conciliandum illa cul- citra, in qua ille tanto ære alieno obstrictus, so- mnum capere potuit. Proinde cum in summo principatu summa difficultas sit ac periculum. Et nihil (ut Diocletianus ait) æquè difficile, quàm bene imperare. Solomon ille Rex sapientißi mus laudatur, cui cum integrum esset optare quic quid uellet, protinus accepturus quicquid petisset, non optauit plurima regna, non opum uim, nō exi tium inimicorum, non insignem famæ gloriam, nō uoluptates, sed sapientiam: neq; quamuis sapienti- am, sed eam, qua poßet regnum sibi creditum cum laude administrare: Ego, inquit, sum puer paruu- lus, ignorans egressum et introitum meum, seruus tuus in medio populi infiniti. Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare poßit, & discernere inter bonum & malum. Ethnicus item rex Philippus Alexandrum filium adhortabatur, non ut diuitias congereret, aut imperium extende ret, sed ut auscultaret Aristoteli, cui traditus erat instituendus, daretque operam philosophiæ: Ne, inquit, multa committas, quæ feciße nunc pœnitet. Perspexit egregius Princeps, neminem philoso- phiæ expertem regno idoneum eße, sed eum, qui

Fla. Vopis. in Aurelia.

3. Reg. 3

Erasmus 4 apo.

bo-

bonis literis excultus ad id accesserit, cui modò mens adsit integra, uix poterit infeliciter regnare, uel ab honesto deflectere. Vbi sunt interim, qui literas ac philosophiæ studium clamant ad Rempublicam administrandam prorsus inutile? apud eos fortasse, qui deteriores Ethnicis, desidiosam ac delicatam in principatibus uitam quærunt, & usurpant, quibus, utilitatis unica propriæ, nulla subditorum cura. Qui omnia imperij negocia reijciunt in officiarios, & uix ullas molestias extremis digitis attingunt. Qui calidis (ut aiũt) balneis teneri, de nullis omnino rerum duriusculis occupatiunculis audire uolunt, audentes iurare ideo se natos, ut diuitiarum ac gloriæ cõmodis perfruantur. Dormitur ergo in medios dies, mox ad ientaculum, quo uix peracto iam interpellat prandiũ, Sub id alea, laterũculi, sortes, scurræ, moriões, scorta, lusus, inficetiæ. Interim una atq; altera merenda, Rursum cœna, post hanc repotia, nõ una per Iouẽ. Et quoniam iucũda rerum est uicißitudo, accedũt iocosa certamina, equestres ludi, aucupia, uenationes. Atq; ad hunc modum citra ullũ uitæ tædiũ clabuntur horæ, dies, menses, anni, secula. Sed an ea ratione perueniatur ad cœleste regnum, illi uiderint: Exitus acta probabit. Verũ si non omnino temere est (ut aiunt) quod uulgò dictitant, nõ abs re natum uidetur illud Germanicum prouerbium: Eras. in moria,

Es ist ein Fürst wol so seltzam im himel / als ein hirtz in eins armen mans küchen. Hoc est, Vt pingues ferinæ raræ sunt in culina pauperis, ita princeps rara auis in cœlo, coruo quoq; rarior albo. Quapropter è principum re fore duxerim, si aliquādo meminerint huius Germanicæ cātionis

Vff alle gwaltig pracht das datum setzen /
Täglich aller wollust sich ergetzen /
Allzeit jagen / spielen / sauffen / fressen /
Armer leut / vnd alles ampts vergessen /
Treibt fürsten / vnd groß Herren schnell /
Durch Gottes straff in pein der hell.

Hoc est:

Anchora sacra cui fastus pomposus habetur,
Alcinoi syluæ, pontificumque dapes,
Aßiduiq; placent ludi, uenatio, thermæ,
Ebrietas, socijs concomitata suis:
Pauperis interea subiecti cura popelli
Nulla subit, regni functio recta sui,
Hunc stygio miserè deuotum Heroa barathro,
Iustior æterno puniet igne Deus.

DE POTESTATE Principum.



N *nonnullis Principum aulis sunt, qui eiusmodi quædam ad aures dominorum occinunt: Quid etiam gratiosißime Domine hæsitas? An*

te

te Principem esse oblitus es, qui legibus (quæ solum modo pertinent ad homines plebeios) nullis obstrictus, regnas? An non ius est, quod tibi placuit? Tua celsitudo maior legibus. Regum est non ex præscripto, sed ex animi libidine uiuere. Quicquid usquam tuorum quisquam poßidet, id omne tuum est. Tibi liberum donare uitam, liberum eripere. Tibi fas est, addere rem, cui uisum sit, fas est ubi uelis adimere. Alia alijs uicio ac laudi uertuntur. Tibi nihil non honestum, nihil non laudi futurum. Vis tu philosophastris istis ac scholasticulis, præpostera Rempub. sapientia turbantibus, auscultare? Facessant isti, & hominibus priuatis, sacerdotibus, monachis dogma suum inculcent. Quibus exitialibus adulatorum cantilenis aures præbuit impurißimus Cæsar Sextus Nero, cuius ut perditißimi nebulonis supplicio, non debuit una parari simia, nec serpens unus, nec culeus unus, ita dignum (ut aiunt) patellæ nactus operculum, qui cum nihil flagitiorum sibi non permitteret, elatus tanto rerũ successu, dicebat: Neminem Principum ante ipsum scisse quid sibi liceret. Et Antoninus Caracallus, cuius nouerca Iulia pulcherrima, cum quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixissetq; Antoninus: Vellem, si liceret, respondisse fertur: Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito

Er. in pan. ad Phil. re.

Iuue. sat. 8.

Ex Aelio Spartiano.

furor inconditus ad affectum criminis roboratus, impias nuptias celebrauit, quasi sciret, se leges dare, cum uerè solus prohibere debuisset.

Ex. Sueto. Simile portentum hominis fuit C. Caligula Cæsar, qui se nihil in natura sua probare dicebat, quã ἀδιατρεψίαν, id est, inuerecundiam. Qui Antoniæ auiæ, pro sua autoritate monenti, ut quædam secus ageret, prudentius habenas Imperij tractaturus: Memento, inquit, mihi omnia in omnes licere. Hoc ueneno imbibito tyranni nihil non patrant, sua potestate turpiter abutendo. Vnde percontanti, quo pacto Dionysius amicis uteretur, respondit Diogenes: ut uasculis aut utribus, plenos suspendit, inanes abijcit, significans Tyrannum sua quærere, omnia pro libidinis instinctu agere, diuites occidere, pauperes negligere.

Dio. Laer. lib. 6.

Contrà, docti & prudentes Domini licet aliquando tartareis palponũ aulicorum stimulis ad maleficia impellantur, concessis tamen imperij sui uiribus nunquam abutuntur, habentes aures cum Homerico Vlysse cera obturatas ad omne carmen quod dulce solum aulicis, sed miseris subditis & lugubre & funestum. Vnde rex Macedonum Antigonus, quodam, qui eiusmodi Aulicorum ingenia bene referebat, dicente: Omnia Regibus honesta iu staq; esse, Sunt, per Iouem inquit, Barbarorum duntaxat regibus: At nobis ea duntaxat honesta sunt,

Plu. in ap.

sunt, quæ honesta sunt, & ea tantum iusta, quæ iusta sunt. Grauiter repulit adulatricem uocem, uolentis omnia licere regibus. Non enim rex est honesti iustiq; regula, sed honesti iustiq; minister. Atq; utinam similes uoces, simili seueritate reijcerent Christiani Principes, & animis reuoluerent, ordinatas à Deo Opt. Max. potestates esse, non ad omnium libidinũ supplementa, uel tyrannidis patrocinia, sed ad iustitiæ solius conseruandæ præsidia. Tanto igitur castigatior in Principe libido debet esse, quanto potest esse liberior. Hinc enim dicti principes, quòd (ut inquit D. Greg. 11. Moraliũ) principentur cogitationibus, id est, omnes adfectuum prauorum impetus constringant. Sic à rectè agendo uocati Reges, quòd rectè faciẽdo regale nomẽ obtineant, amittant peccando. Quocirca Princeps ne sibi putet licere, quicquid libuerit, quod stultæ mulierculæ, & (ut dixi) adulatores solent Principibus occinere, uerum ita semetipsum instituat, ut non solum libeat, nisi quod licet, immo ne hoc sibi licere, credat, quod licet priuatis. Nam quod in alijs error est, in Principe flagitium est. Quo sibi plus licet per alios, hoc minus ipse sibi permittat, oportet, & hoc in seipsum sit seuerior, quo magis indulgent alij. Ipse sit sibi censor acerrimus, etiam cum applauserint omnes. Vnde rectè Isocrates ad Nicoclen Regem: Ne animum, inquit, in ducas tuum,

August. lib. 5. de ciui.

Isido. lib. 3. de sum. bo.

Erasmus in Prin. instit.

alios decere, honestè uitam agere, regibus immodestè uiuendi relicta licentia: sed ea sis temperantia, ut exemplum rectè uiuendi constituas, compertum habens urbium mores, prorsus ad similitudinem componi Principis. Argumentum uerò rectè gubernati regni hoc est, si subditos uideas locupletiores redditos, ac uehementer modestos tua cura atq; diligentia. In omnibus igitur quæ egeris, in mentem subeat, te non tyrannũ, sed Regem esse, curaq;, ne quid indignum tanto honore gesseris. Et Claudianus ad Theodosium:

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurret, mentemq; domet respectus honesti.

Quibus præceptis tam salutaribus multi tyranni non acquiescētes potestate sua turpiter abusi sunt, & sibi nihil non permittendo, generis sui nobilitatem fœdißimis criminibus conspurcarunt. Hinc Diogenes dicere solitus: Nobilitatem malitiæ uelamenta esse. Et Socrates profari: Opes & nobilitates non solum nihil in se habere honestatis, uerum & omne malum ex ijs oboriri. Quod confirmant tyrannicæ uoces:

Lae.lib.6. Diog.li.2.

Hoc uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Iuue.sa.6.

Et, quibus nullas pestilentiores Seneca putat esse: Oderunt, dum metuant. Me mortuo terra misceatur igni, imò me uiuente. Item: Vtinam populus unicam ceruicem haberet. Item: Mementote parendum

Sene.lib.2. de clement.

rendum magis nobis, quàm suadendum. Sed quaeritur quae res tyrannos faciat, Primum nimia licentia, deinde rerum copia, Amici praeterea improbi, satellites detestandi, aulici uel stulti uel detestabiles & quod negari non potest, rerum publicarum ignorantia, cui patrocinatur adulatio, cuius impulsu fit, ut quae solent in humilibus accusari, eadem in potentibus excusentur. Unde rectè Iuuenalis: Vale. li. 9. cap. 5. Fla. Vopis. in Aurelia.

Alia turpis, Turpe & adulterium mediocribus haec eadem illi Saty. 11.
Omnia cum faciant, hilares nitidiq; uocantur.

Item:

At uos Troiugenae uobis ignoscitis, & quae
Turpia cerdoni Volesos Brutosq; decebunt.

QVINAM PRINCIPATVS diuturni ac stabiles permaneant.

Duabus potissimum rebus imperia fulta permanent stabilia: Sapientia uidelicet ac beneuolentia. Sapi. 6. Etenim concupiscentia sapientiae deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ò Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Diligite lumen sapientiae omnes, qui praeestis populis. Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum. Et rex sapiens populi stabilimentum est.

Regnum

Erasmus in prin. inst.

Regnum quod uirtute administratur, & beneuolentia, non solum quietius & iucundius est, uerum etiam diuturnius & stabilius. Quòd si canes, equos, & feras beluas facilius oblectamento cicures feceris, quàm plagis, longè profectò facilius tuos (sine quibus nullum regnum poßidebis) populos beneuolentia tibi perpetuò deuinxeris, quàm effera crudelitate. Non enim frustra scriptum est: Beati mites, quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ. Item. Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Quocirca qui longo tempore desiderauerit imperare, trãquilli & diuturni regni captus amore, Phalaridis (ut aiunt) principatum non imitetur, necesse erit, sed beneuolentiam, quæ amicitiæ fons à natura constitutus, amplectatur, et ante omnia studeat ab omnibus haberi charus, id exploratum habens, quòd parui momenti regna, & aliarum Rerump. gubernacula, diutissimè permanserunt, in quibus popularis multitudo beneuolè tractata est. Hinc illa laudata Biantis Prienæi sententia: Ciuibus placere omnibus stude. Habet enim id multum gratiæ. Contrà, fastus & superbia, semper nocuit. Quippe ut nobilitate Cecropen, ut felicitate Polycratem, ut opibus Crœsum, ut copijs Xerxen, ut uictorijs C. Cæsarem, ut triumphis Pompeium præcedat et exuperet Princeps, nihil tamen maius dare

Math. 5.

Psal. 36.

Cic. in Lel.

Isoc. ad Nicoclen reg.

Diog. li. 1.

Erasmus in pandect. ad Philip.

re

re possint superi, quàm communem populi fauorem, & amorem ciuium, quod diuturnum & inexpugnabile regnorum propugnaculum. Vnde Claudianus: Non sic excubiæ, non circumstantia pila, quàm tutatur amor. Hunc assequetur, qui beneuolus imperauerit subditis, non aliter ac pater filijs, præceptor discentibus. Nonne pessimus pater est, qui aßiduis plagis liberos etiam ex leuissimis causis crudeliter exercet, contra illud: Nolite ad iracundiam prouocare filios uestros, sed educate illos disciplina & correptione Domini. Nonne Busyride crudelior præceptor, qui discipulos excarnificat, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus hæserit. Certè non minus Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Alexander laudatus ab Herodiano, quòd annis quatuordecim ἀναίματον, hoc est, citra sanguinem gesserit imperium, ne uno quidem occiso, Neminem aliquis illo imperante cõmemorare potest, cui mors indemnato sit illata. Quippe remißius imperanti, melius paretur. Ferina est rabies, sanguine gaudere & uulneribus, & abiecto homine, in syluestre animal transire. Nullum ex omnibus magis, quàm regem ac Principem clementia decet. Quæ uirtus magnis uiris decori & gloriæ. Natura pestifera uis est, ualere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis, fun-

Senec. li. 1. de clement.

Herodian. lib. 6.

fundataq; est, quem omnes tam supra esse, quàm pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum, ac uniuersorum quotidie experiuntur. Hoc procedente, non tanquam portentosum atque noxium aliquod animal è cubili prosiliat, diffugiunt subditi, sed tanquam ad clarum ac beneficum sydus certatim aduolant, obijcere se pro illo mucronibus insidiantium paratißimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubijs muniunt, latera obiectt, circumfusique defendunt, in currentibus periculis se opponunt. Quid igitur pulchrius, quàm imperare, et uiuere optantibus cunctis? Quis huic insidias struere contendat, qui mansuetus Princeps ac clemens fuerit? sub quo iustitia, pax, securitas, dignitas florent, sub quo opulenta ciuitas, copia bonorum omnium abundat. Quòd si olim, apud Ethnicos, ijs diuini decernebantur honores, qui moderatè ac sapienter gesßissent imperia, quanto magis Christiani Principes, in astra tollentur à Christiano Populo iugiter ad Deum Opt. Max. preces fusuro, ut tam salutare mansueti sui Principis imperium diu fortunatum & stabile perduret. Romani quondam uirtutis acuendæ gratia, facinoribus præclaris insignes, ac omnibus beneficiorum generibus excellentes uiros Deos fecerunt, aut Dijs genitos prædicaue-

uerunt. Id quod Alexandro Magno, Scipioni Aphricano, Octauio Augusto, cum'q; his alijs compluribus euenit. Hinc illud:

Romulus et Liber pater, & cū Castore Pollux Hor. 2. epi.
Post ingentia facta, deorum in templa recepti,
Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandas'q; tuum per nomen ponimus aras.

Quod etiam Cicero de natura deorū secundo probat, inquiens: Suscepit uita hominum, consuetudoque communis, ut beneficijs excellentes uiros in cœlum fama, ac uoluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber. Lactantius li. 1. ca. 15. Id si Gentiles fecerunt, certè Christiani populi suos uirtute (quæ cultrix omnis humanitatis, & conseruatrix) conspicuos Principes, non inferiore prosequentur amore, & officiorum studijs. Hæc de bonis Principibus, quibus regnantibus, ut subditi florent ac fortunati sunt, sic è contrà quum efferi atque impij dominantur, gemit ac luget populus. Proue. 29. Et ut mansuetorum regna stabilia, sic tyrannorum sedes non diuturnæ, iuxta illud Ecclesiastici decimo: Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Item undecimo: Multi potentes oppreßi sunt ualde, & gloriosi traditi in manus alterorum.

rum. Item Prouerbiorum 12. Euertentur impij, & non erunt: at iustorum domus durabit. Et Prouerbiorum 14. Domus impiorum euertetur, sed tabernacula iustorum florebunt. Brachia peccato-
Ps. 36. rum conterentur, confirmat iustos Dominus. Breuiter, nulla Tyrannis tam munita fuit, quæ diu constiterit. Exemplo sit Dionysius, quem propter tyrannidem populus oppressus oderat cane peius & angue. Cæsar Caligula quum aduersus cunctos
Eutro. li. 7 ingenti auaritia, libidine, crudelitate sæuiret, interfectus in palatio est, anno imperij sui quarto, mense decimo, die octauo. Aulus Vitellius graui sæuicia famosus, interfectus, & magno dedecore tractus per urbem Romam publicè nudus, stercore inuolutus, imperij mense octauo & die uno. Dies me deficeret, si nebulonum potentißimorum inconditam fecem omnem producere tentauero, quorum turpißima uita uiuendi rationem abrupit, ut uerißimè responderit Thales Milesius interroganti: Quid difficile, Tyrannum inquiens, ui-
Diog. li. 1. disse senem? Errat & desipit ergo ualde, qui stabiles imperij fines & tutos existimat sine bonitate, qua exclusa, potentia tyrannis est. Etenim non sunt adamantina imperij uincula illa, quæ Dionysius tyrannus dictitabat: Metus, uiolentia, classis, præsidium decem militum armatorum, sed bene-
Ad Iust. Cæ uolentia, gratia, bonitas, innocentia. Rectè igitur

Agapetus:

Agapetus: Existima, inquit, tum demum te tutò regnare, quum uolentibus imperas. Quod enim inuito animo subijcitur, seditionibus fluctuat capta occasione. Quod uerò uinculis beneuolentiæ regitur, stabilem seruat erga rectorem obedientiam. Ergo si honore, qui ab omnibus proficiscitur, perfrui uis, præsta te communem omnium benefactorem, nihil enim adeò attrahit ad beneuolentiam, ut beneficij gratia. Quod enim ob metum præstatur obsequium, non integrum est, sed fucatum. Et qui metu adactos poßidet, non totos, sed dimidiatos poßidet. Hinc crede mihi, magno satellitio nudatur, qui fauore populi destituitur. Multos timeat oportet, qui timetur ab omnibus, & tutus esse non potest, quem maxima pars hominum cupiat extinctum.

Porrò rerum omnium nec aptius est quicquam ad opes tuendas, ac tenendas, quàm diligi, nec alienius, quàm timeri. Præclarè itaq; Ennius: quem metuunt, oderunt, quem quisque odit, perijsse expetit. Multorum autem odijs nullas opes posse obsistere, sæpius est cognitum. Malus enim est custos diuturnitatis metus: contrà, beneuolentia fidelis est, ad perpetuitatem. Adde, quòd qui se metui uolunt, à quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi, necesse est. Quid enim censemus illum superiorem Dionysium, quo cruciatu timoris angi Ci. 2. Offi.

ſolitum, qui cultros metuens tonſorios, candenti carbone, ſibi adurebat capillum. Quid Alexandrum Pheræum, quo animo uixiſſe arbitramur, qui (ut ſcriptum legimus) quum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum ueniens, barbarum, & eum quidem, ut ſcriptum eſt, conpunctum notis Threicijs, diſtricto gladio iubebat anteire, præmittebatque ex ſtipatoribus ſuis qui perſcrutarentur arculas muliebres, & ne quod in ueſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum & ſtigmaticum putaret, quàm coniugem. Nec eum fefellit opinio. Ab ea enim eſt ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. Nec uerò ulla uis imperij tanta eſt, quæ premente metu poßit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, teſtis Demetrius, teſtes mille alij tyranni. Qui odioſi ueneno, gladijs, & tam multis petiti periculis, quàm multorum ipſi periculum fuerunt, neq; id immeritò.

Senec. 1. de clement.

Nihil enim Deo & hominibus inuiſius tyranno, in quem ea lex erat, quæ nunc eſt in lupos, aut urſos. Quod etiam Diogenes innuit, qui à tyranno interrogatus, è cuiuſmodi ære potißimum oporteret fieri ſtatuas: Ex eo, inquit, ex quo fuſi ſunt Harmodius, & Ariſtogiton, indicans tyrannum tollendum eſſe, quòd illi tyrannicidæ fuerint. Non malè Iuuenalis inquit;

Eraſm. in prin. inſtit.

Eraſ. 3. ap.

Ad

Ad generũ Cereris, sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges, & sicca morte tyranni.

Et Græci homines Deorum honores tribuebant ijs uiris, qui tyrannum necauerunt. Hi cantibus & carminibus propè ad immortalitatem, & religionem, & memoriam consecrabantur. Quippe tyrannorum genus pestiferum, atque impium, ex hominum communitate uidebatur protinus exterminandum esse. Etenim, ut membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic istam in figura hominis feritatem & immanitatem beluæ à communi tanquam humanitate corporis segregandam. Quapropter Cato senior sapienter admonebat, ut qui potentes essent, parcius uterentur sua potestate, quo semper uti possent, sentiens potentiam clementia comitateq; fieri diuturnam, ferocia breuem. Sed Ethnicorum illæ certa de capitibus tyrannorum decreta fuerunt. Atqui Christiani non habent similia decreta, quorum est omnem ab impijs illatam iniuriam ferre patienter, magistratui etiam malo, in omnibus, quæ non contra Deum sunt, obtemperare. Vnde diuus Petrus: Famuli, inquit, subditi sint cum timore dominis, non solum bonis & humanis, sed etiam prauis. Christus ipse afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut inse-

Cicer. pro Milone.

1. Pet. 2.

quereremur uestigia ipsius, qui peccatum non fece-
rat, nec inuentus est dolus in ore illius, qui cum ma-
ledictis incesseretur, non remaledixit: cum malis
afficeretur, non minabatur. Sed tradidit uindi-
ctam ei, qui iudicat iustè, qui dicit: Mihi uindicta,
Deut. 32. Vltio mea est, ego retribuam. Nobis cogitandum,
Roma. 12. propter peccata nostra nos à malignis affligi. Nos à
peruerso magistratu pro meritis nostris crudeliter
raptari. Nobis ad malum malas res plurimas (per
mittente Deo) se adglutinare. Quippe in manu Dei
Eccles. 10. potestas hominis est. Et cor Regis in manu Do-
Proue. 12. mini, sicut flumina aquarum, quorsum uolet incli-
nabit. Iam si pij fuerint subditi, pium consecuturi
sunt Principem: sin impij, impium, quem aliquan-
diu sinit pro libidine tyrannidem in suos exercere,
tantisper dum populus pœnitentia ductus, ad deum
se conuerterit, & ille facinorum suorum præmia
receperit, flagellatorum flagellum ignibus tarta-
reis absumendum. Quocirca qui malum rectorem
Gregor. super Iob. patitur, Deum non accuset, quia nimirum sui fuit
meriti, peruersi Rectoris subiacere ditioni. Cul-
pam igitur magis accuset operis, quàm iniustitiam
gubernantis, Dominus dominantium, inquit: Dabo
Reges in furore meo. Hinc Tamerlanes Scytha-
rum Rex rogatus, quid tantum sæuiciæ indulgeret,
& quòd nulli esset exorabilis, nullis precibus fle-
cteretur, toruo aspectu respondisse dicitur: An tu

me

ne hominem esse putas, & non Dei iram potius, ad hominum perniciem in terris agentem? Attamen sciat Rex, quòd sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, primatum habiturus est.

Sabel. li. 8. de crudeli. August. de 12. abusionum gradibus.

QVID NOBILITAS.



Nobilitas est quædam maiorum claritas, & laus ueniens de meritis parentum. Sed ea natiuum decus suum in filijs amittit, si parentum uirtutibus non responderint. Vnde Diuus Chrysostomus Homelia 5. Nobilitas, inquit, uel bonitas cognatorum non ualet, nisi fuerimus nos ipsi boni. Etenim uita maiorum, quanto præclarior est, tanto posterorum socordia flagitiosior. Quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio uilis, quem mores adornant? Ipse enim se uacuum omnibus bonis ostendit, qui gloriatur in patribus. Non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus, sed uirtus. Hinc Iuuenalis Satyra octaua:

Tota licet ueteres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est, atq; unica uirtus.

Qua carens qui genus laudat suum, aliena laudat.

Ari. 2. rhe: Boet. 7. cō. li. præfa. 6.

Salustius in Iug.

Chryso. in Matth.

Sene. 5. epi. ultima.

Sen. in Hercul. fur.

Ouidius in Metam.

Nam genus et proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra uoco.

Apuleius. Eras. 8. ap.

Si laudas igitur aliquem, quia generosus est, parentes eius laudas. Quippe qui nihil aliud habet, quàm maiorum imagines, opinione nobilis est uerius, quàm re. At qui uirtute præditus est, unde manat etiam illa uulgaris nobilitas, germanam ac natiuam habet nobilitatem. Rectè igitur Petrarcha Dialogorum libro 1. Alieno gloriari, ridiculosa est iactantia. Auorum merita nepotum degenerantium notæ sunt, nec aliud posterorum maculas aperit, quàm maiorum splendor ac gloria. Sepe alteri commodum uirtus alterius tulit: Veram laudem, nisi de proprio sumpseris, ab alio non expectes. Quòd si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est, qui prædicantur. Atqui splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quòd si quid est in nobilitate bonum, id arbitror esse solum, ut imposita nobilibus necessitudo uideatur, ne à maiorum uirtute degeneret. Rectè igitur Chrysostomus: Ille clarus, inquit, ille sublimis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, qui dedignatur seruire uicijs, & ab eis non uult superari. Et Cocceius Nerua Imperator, Virtutem hominis, non genus, & patriam spectari oportere existimauit. Nec malè Themistoclem ferunt Seriphio cuidam in iurgio respondisse.

Chry. sup. Matth:

Ex Dione Caßio.

Ci. in Cato. maiore.

disse, cum ille dixisset: Non eum sua, sed patriæ gloria splendorem assecutum. Non Hercle, inquit, si ego Seriphius essem, ignobilis: nec si tu Atheniensis esses, clarus unquam fuisses: significans, se propria uirtute, non aliena nobilitatum. Sic Imperator Iphicrates sutore natus Harmodio, prisca nobilitate prætumido, generis probrum per conuitium obijcienti: Meum, inquit, genus à me habet originem, tuum in te desinit. Quod imitatus Cicero in Salustium: Quòd si, inquit, res gestæ, & uita innocentissimè acta, Scipionibus & Metellis fuit initium nominis & dignitatis, cur non æquè de nobis existimetur, cuius & res illustres, & uita integerrimè acta? quasi uerò tu sis ab illis uiris, Salusti, ortus: quòd si esses, nonnullos iam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus uirtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Tu tuis uita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras, ut etiam si fuerint egregij ciues, certè uenerint in obliuionem. Et aduersus eos, qui maiorum imaginibus, aut diuitijs nobilitatem metiebantur, Antisthenes solitus dicere: Τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς, τοὺς καὶ ἐναρέτους, id est, Qui uirtute præditi sunt, eosdem nobiles esse: habent enim id unde uera nascitur nobilitas. Atqui imagines, in atrio exponunt, et nomina familiæ suæ longo ordine

Eras.5.ap.

Era.7.ap.

Sene.lib.3. de benefic.

ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ae diu collocant, nothi magis quàm nobiles sunt. Hinc C. Marius, se proprijs uulneribus ac uirtutibus, non alienis imaginibus gloriaturum dicebat. Et Horatius obscurus genere, nobilitatus autem studijs atq; uirtutibus de se scribit, inquiens:

Plu. in uita Marij.

Me Libertino natum patre & in tenui re
Maiores pennas nido extendisse loqueris:
Vt quantum generi demas, uirtutibus addas.

Vt ergo Rubellium Plancũ (qui superbus alto Drusorum sanguine tumebat) quasi fecerit ipse aliquid, propter quod nobilis esset, naso Iuuenalis suspendit: ita fastuosi Thrasones, qui uentres ignauißimi, nihil aliud nouerunt, quàm auos & proauos dicere, cariosaq; maiorum insignia paßim ostendere, sunt deridendi. Vnde Regem Nicoclen admonet Isocrates, ut relinquat statuas, quae uirtutis sint monumenta magis, quàm staturae corporis. Sed utinam hodie multos uidere sit, quibus si maiorum ornamenta, regios habitus detraxeris, & aduentitijs nudatos bonis, ad suam cutem redegeris, iam nihil relinquas, praeter egregium aleatorem, inuictum potorem, acrem expugnatorem pudicitiae, uaferrimum impostorem, insatiabilem expilatorem, periurijs, sacrilegijs, perfidijs, omnique facinorum genere coopertum hominem. Rectè igitur Frontinus ille, qui uetuit sibi extrui monumentum

Iuue. sa. 8.

Erasm. in prin. instit.

Eras. 8. ap.

mentum his uerbis: Impensa monumenti superuacanea est, Memoria nostri durabit, si in uita meruimus. Innuens eos Principes uerè nobiles & æternos fore, qui bene regnando nomen immortale sunt consecuti. Et rex Agesilaus, cum Græci decreuissent illi, in quibusq; clarißimis ciuitatibus honoris causa statuas erigi, rescripsit illis hunc in modum: Mei nulla sit imago, neque picta, neque ficta, neque ullo alio artificio parata. Si quod præclarum facinus geßi, hoc erit monumentum mei. Sin minus, ne omnes quidem statuæ, uilium opificum opera, mei memoriam illustrabunt: admonens Principem, qui uerè clarus uideri uelit, ne ostentet sculptas, aut coloribus adumbratas imagines, in quibus si quid ueræ laudis est, id pictori debetur, quin potius uirtutis monumenta moribus. At Principum uulgus illo honoris genere se dijs æquipararari credebat, summumque rerum bene gestarum præmium arbitrabatur. Agesilaus ipso honesto contentus, negligebat eiusmodi adulationes uerius, quàm glorias, malens insculpi prudentum, ac bonorum hominum pectoribus, quàm in foro æreus, aureusúe stare. Eximiam uirtutem sponte sua, suum consequitur decus. Nec ulla speciosior statua, quàm honorifica bene actæ uitæ memoria. Cæterum cum tria sint nobilitatis genera: Vnum quod ex uirtute, recteq; factis nascitur. Proximum, quod ex honestißimarum di-

Plu. in apo.
Era. 1. apo.

Erasmus in prin. instit.

ſciplinarũ cognitione proficiſcitur. Tertiũ, quod natalium picturis, & maiorum ſtemmatis æſtimatur, decuerit Principem non infimo ſolum nobilitatis genere, ſed ſummo præclarum effulgere, cũ uera claritas non naſcendo quæratur, ſed uiuendo. Et uerus nobilis non naſcatur, ſed fiat. Rectè Satyricus de Romanis, à quibus ſuperbi quidam genus auitum, ac ſtemma ſuum deducunt, ait:

Franciſcus Petrarcha dialog. 16.

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achylles.
Et tamen ut longè repetas, longeq; reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.
Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut aliud quod dicere nolo.

CONTRA FASTVM, MVNdi gloriam, & ſuperbas ambitioſarum mentium cogitationes, quibus iuniorum Heroum animi ſæpius impetuntur.

Remedia.



PRinceps iunior non intumeſcet animo, ſi cogitauerit omnes huius mundi honores, merum eſſe fucum, dignis iuxta ac indignis communem. Item, ſi iuxta tritiſsimum illud adagium, co-

Eraſmus in mil: Chri.

gnos

gnouerit seipsum, id est, si quicquid habeat in se magnificum, quicquid pulchrum, quicquid præclarum, id dei munus, non suum bonum esse ducat. Contrà, quicquid humile, quicquid sordidum, quicquid prauum, id totum ad se solum referat. Si meminerit, quàm friuola sit animalium superbissimi origo, quum plerunque abortus causa fiat odor à lucernarum extinctu. Si perpenderit, quantis in sordibus conceptus sit, in quantis natus, quàm nudus, quàm inops, quàm brutus in hanc lucem prorepserit. Corpusculum istud, quot undique morbis, quot casibus, quot periculis & fortunæ ludibrijs expositum. Quàm denique omnia sint hominum tenui pendentia filo. Et subito casu, quæ ualuere, ruant, ut is uitã æqua lance pensitauerit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit. Cuius admonentes Ethnici, Genio flores solebãt offerre. Minatur sponsæ suæ mysticus ille amator in Cãticis ac foras abire iubet nisi semet cognorit. Si ignoras, inquit, te ò pulchra inter mulieres egredere, et post uestigia gregũ tuorum. A facie Christi iubetur abire Princeps, qui seipsum ignorauerit, hoc est, qui superbus potestatẽ, gloriã, diuitias et omnia magnifica, quæ poßidet, sibi arroganter adscripserit, turpiter omnibus abutendo, qui non agnouerit omnia Dei munera, dumtaxat in sanctiores usus concessa. Proinde iuuenis Heros cogitabit

Plin. lib. 7. natur. hist.

Pli. lib. 7. natu. hist.

Cant. 1.

Eccles. 10.

omnia

omnia Dei eße, se solum administratorem, ac famulum: se dominum hodie uocari, cui cras moriendum, serpentes hæreditaturo. Secum reuoluet se cinerem esse, & in cinerem propediem rediturum, nihil igitur esse, cur superbiat cinis & terra. Contemplabitur omnem carnem gramen, et omnem hominis gloriam, quasi florem graminis: ut si habeat sapientiam Solomonis, si pulchritudinē Absolonis si fortitudinem Sampsonis, si longæuitatem Enoch, si diuitias Crœsi, nihil tamen hæc omnia prosint, cū tandem caro detur uermibus, et anima dæmonibus, cum diuite sine fine cruciandа.

1.Petr.1.

Hieron. in Matth.

Circumspiciet denique, quòd sui similes multi gloriosi paribus fulserint splendoribus, iam in nihilum redacti. Vbi iam sunt, qui ambiebant currū potestatis? Vbi insuperabiles Imperatores? Vbi sunt, qui conuentus disponebant, & festa? Et equorum splendidi nutritores? Vbi nunc uestes & ornamenta peregrina? Vbi seruorum turba? Vbi iocus, & lætitia? Vbi exercituum duces? Vbi satrapæ, & tyranni? Nonne puluis et fauilla? Nonne in paucis uersibus eorum uitæ patet memoria? Respice eorum sepulchra, & uide, qui seruus, & qui dominus: qui diues, qui pauper. Discerne, si potes, uinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Vide, si est aliquod in eo signum iactātiæ suæ. Certè nulla distinctio inter cadauera mortuorum, nisi

August. de natu. & gra.

fortè

forte, quia grauius fœtent diuitum corpora, disten ta luxuria. Quid ergo te contra pauperem inflat? Certè quando aliquo casu aliqua sepulchra franguntur, ossa diuitum non agnoscuntur. Memorare itaque naturæ, ne extollaris. Rectè igitur Agapetus ad Iustinianum inquit: Fastuosus & superciliosus homo, ne ut taurus alticornis eleuetur, sed animaduertens carnis subsistentiam, sedare debet cordis tumorem. Nam & si factus est Princeps in terra, ne tamen ignoret sese ortum ex terra, cum ex puluere ad solium ascendere, atq; in eundem puluerem tandem descendere possit. Ergo ut summatim dicam, duo præcipuè prohibebunt à superbia, & inanis gloriæ tumore: si consideres, quid ipse sis in te, putredo in exortu, bulla in omni uita, esca uermium in morte. Et quid Christus factus sit pro te.

Ambrosius in Hexa.

August. de uerb. Dom.

Eras. in mi. Christia.

QVA RATIONE PRINceps odium & inuidiam deuitare, & subditorum fauorem possit aucupari.



Vandoquidem ex opulentia plerunq; nascitur inuidia, quæ secundis ex rebus alterius ægritudo fertur, operam dabit Princeps, ut ad popularem fauorem sibi fenestrā, ut

Sal. in Cat.

ut aiunt, aperiat, inuidiæ præcludat. Quod tribus potißimum fieri modis uidetur.

Eccle. 10. PRIMO. Cum odibilis coram Deo & hominibus superbia sit, Princeps inuidiam, quam illa parit, facilius effugerit, ubi se non ingesserit oculis, nec arroganter bona sua iactauerit, apud inferiores, sed in omni potestate, honoribus ac diuitijs modestum se atque humilem exhibuerit. Est enim firmißimus honorũ custos modestia. Et humilitas mater uirtutum, & origo, quibus præditus Heros, solidam & grandem à suis gratiam inire potest. Vt igitur sol, cum altißimè prouectus est in Zodiaco, tum tardißimi motus est, ita quo fortuna principem subuexerit altius, hòc oportet animo leniori, minusque feroci eße. Rectè igitur Cicero: Quanto superiores sumus, tanto nos submißius geramus. Etenim ut S. Iacobus inquit, superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Et Solomon: Fili in mãsuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Quanto maior es, tanto te magis humilia in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Quòd si fauorem ac Dei gratiam modestia & humilitas inueniunt, multo magis sunt inuentura subditorum amorem, quod unum inexpugnabile regnorum munimentum Seneca prædicat. Hinc Antigonus Rex Macedonum, amicis suadentibus, ut si Athenas caperet, ualidis illam præsidijs com-

[Margin notes: Sen. ep. 18. — Plu. in pol. — Greg. 17. Moral. — Erasmus in prin. instit. — Officio. 1. — Eccl. 3. — De clemen. lib. 1.]

communiret, ne quando deficeret, summaq; cura, ut totius Græciæ basim custodiret, respondit: Se semper in hac fuisse sententia, ut crederet nullum esse regni præsidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam. Et Agesilaus ille magnus Lacedæmoniorum Rex, cuidam percontanti, quam ob caußam Sparta non cingeretur mœnibus, ostendit ciues armatos, inquiens: Hi sunt Spartæ ciuitatis mœnia, significans Respublicas nullo munimento tutiores esse, quàm et uirtute et beneuolentia Ciuium, quæ ex modestis Principum actionibus promanant. Era. 4. ap. Plut. in ap.

SECVNDO. Liuoris omnis rancore è subditorum cordibus euulso, fauorem popularem sibi conciliabit Princeps, si uitauerit auaritiam, quæ radix omnium malorum: ad hæc, si nouationes publicorum grauaminum omnes fugerit. Non enim nouitati studendum est, nec ordo, neq; modus omnium rerum temere permutandus. Nã etsi quid in melius commutetur, tamen ipsa nouitas offendit. Nec unquam sine tumultu commutatus est uel Reipub. status, uel publica ciuitatis consuetudo, uel leges olim receptæ. Proinde, si quid erit eiusmodi, ut ferri poßit, non erit innouandum, sed aut tolerare conueniet, aut commodè ad meliorem usum deflectere. Rursum, si quid erit eius generis, ut tolerandum non sit, id erit corrigendum, sed arte ac paulatim. Plu. in pol. Erasmus in prin. inst.

At qui nouas Reipub. parum profuturas leges pro mulgare, tolerabiles maiorum consuetudines, in perpeßu difficiliores commutare, & aßiduò nouis exactionibus populum emulgendo exasperare, non modò communem omnium inuidiam, sed aperta etiam odia, tumultus & inimicitias conflare solent. Exempla id testantia sunt in promptu: Roboam senioribus derelictis, iuuenum consilia secutus, non modò durum parentis iugum, quo populum aggrauans adflixerat, in magis tolerabile mutaturus, sed longè grauius subditorum ceruicibus crudeliter impositurus, omnem subditorum fauorem & decem regni partes amisit: Minimus (inquit) digitus großior est dorso patris mei. Et nunc pater meus posuit super uos iugum graue, ego autem addam super iugum uestrum. Pater meus cæcidit uos flagellis, ego autem cædam uos scorpionibus. Deus faciat, ut reiectis stolidorum consilijs, omnes hodie Principes, saniora prudentum consilia secuti, miseram plebem clementius tractent, non æquo plus affligant & exenterent.

2. Para. 10

3. Reg. 12.

TERTIO. Is difficilem populum efficere solet, & seditiosum reddere, qui gubernacula Reipublicæ tenens, nimium in omni re se, & uehementer seuerum, asperum, atq; inexorabilem exhibet, nemini unquam cedens, nihil ulli condonans. Assuefacit nimirum is, & inducit populum, ut pertinaciter atq;

Plu. in pol.

ter atque contentiose renitatur, atque repugnet. Contrà, nullis inuidiæ stimulis expositi, fauentem, & in omnibus obsequentem populum faciunt, qui comes atque faciles fortunis suis non insolenter utuntur. Rectè itaq; Cato senior eos, qui fortuna moderatè, sobrieq; uterentur, dicebat minimè peti inuidia. Non enim, inquit, nobis, sed quæ nos circumstant, inuident homines. Externa bona extra hominem sunt, at insolenter utendi crimen intra hominē est, Cum igitur similis comparatio sit Principis aut Regis ad subditos, patris ad filios, pastoris ad oues maximum apud suos, non modò fauorem, sed etiam certißimum præsidium habebit is, qui modestiam omnem præ se ferendo, subditis suis, non aliter, atque pater filijs imperitarit. Vnde Lacedæmoniorum Rex Agasicles, quum quispiam ab eo sciscitaretur, quo pacto posset aliquis tutò imperare, nullo stipatus satellitio, respondit: Si sic imperet suis populis, ut pater filijs. Nemo plura dixit unquam maiore compendio. Certè si Principes beneuolentia & benefactis sibi ciuium animos magis adiungerent, quàm grauaminibus alienarent, non opus haberent barbarico conductitioq; satellitio, sed nullos haberent corporis sui custodes tutiores, quàm ciues suos, erga quos patris gesserint affectum. At quibus placet illud tyrannicum prouerbium: Oderint dū metuant, nullos magis habebunt

Plu. in apô.

Aristot. in ethicis.

Plu. in apô. Lacon.

Era. i. apô

suspectos, quàm quibus maximè oporteat fidere: at multos metuat oportebit, quem metuunt multi. Bonus igitur Princeps, inuidiam suorum deuitaturus, & amorem subditorum aucupaturus, non alio animo debet esse in suos ciues, quàm bonus paterfamiliâs in suos domesticos. Quid enim est aliud regnũ quàm magna familia? Quid Princeps, aut rex, nisi plurimorum pater? Excellit quidem, sed tamen eiusdem est generis, homo hominibus, liber liberis imperans, non beluis, ut rectè prodidit Aristoteles.

Erasm. in prin. instit.

Iul. Capi.

Quod agnouit M. Antoninus Philosophus Imperator, qui in amore omnium regnauit ita, ut in summo precio & honore habitus, ab alijs modò frater, modò pater, modò filius, ut cuiusque ætas sinebat, et diceretur, & amaretur. Vnde cum extremum diem clausisset, tantus illius amor eo die regij funeris claruit, ut nemo illũ non plangendum censuerit. Eius generis olim complures boni uixere Principes, qui apud subditos maximum sui desiderium reliquerunt. Sed timendum est hodie, ne quidam ita regnent, quos extinctos non modò luctu nullo prosecuturi sint subditi, sed in sepulchris etiam arrosos uermibus, & conuitijs proscissuri, & frequenter execraturi.

QVAE PRINCEPS IN OMNI ACTIONE SVA TENERE DEBEAT.

Cum



VM uerus ille Princeps aut Rex sit, qui seipsum regere, sibiipsi præsidere, & desideriorũ motus temperare nouerit, in omni actione suscipienda, tria potissimum tenenda Principi: Primum, ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conseruanda accommodatius. Deinde, ut animaduertat, quanta illa res sit, quam efficere uelit, neu maior, neue minor cura, & opera suscipiatur, quàm causa postulet. Tertium est, ut caueat, ut ea, quæ pertinent ad rerum dignitatem, moderanda sint. Modus autem optimus, decus ipsum tenere, nec progredi longius. Horum autem trium præstantissimum est, appetitum obtemperare rationi. Tenenda item duo Platonis præcepta: Vnum, ut utilitatem ciuium sic tueatur, ut quicquid agit, ad eam referat, oblitus commodorũ suorum. Alterum, ut totum corpus Reipub. curet, ne dum partem aliquam tuetur, reliquas deserat. Vt enim tutela, sic procuratio Reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.

Grego. super Iob.

Cic. offi, [illegible]

QVAENAM PRINCIPATUM susceptVRUS cogitare debeat.



Vum inflati principatum suscipiunt Ethnearchæ, cogitare, & magna cum superbia reputare solent, quantam gloriã, quantos honores, quantũ militũ & equitũ numerum sint habituri, quot uectigalia, redditus, decimas, cẽsus accepturi, quàm opulentam ditionem, populosam regionem, quàm munitas arces, et breuiter, omnium rerũ copiã sortituri, quibus omnibus summa cum licentia queant uti, quorũ fiducia freti, cũctis poßint terrorem gentibus incutere. Sic horum omniũ affluentia nimis elatus Aßyriorum rex, cum
4.Re. 18. & 19. Ezechiam uicisset, iußit Israëlitis dicere: Transite ad regem Aßyriorum, & dabo uobis duo milia equorũ. Nõ potestis subsistere ante unum Aßyriorum Satrapam. Nolite audire Ezechiã, dicentem: Eruens liberabit nos Dominus, et nõ tradetur ciuitas hæc in manu regis Aßyriorum. Audiuistis, quæ fecerunt uniuersis terris reges Aßyriorũ. Sic oblitus sui Dauid, & immemor Dei, dixit ad Ioab: Vade, numera Israël & Iudam, quod delictum graui
2.Re. 24. mox expiatũ pestilentia. Sic Dionysius, animo uersabat equites, milites, cõmeatus, naues, & præsidia mera crepabat, quorũ auxilijs se tutum ac securum arbitrabatur. In summa igitur licentia uiuentis pectus tãta regnandi libido occupauerat, ut etiã morte principatum putauerit emendũ. Quocirca cum à con-

à coniuratis in illum ciuibus regni ipsius regia obsi deretur, & amici autores essent, ut imperium depo neret, ni mallet captus interfici, ille cõspiciens bo uem à coquo mactatum ilico cõcidere, dixit: Cum mors adeò breuis sit, an non absurdum sit, nos metu mortis tale regnum relinquere? Atqui Christianus Heros, cum Principatum suscipit, non cogitabit, quantum accipiat honoris, sed quantum oneris ac sollicitudinis. Nõ censuum ac uectigalium modũ expendet, sed curam: nõ arbitrabitur sibi prædam obtigisse, sed administrationem. Quo ditionem suscipit ampliorem, non cogitabit se hoc longè fortunatiorem, sed meminerit, se hoc plus curarum ac solicitudinum, in humeros suscepisse, ut minus iam indulgendum sit ocio, minus dandum uoluptati. Plut. in ap. Erasmus in prin. instit.

Cogitabit semper dominium, imperium, regnũ, maiestatem, potentiam, Ethnicorum eße uocabula, non Christianorum, Christianum imperium nihil aliud esse, quàm administrationẽ, quàm beneficẽtiam, quàm custodiam. Item: nobilitatem, imagines, ceras, stemmata, & totam illam caduceatorum põpam, qua Procerum uulgus muliebriter intumescit, inania esse nomina, nisi quicquid hoc nominis est, à uirtute fuerit (ut dixi) profectum. Cum uiderit urbes suorum, non cogitabit: tantarum rerũ dominus sum, hæc omnia mei sunt arbitrij, in hæc mihi licet, quicquid libet. Sed, hæc omnia meæ credita

sunt fidei. Vigilandum igitur, quò meliora reddam,
Sueton. in Cæsarib. quàm acceperim, ut meritò cũ Augusto dicere possim: Patriam lateritiam accepi, marmoream relinquam. Cum innumeram suorum multitudinem conspexerit, non sic cogitabit: tam multos habeo seruos, sed: tot hominum millia de mea pendent sollicitudine: uni mihi se, suaq; tuenda crediderunt, me ueluti parentem spectant, tot millibus prodesse possum, si meipsum bonum præstitero principem: plurimum nocere, si malum. An non igitur magnopere curandum, ne sim improbus, ne tam multis noceam mortalibus, ne Solomonis illud de me dici poßit: Rex insipiens perdet populum. Item: Væ terræ, cuius rex puer. Item uetus illud adagium: ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. Cogitabit regnum nihil aliud eße, quàm ingens quoddam corpus, cuius ipse membrum aliquod insigne sit, dignos fauore, qui suas fortunas omnes unius fidei commiserint. Se quidem dominum uocari, sed cum alijs Dei seruum, se longè superiorẽ in cœlis dominum habere, iuxta il-
Eph. 6. lud: Scitote, quòd uester ipsorum dominus est in cœlis. Etenim in terris Imperator, ut est omniũ domi-
Agapetus. nus, ita cum omnibus Dei seruus existit. Quare cũ turgescit animus, quòd se homunciones ei submittunt, cogitabit, quanto maior, quantoq; potentior
Eras. in inst. Christia. suo immineat capiti Deus, qui omnẽ ceruicem elatã deprimet, & oẽs colles in plana deducet, qui ne an-

gelo quidem superbienti pepercit. Meminerit certius nullum aliud esse stoliditatis & insipientiæ documentum, nullũ stultitiæ genus deploratius, quàm si quis sibi uehementer placeat. Ergo cum audiet regionum titulos, non statim cristas eriget, ueluti tãtarum rerum dominus, sed sic (ut dixi) cogitabit: quàm multis bonum Principem debeo. Cum audiet solennes panegyricos, non protinus elatior credet, aut fauebit suis laudibus, sed si talis nõdum est, qualis prædicatur, admoneri se cogitabit, dabitq; operam, ut ijs laudibus aliquando respondeat. Si autẽ talis est, adnitetur, ut seipso melior euadat. Si celsitudines, maiestates, diuinitates ingeret aliquis, meminerit hæc non competere, nisi in eum, qui ad Dei exemplum administret imperium, cœlesti quadam animi magnitudine. Cum audiet Pater patriæ, cogitabit, nullum unquã titulum Principibus additũ, quàm Patris patriæ, qui magis propriè quadret in bonum Principem. Id igitur sibi agendum, ut hoc titulo dignus appareat. Cum inuictus dicetur, cogitabit, quàm sit absurdum, inuictum dici, quem uincit iracundia, quẽ domat superbia, quẽ exercet auaricia, qui quotidie seruit libidini, quẽ captiuũ, quò lubet, ducit agitq; ambitio. Eũ demũ inuictum esse, qui nulli cedit adfectui, nec ulla rerũ specie ab honesto potest deflecti. Cũ serenißimus appellabitur, succurret principis esse officiũ, omnia tranquillare, omnia componere.

Quòd si quis per ambitionem, aut furorem seditionibus ac bellorum tempestatibus omnia perturbat, ac miscet uniuersa, hunc titulus serenißimi non ornat, sed uitium illi suum exprobrat. Cum illustrißimus uocabitur, cogitabit uirtutis suæ splendore, regni terminos omnes illuminandos esse. Cum dicetur inclytus, cogitabit, nullum eße uerum decus, nisi quod à uirtute, recteq; factis proficiscitur. Quòd si quem conspurcat libido, contaminat auaricia, fœdat ambitio, quid aliud est inclyti cognomen, quàm admonitio, si quis imprudens erret, merum conuitium, si prudens peccet. Breuiter, in omnibus quæ egerit, semper in memoriam subibit, se Principem esse, curabitq; ne quid indignum tanto honore egerit. Postremò, cum ea, quæ ad bonam regni administrationem, & uirtutis incrementum pertinuerint, audiet proferri, non secum ita cogitabit: Cur ista mihi canuntur, non sum priuatus, non sum episcopus, non sum sacerdos, non sum monachus, sed sic cogitabit: Christianus sum et Princeps. Christiani est, ab omni turpitudine prorsus abhorrere. Principis est, integritate prudentiaq; cæteros oẽs antecellere. Quod si fecero, laudes ab hominibus, et æterna sum à Deo Opt. Max. præmia relaturus. Cõtrà, si me Principem malum præbuero, Neronem, aut id genus insignes nebulones imitatus, turpißimum in hoc seculo dedecus, æterna in futuro tormenta

Isocrat. ad Nicoc. re.

com

commeriturus ero, cum Deus Opt. Max. (cuius oculi lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes uias hominum, & corda) redditurus unicuique iuxta sua facta, nullo personarum respectu habito. Quin illos, qui Tyranni fuerunt, grauius iudicium, & acerbior poena manebit, Audite ergo, (inquit Sapientia) Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures uos, qui continetis multitudines, & placetis uobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas uobis, & uirtus ab altißimo. Qui interrogabit opera uestra, & cogitationes scrutabitur: Quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, nec secundum uoluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit uobis, quoniam iudicium durißimum in his, qui præsunt, fiet. Exigua enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus, qui est omnium Dominator, nec uerebitur magnitudinem cuiusquam. Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura, de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad uos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iustitiam, iustè iudicabuntur, & qui didicerint iusta, inuenient quid respondeant.

Ecclef. 23.

Roma. 12.

Sapien. 6.

QVORVM IMAGINES BONI principes, quorum item mali repræsentent, & quibus Epithetis signari soleant.

Eras. 3. ap. Proue. Aut reg. aut fat.



Ocrates bonos uiros dicebat, deorum simulachra. Et Plutarchus ait: Salutarem Principem, uiuam Dei, moderantis uniuersa, imaginem referre. Vt igitur deorum, cum sint optimi natura, proprium est, benefacere omnibus, nocere nemini, ita princeps salutaris, quo nihil præclarius, nihil melius, nihil Deo propius, omnibus prodesse, nemini studet incommodare, Atque eò magnificentior, quò propius ad archetypi sui formam accesserit, qui ut numen quoddam præsens, quò potentior, hòc melior ac clementior euadit, non more luporum aut ursorum læniat, perdit, mactat, sed omnes fouet ac protegit, nō punit nisi rarò, idq; coactus, unde clarißimi atque gratiosißimi iure boni uocantur, atque his titulis laudantur: Pater, mitis, placidus, lenis, prouidus, æquus, humanus, magnanimus, liber, pecuniæ contemptor, haud obnoxius affectibus, sibi ipsi imperans, dominans uoluptatibus, ratione utens, acri iudicio, perspicax, circumspectus, ualens consilio, iustus, sobrius, numinum curam agens, hominum negocia

Ex Iulio Polluce.

Principib[us] boni descriptio

negocia curans, stabilis, firmus, infallibilis, magna cogitans, autoritate praeditus, industrius, confector negociorum, solicitus pro his, quibus imperat, seruator, promptus ad beneficentiam, lentus ad uimdictam, certus, constans, inflexibilis, propensior ad iustitiam, semperque attentus ad id, quod de Principe dictũ est, Librae in morem facilis aditu, comis in congressu, cõmodus alloqui uolentibus, blandus, expositus, curam agens suo parentiũ imperio, amans militum suorũ, qui strenuè quidem bellum gerat, sed qui bellum non adfectet, pacis amans, pacis conciliator, pacis tenax, appositus ad emendandos populi mores, qui ducẽ agere norit, ac Principẽ, qui leges salutares sciat cõdere, conditas seruare, natus ad bene merendum, diuina specie.

CONTRA, qui pestilens est Princeps, is Cacodaemonis simulachrum, ac uicem reddit. Quod habet potentiae, in Reipub. pestem abutitur. Et cum plurimum noceat omnibus, plus tamen uult nocere, quàm poßit. Quicquid habet uirium, id omne consumit ad calamitatem humani generis. An non huiusmodi quidem orbis malus Genius fuit Nero, an non Caligula, an non Heliogabalus, an non alij sceleratißimi, quorum non solum omnis uita pestis quaedam mundi fuit, sed ipsa etiam memoria, publicae mortalium execrationi est obnoxia? Nihil igitur malo principe foedius, nihil peius, Ex Erasmo

nihil

nihil cacodæmoni similius, qui coloribus hisce depingi solet. Tyrannicus, crudelis, efferus, uiolentus, occupator alieni, auidus pecuniarum. Et quod uerbum est apud Platonem, ἐρασιχρήματος, id est, pecuniarum cupiens, rapax, Et quod dixit Homerus, δημοβόρος, id est, populi deuorator, superbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conueniendum, durus ad congressum, incomis ad colloquium, malè iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, uoluptatum seruus, intemperans, immoderatus, inconsideratus, inhumanus, iniustus, inconsultus, iniquus, impius, mente carens, leuis, inconstans, & qui facilè decipiatur, malè facilis, immitis, adfectibus deditus, incorrigibilis, contumeliosus, bellorum autor, grauis, molestus, incoërcibilis, intolerabilis. Vt ergo diuinum est, bonum Principem agere, sic Tyrannum agere, nihil aliud sit oportet, quàm eius uicem agere, qui Deo dißimillimus est.

QVAE BONVS PRINceps, quę malus item in actione suscipienda dicit, ac facit.

Boni Principes, in omnibus negotiorum causis, non solum prædicare, sed etiam re confirmare solent Rempub. sibi longè chariorem esse, quàm

quàm res suas priuatas, Nihil præcipitanter agunt, sed aliorum sanis acquiescentes consilijs, illud subinde prouerbium habent in ore, δλιγορ βȣλεύειν, id est, Delibera diu, significantes, lentè consultandum, at ubi consulueris, maturè quod opus facto, faciundum. Sic Phocion, cum rumor incerto autore obortus esset de morte Alexandri, moxq; rhetores prosilirent, hortantes, ne contarentur, sed ilico bellum susciperent, expectare iusit. Nam si, inquit, hodie mortuus est, & cras, & perendie mortuus erit, grauiter Oratorum præcipitem temeritatem coërcuit. E diuerso Tyranni priuata magis commoda, quàm publica quærunt, quasi iuxta barbaricum nonnullorum Oliarcharum morem iurassent, in hanc formam: Plebem odio prosequemur, & pro uirili adnitemur, ut illi sit malè. Faciunt igitur omnia pro libidinis instincto, non rationis ductu, loquentes cum Xerxe, qui Græciæ bellum indicturus, conuocatis omnibus Asiæ Principibus, dixit: Ne uiderer meo tantum consilio hoc aggressus, contraxi uos, cæterum mementote, mihi parendum magis, quàm suadendum. Vox bis tyrannica, & quòd Principum conuentu pro fuco abuteretur, & quòd negocium multò periculosissimum, sua unius cupiditate uerius quàm consilio susciperet.

Sal: in Cat.

Plut. in ap.


Aristot. in pol.

Eras. 5. ap.

IN.

INSTITVTIO

INTER PRINCIPES & tyrannos discrimen.



Hoc interest inter Principem et tyrannum, quod inter propitiũ patrem, & immitem dominum, Ille cupit etiam uitam liberis suis impendere: hic nihil aliud spectat, quàm suum emolumentum, aut animo suo morem gerit, non suorum commodis consulit. Tyrannus iubet quicquid libuit: Princeps, quod Reipub. iudicarit optimum. Princeps commodum publicum spectat, Tyrannus suum. Vt Deus amatur à bonis omnibus, non timetur nisi à malis, hoc duntaxat genere timoris, quo quis timet, ne sibi noceatur, ita bonus Princeps nulli formidabilis est, nisi sontibus, ac scelerosis: At ita rursus, ut his quoque spes ueniæ reliqua fiat, si modo fuerint sanabiles. Ex aduerso quemadmodum Cacodæmon amatur à nemine, formidatur ab omnibus, præcipuè bonis (nam malis cum illo conuenit) ita Tyrannus optimis quibusque maximè est inuisus, & nullus est ab hoc minus alienus, quàm qui pessimus est. Tyranno propositum est sequi, quicquid animo collibuit. Principi contrà, quod rectum sit, & honestum. Tyranni præmium diuitiæ, Principis honos, qui uirtutem cõsequitur. Tyrannus administrat metu, dolo

Erasm. in prin. instit.

dolo, et malis artibus, Princeps sapientia, integri
tate, beneficentia. Tyrannus sibi gerit imperium,
Princeps Reipub. Tyrannus barbarico satellitio,
& conductitijs latronibus tuetur incolumitatem
suam, Princeps se sua erga ciues beneficentia, & ci
uium erga se beneuolentia, satis tutum putat. Ty-
ranno suspecti sunt, & inuisi, quicunq; ciuium uir-
tute, prudentia, aut autoritate pollent: At hos
Princeps & adiutores & amicos potissimum com
plectitur. Principis est officium, suis ipsius curis,
& studijs subditorum statum reddere feliciorem. (Isocrat. de bello fig.)
Tyrannis mos est, ciuium laboribus, & malis, o-
cium sibi & uoluptatem parare. Tyrannus aut
stupidis delectatur, quibus imponat, aut sce-
leratis, quibus ad suæ tyrannidis præsidium ab-
utatur, aut adulatoribus, à quibus audiat, quæ
libenter facit. Contrà, Principi sapientissimus
quisque gratissimus est, cuius consilio posit iu-
uari: quò quisque melior est uir, hoc pluris facit,
quòd huius fidei tutò posit credere, et liberos quo
que amat amicos, quorum consuetudine reddatur
melior. Et Principum et Tyrannorum multæ sunt
manus, multi item oculi, sed longè diuersa membra.
Tyrannus hoc agit, ut ciuium opes ad paucos, eos-
que pessimos conferantur, et attenuatis suorum ui-
ribus, suam cõmuniat potentiam. Princeps hoc ma
xime in suo fisco esse ducit, quod in ære sit ciuium.

Tyranno

Tyrannus hoc agit, ut omnes sibi legibus, aut delationibus habeat obnoxios Princeps libertate ciuium delectatur. Tyrannus metui studet, Princeps amari. Tyrannus nihil æquè suspectum habet, atq; ciuium bonorum, ac ciuitatum concordiam, qua præcipuè gaudent boni Principes. Tyrannus gaudet inter ciues factiones ac dißidia serere, & simultates fortè fortuna obortas diligenter alit, ac prouehit, atq; his rebus ad suæ tyrannidis communitionem abutitur. At hoc unicum Principi studium est, ciuium concordiam alere, & si quid ortum fuerit dissensionis, cõtinuò rem inter eos componere, nimirum, qui intelligat hanc esse grauißimam rerum publicarum pestem. Tyrannus si senserit florere Rempub. repertis titulis, aut immißis etiam hostibus, bellum excitat, ut hac occasione uires suorum attenuet. Contrà Princeps omnia facit ac patitur, quò pacem publicam reddat perpetuam, intelligens ex bello semel omnia Reip. mala proficisci. Tyrannus leges, constitutiones, edicta, fœdera, deniq; sacra profanaq; ad sui capitis tutelam, aut instituit, aut pertrahit, Princeps hæc omnia publico metitur bono. Tyranni in uoluptate sæuiunt, Reges ex causa & neceßitate. Tyrannis sæuicia cordi, quorum est occidere, sonis cathenarum, uastationibus, atq; incendijs delectari, & ciuium capita decidere, quocunq; uentum est, multum

Sene. lib. i. de clement.

tum sanguinem fundere, aspectu suo terrere, & fugare, ut alia uita non esset, si leones ursique regnarent, aut ubi serpentibus, aut noxiosissimo cuiq; animali potestas esset in homines data. Contrà, Principes non delectantur eiusmodi Phalarismis, non sæuiunt, nisi publica necessitas exegerit. Principibus igitur bonis nihil melius, contrà nihil peius tyrannis, qui eiusmodi beluæ, ut non sint alia sub sole portenta neq; noxia æquè, neq; magis omnibus inuisa. Quos olim (ut dictum est) occidere pulchrum fuit, ac pium, nimirum in quorum uita, nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis beneuolentiæ fiducia, sed omnia suspecta atq; solicita.

Cic. Offi. 3.

Cic. in Lel.

PICTVRA BONI Principis.



Bonum Principem si pingere uelis, delinies cœleste quoddam animal numini quàm homini similius, omnibus uirtutum numeris absolutum, omnium bono natum, imò datum à superis subleuandis rebus mortalium, quod oculatissimum prospiciat omnibus, consulat omnibus, cui nihil sit antiquius, nihil dulcius Rep. cui plus quàm paternus sit in omnes animus, cui singulorũ uita charior sit sua: quod dies & noctes nihil aliud agat nitaturq;, quàm ut optimè sit omnibus, apud

Ex Erasmo

quem præmia parata sint bonis omnibus, malis uenia, si modo sese ad frugem meliorẽ referant. Quod adeò gratis cupiat de ciuibus suis bene mereri, ut si necesse sit, non dubitet suo periculo illorum incolumitati consulere. Quòd patriæ cõmodum, suum ducat esse lucrum: quòd semper uigilet, ut cæteris liceat altùm dormire: quòd sibi nullum relinquat ocium, quò patriæ liceat in ocio uitã agere: quòd se iugibus curis discruciet, quò ciuibus suppetat tranquillitas. A cuius unius uirtute publica pendeat felicitas.

MALI PRINCIPIS pictura.



Alum Principem oculis subiecturus, pinges immanem quandam ac tetram beluam, è dracone, lupo, leone, uipera, urso, similibusq; conflatam portentis, undiq; sexcentis armatam oculis, undiq; dentatã, undiq; metuendam aduncis unguibus, uentre insatiabili, humanis saginatam uisceribus, humano sanguine temulentam, quæ peruigil, omnium fortunis uitæque immineat, infensam omnibus, sed præcipuè bonis, fatale quoddam totius orbis malum, quam execrentur, & oderint uniuersi, qui bene uelint Reip. quæ nec ferri poßit ob immanitatem, nec tolli sine magna orbis ruina, ob præsidijs & opibus armatam maliciam.

BONI PRINCIPIS descriptio.



Eus ipse in Deuteronomij libro boni Principis imaginem descripsit, in hunc modum: Cumq; fuerit rex constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populũ in Aegyptum, equitatus numero subleuatus. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neq; argenti & auri pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius, in uolumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum omnibus diebus uitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire uerba & ceremonias eius, quæ in Lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam, super fratres suos, neq; declinet in partem dextram nec sinistram, ut longo tempore regnet ipse. Si Rex Hebræus iubetur legem ediscere, quæ figuras & umbras iustitiæ tradebat, quanto magis conuenit ut Princeps Christianus Euangelij dogma teneat & sequatur. Si non uult Regem Iudæum efferri super populum suum, fratres illos appellans, non seruos: quanto minus idem facere oportebit Christianum in Christianos, quos ipse quoque Christus Principum omnium Monarcha, fratres appellauit.

Deut. 17.

INSTITVTIO

MALI REGIS, AVT Tyranni descriptio.



Oc erit ius Regis qui imperaturus est uobis: Filios uestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, ut constituat sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoq; uestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoq; uestros & uineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes uestras, & uinearum redditus addecimabit, ut det Eunuchis, & famulis suis. Seruos etiam uestros & ancyllas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoq; uestros addecimabit, uosq; eritis ei serui. Et clamabitis in die illa, à facie Regis uestri, quem elegistis uobis, & non exaudiet uos Dominus. Atqui neminem hoc moueat, quòd hic Regem uocat, non Tyrannum. Quippe nomen olim Regis, non minus inuisum fuit, quàm Tyranni: quo cum nihil odiosius, & deterius, hanc imaginem Deus iratus præponi iußit, ut populum à petendo Rege deterreret. Proinde ius Regum, ius Tyrannicum dixit.

1. Regũ 8.

Ex Erasmo

AR-

ARTES TYRANNORUM.



TRes sunt Tyrannorum artes, Prima: Tyranno studium est, ne uelint, aut ausint ciues aduersus Tyrannidem insurgere. Proxima, ne sibi inter se fidant. Tertia, ne quid poßint rerum nouarum moliri. Prima efficit, dum modis omnibus agit, ut ciuibus quàm minimum sit animi, minimumq́; sapientiæ, dum eos seruiliter habet, & aut sordidis addictos officijs, aut delationibus obnoxios, aut uoluptatibus effœminatos. Scit enim generosos & erectos animos indignè ferre tyrannidem. Secunda efficit, dum agit, ut ciues inter se dißideant mutuis odijs, & alius alium deferat, ipse interim suorum malo potentior, imbecilliorum laniatu pastus. Tertia assequitur, dum opes, & autoritatem suorum, & maximè bonorum uirorum modis omnibus attenuat, eò quòd nemo sanus aggredi uelit, quòd desperet posse confici.

Aristoteles in Pol.

Ex Erasmo

QVORVM IN NOVI REGIMINIS EXORDIO PRINCEPS ADMONERI DEBEAT.

QVibusdam indoctis Palatiorum præfectis & Ceremoniarum magistris fortasse

ridiculum uideatur & absurdum, si de rebus aulicis scribere præsumpserit is, qui nunquam fuerit in Principum aulis uersatus. Aqui meminerint eos, qui bonos autores & Historias uigilanter euoluunt, multarum ætatum atq; seculorum res gestas, tanquam in speculo contemplari, & examussatim referre posse, non unius tantum atq; alterius modò uiuentis, sed plurimorum, qui multis retrò actis seculis floruerunt, non aulicas modò uitas, sed etiam dietas, satellitia, potestates, exercitus, copias, apparatus, prælia, & breuiter omnes Imperiorum administrationes, ac fortunas: Lector enim diligens historiarum beneficio facile perspicit, quorum aula beata fulserit: è diuerso quorum horruerit inauspicata. Item qui boni, & imperijs digni regnauerint, contrà qui nebulones insignes, onera (ut aiunt) terræ, bonos ciues afflixerint, et turpißimam uitam exegerint. Qui denique Patres patriæ bene morientes æternam nominis sui gloriam reliquerint: è contrà quorum turpiter occumbentium memoria uigeat æternis execrationibus obnoxia. Historias igitur repetenti, tria potißimum occurunt necessaria cognitu iam principatum Heroi suscepturo. Quorum primum, Adulatio, Proximũ Calumnia, Tertium Oculus Domini. Quod ut Aularum iubar splendidißimum est, sic perniciosißima Calumnia, & multò pestilentior Adulatio.

ADVLATIO.



Dulatio est falsa laudatio, mellitum linguæ tectorium, dulce lenimentum, aurium seruitus: & amicitia ficta, quæ magnis cōmuniter aulis incubat, in quibus ὀφθαλμόδουλοι καὶ ἀνθρωπάρεσκοι, id est, obsequijs ad oculum præstitis placere dominis studentes, omnia faciunt, ac loquuntur omnia, quæ nouerint cordi futura suis dominis, ut eiusmodi dictionum mellitarum fucis aucupentur fauorem & autoritatem, quæ uictus & amictus sponte sua sequuntur. Versutia igitur subdola perspiciunt et obseruant, quo dominorum ingenia propensa sint. Vt si (uerbi cau sa) ad crapulam illos & certamina compotationum animaduerterint procliues, aquam (ut aiunt) suffundendo frigidam, heros potores strenuos in oculis ferunt, & laudibus extollunt: Domini, inquiunt, nostri dapsiles et boni socij sunt, liberales, etiā si re uera semper fuerint κυμινοπρῖσαι, hoc est, impendio parci & sordidi, qui congestis undiq; saxis indormiunt hiantes, et tanquam parcere sacris coguntur, & pictis tanquam gaudere tabellis.

ITEM. Aulici palpones ubi cognouerint, dominos stupris, & adulterijs, tanquam iocoso ludo capi, non Christianæ religionis admonendo peccantes à flagitijs deterrent, sed molliter arridentes, aut

conniuent, aut crimen excusant, Gnatonicè dicentes: Venia dignißimum est, ut Principes, cum neq; sacerdotes, neq; monachi sint, se uiros præbeant. Et ludum olim Iupiter consimilem lusit. Et Dauid atq; Solomon Reges oculatißimi formarum spectatores extiterunt, concubinarum plurimarum consortijs oblectati.

ITEM. Si Principes literarum ac discendi fuerint cupidi, adulator totus est in libris, ex quibus decerpit, quæ subinde iactet, ac proferat, maximè domino subauscultante, cui nouos affabre cōpactos codices dono mittit, sperans meliora præmia, aut pinguiora filijs sacerdotia.

Hinc cum discumbere cœpit:
Laudat Virgilium, & perituræ parcit Elissæ.
Committit uates, et comparat inde Maronem,
Iuue. sat. 6. Atq; alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt Grāmatici, uincuntur rhetores omnes.

E diuerso si literarum contemptores domini fuerint. Adulator omnes in orbe Bibliothecas, nuce uiciosa non emerit. Sic Dionysius olim, cum miro quodam ardore philosophiæ teneretur, complures habuit aulicos literarum studiosos. At cum relicta philosophia Rex ad compotationes, ad mulierculas, ad nugas, ad lasciuias raperetur, statim uniuersos perinde quasi Circes poculis transformatos, literarum odium, obliuio, uitæq; mollicies occupauit.

ITEM.

ITEM, Venandi studiosum Principem na- ctus adulator, exclamat: Per deos, gestio canibus lacerare ceruos maculosos, caßibus implicans: Plu. de dif. di adu. et am.

Scit bene palpo locos, ceruis ubi retia tendat.
Qua solita frendens ualle moretur aper.

Hinc certatim mittuntur Virgil. 4. Aeneid.

Retia rara, plagæ, lato uenabula ferro: Oui. 5. me.
Pœmenis, Ichnobates, Menaleus & Pamphagus, Alce.
Et niueus Leucon, & uillis Asbolus atris,
Præualidusq; Lacon, & cursu fortis Aëllo,
Labros, et Aglaodos, et acutæ uocis Hylactor.

ITEM. Si domini ad Lutheranorum partes adhæserint, Adulator eam doctrinam mordicus tenet, pugnat etiam, quasi pro focis & aris dimicaturus. Papistas igitur gladiatorijs tanquam uiribus oppugnans, multa nouit de rebus Euangelicis intonare, sed ea potißimum, quæ carnis suæ, non spiritus libertatem astruere uideantur, ut non pectore syncero, sed obeso uentre percipiat Euangelij sui fructum. Contrà, si dominorum sententia nonnihil uariauerit, lingua (quod aiunt) amicus iste mutatus inquit: Lutherus adsimilatus uiro fatuo, qui ædificauit domum suam super arenam, uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & impegerunt in domum illam, & deiecta est, & fuit ruina illius magna, quã animus mihi iam olim præsaguerat.

ITEM. Adsentatores aulici emungendarum gratia pecuniarum in factionibus egregiè nouerũt partibus utrisque blandiri, uerißimum illud facientes: Duabus sedere sellis. Et duos parietes de eadem dealbare fidelia. Et utroq; claudicare pede. Et duobus dominis seruire.

ITEM. Si familiari cuipiam se mutuo daturum pecuniam, aut munera bono uiro se missurum Princeps fuerit pollicitus, & promißi pœnituerit, cæterum negare puduerit, ibi adulatores fidelis officij prætextu, uerecundiam illam stultam arguunt esse, iubentes eum rebus suis parcere, quippe, qui multa donet, insumat, quiq́; multis suppeditare cupiat. Principem, cui multa pluribus sint distribuenda, oportere parcum esse, & lingua magis quàm rebus liberalem, ne aliquãdo dici poßit: Sera in fundo parsimonia.

Plu. de dis. adu. et am.

ITEM. In consultationibus aulicis adulatores uersuti simul adducunt supercilia, simul annuunt uultibus, loquuntur autem nihil. Quòd si Princeps rogauerit, quid eis uideatur? Papæ, inquiunt, qui ante nos dixit, anteuertit loquendo. Nam istud ipsum nos eramus dicturi.

ITEM. Peregre ueniens adulator aulicus, libenter patitur, omnia uel honoris, uel beneficiorũ genera speciatim in se cõferri. Promißis igitur ditißimus & splendidis uerbis excultißimus ait: Malè

mihi

mihi sit, si gratiam referre non studuero. Te libera lem hospitem iubeo, ut si quid habes, quod absque Theseo cōficere nequeas, in aulam recipias ad me, fratrem (ut aiunt) adfuturum iuro. Paucis diebus interiectis, Hospes persuasus uenit, aduentus certio rem facit aureorum montiū pollicitatorem istū Pi laden, uel potius Herculem pomarium. Sed ut amicus ille bullatus officium promissum subterfugiat, raptim colligit cariosas, quæ multo tempore solem non uiderunt, literas atq; tabellas, quibus suffarcinatus tandem procedit, aduentum gratulatur, & aulica Rhetorica præcellens: Vides, inquit, quantis curarum ac laborum fluctibus obruar, iam uni mihi tot Principum, tot Regum maximorum incumbunt negocia. Proinde iam mihi ueniam dabis, uix quò cibum capiam, ocium suppetenti, sed quem oportuno magis tempore promptiorem habebis, ac in rebus tuis diligentiorem.

ITEM. Ad munerū elargitores, nō aliter quàm corui ad cadauera gregatim adulatores conuolant, quorum nemo, ubi nummi spes effulserit, est, cui non oblata maximæ solicitudini sit causa donantis futura. Sed acceptis nummis, ueternosi torpent, rem in dies multos extrahentes, ut ex simulata rei difficultate, plus compendij facere queant.

ITEM. Ad expedienda negocia quopiam

missus adulator, pertinacius ibi solet promissorum oblitus hærere, ubi bona pabula, uinum dulcius, boni socij, & uberior lucri spes effulserit. Etenim intra se dicit: Πῶς γὰρ οἷός τε ἀνὴρ τοιαύτης θοίνης ἀπέχεσθαι. Certè ex alieno tergore lata secantur lora.

ITEM. Ad utilitatem Reipub. communem, si Princeps legem promulgauerit, eam concione facta modis omnibus obseruandam proponunt suis adulatores officiarij, cum Heraclito Ephesio dicentes: Non minus oportere ciues pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus. Quòd absq; legibus nullo pacto poßit esse ciuitas incolumis, absque mœnibus poßit. At mox ubi priuatam, è laxatis legũ habenis prouenturam commoditatem suboleuerint, eos liberant à rigore legis, et immunes faciunt, quorum grauis ære dextra uidetur, & qui donis beneficia compensare possunt: sed non eodem priuilegio pauperes gaudere permittunt, quos solos capistratos coërcent.

ITEM. Sunt, qui monachos & papistas ubique dicterijs incessunt, & à tergo ciconiæ pinsunt, interim tamen magnam cum Abbatibus & Abbatißis amicitiam contrahunt, his coràm blandiuntur, hos laudibus euehentes, filiorum in baptismo fideiußores accersunt, eam nimirum propter causam, ut astuti, fauore illorum adiuti, sacerdotia pin-

Mentiris.

guia

guia, opimas decimas, & prouentus annuos ueniuntur.

ITEM, Quòd si Princeps illiteratis sacerdotibus parum fauerit, eosdem odio quodam Vatiniano prosequuntur Adulatores. Quare in deprehensos, qui Priscianum & Postillas non bene ruminauerint, acerrimè inuehuntur, apud Principem se delaturos atrociter minantur, & censu parochiali spoliaturos. Atqui sacerdos aliquis animo recepto, si nonnullos frumenti modios, furtim, sed certò se daturum in aurem insusurrauerit, dicto citius tumida æquora placat, Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit, ut uerè dicas Alcedonia circa forum esse, & audias indoctum prius, doctißimum extolli, ac multis alijs præferri.

ITEM. Prodigiosas compotationes, & prophanas choreas, quas in templorum (ut uocant) dedicationibus, raro sine uulneribus exire nouerunt, boni Principes è medio tollendas edixerunt. Rusticum igitur uulgus quidam Adulatores strictim urgent, ut mandato Principis acquieturum, à poculis & saltationibus sibi temperet. Atqui paulatim in ijs tantum pagis, ubi Adulatores, aut eorum amici, uina, libertatemq; saltandi precio uendunt, liberrimum omnibus conceditur, dies noctesq; pergræcando, Maschalam (ut uocant) tollere, & prorsum insanire.

ITEM

ITEM. Si funestis (quod anno priore multis in Germania contigit) incendijs omnia fuerint absumpta. Quorum ad restaurationem aliquot ligna donaturo Principi, syluarum custos, aut præfectus adulator occinit: Quod proluuium? Quænam ista tua largitas Domine? Syluis tuis parce. Quòd si omnino uis arbores elargiri, uiliores pace tua dabo, seruaturus ad usum Reipub. tuæ præstantiores. Atqui digressus à Principe, sordidioris spe lucelli blanditur ei, cui ligna donata sunt, inquiens: Apud Principē diligenter egi, quò tibi meliora ligna daret. Qui licet secretò iusserit, ne quercus præstantiores tibi deijcerē, tamē optimas auferes, aut quas elegeris ipse, si numeraueris, aut dono dederis aliquid. Scis quantos syluarū custodia requirat labores, pro quib. mihi nulla unquam satis gratia potest referri.

ITEM. Libellis adflictorū hominū supplicibus acceptis et cognitis, bonus Princeps mādat, ne pauperū causa plures in dies extrahatur, sed euestigio ducatur ad umbilicū. Adsentator flexo poplite, & subseruiēte gestui uoce: Fiet, inquit, gratiosißime domine, fiet. Sed ab Hero progressus, qui totam iuuandi, et negocia celeriter expediēdi facultatē accepit lōgè quàm dominus asperior ingrauescit, nodū in scirpo quærit, res differt in annos, & gregē pauperē per tot cliuos atq; lamas diutius cursitare

et domestica magno cũ dispendio negocia negligere cõpellit, ut sic autoritatis suæ & grauitatis superciliosæ documenta præbeat, nec minus emungat in opes argento. ITEM. Princeps liberis suis tutores relinquit, qui si fuerint adulatores, aliud ore pollicentur, aliud manet alta mente repostum. Sic bonus Hieron rex Syracusarũ, quindecim Hieronymo nepoti reliquit tutores, quos precatus est moriens, ut fidem erga Populũ Ro. 50. annos abs se cultã, inuiolatam seruarent, iuuenemq́; suis potißimum uestigijs insistere uellent, disciplinæq́;, in qua edoctus esset. Post hæc mandata quũ expirasset, tutores, qui pauloante in uerba regis iurauerant, adulatores perfidi, suis rebus & gloriæ magis studentes, puerũ ita corruperunt, ut omnia in eo præcipitia ad exitium fuerint. Liu. lib. 4. 2. bel. pun.

ITEM. Adulatores, ad dicendum, consultandum, cum hoste confligendũ inutiles, in negocijs subalaribus, id est, quæ ad uoluptatem pertinent, nihil recusant, fidi amoris ministri, nõ segnes in cœnis apparandis, obsequiosi in concubinas, sed in uxores & adfines rigidi. Quibus si mãdet Princeps quicquid libitum fuerit rerũ infamium & minus honestarum, parati sunt, nihil sibi parcentes, modò gratum faciant mandanti Principi. Cuius fauorem aucupati, ueros ab eo amicos abigunt, nemini dant locum, neminem sinunt accedere propius. Ex Plutar.

Quòd

Quòd si id non poßint, blandiuntur quidem palàm & assectantur, & quasi obstupefacti suspiciunt, ac mirantur, ceu præstantiores. Atqui cum apud Principem soli sunt, subdunt, ac subserunt calumnias quasdam, ut sibi beneuolentiam concilient, illos quos paulo antè falso uenerati fuerunt, in odium rapiant.

ITEM. Cum prosperæ ac fortunatæ sunt res Principum, adulator nemo uult, uel audet peccantem corrigere, sed ubique felicitatem eße somniat, ad quam admonitio non debeat accedere. Verum si Principes ceciderint, & in summum discrimen fuerint adducti, tum certatim adulatores insultant, & humiles iam, & abiectos redditos calcant, totam simul obiurgandi libertatem effundentes in illos, non aliter quàm flumen, quod præter naturam uicit. Increpando igitur dicunt: Miserrimum hoc fatum sæpe prædiximus, si consilijs nostris sanis fuissent usi, non in hanc miseriam incidissent. Lugeant modò, digna studiorum suorum præmia consecuti etc. Sic Euctus & Eulœus amici Persæ Regis, donec secundæ res fuerunt, semper illi, quemadmodum cæteri, blandiebantur, & aßentabantur. Cæterum ubi cum Romanis congressus apud Pydnam concidit ac fugit, tum acriter insectantes, illum obiurgabant acerbè, & commemorabant quæ peccaßet, et ut quenq; fastidißet, exprobrantes, donec homo

Plu. de dis. adu. et am.

dolo

dolore pariter & ira uictus, ambos gladio peremit. Rursum contrario modo faciunt adulatores, si Princeps infortunatus ex omni sæuicia calamitatis emerserit, nemo tum eorum nebulonum est, qui non optima consuluerit, bonam operam nauauerit & ubique plus omnibus sudauerit.

Porrò infinita sunt aulicarum adulationum genera, sed omnium pestilentißima sunt duo. Alterū sub prætextu libertatis adulari, ut Tyberio Gracco senatum ingredienti, surgens adulator quidam exclamauit inquiens: Esse liberè loquendum, nec reticenda, quæ ad Remp. attinerent. Erectis ad hanc uocem omnibus, ipso etiam Tyberio attento: Audi (inquit) Cæsar, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palàm fateri, Impēdis te ipsum, corpus tuum diurnis nocturnisq; laboribus & curis pro Republica conficiens. Huiusmodi multa cum diceret, sub libertatis prætextu turpiter adulans, C. Seuerus subiecisse fertur: Ista tanta libertas hunc hominem dabit exitio.

Alterum est, quum palpones manifesta Principum peccata, grauem Reipublicæ perniciem illatura uidentes, excusant atque defendunt. Ethnicus olim Philoxenus, maluit in lapidicinas reduci, quàm aßentando mala Dionysij carmina laudare. At hodie non pauci, qui Christiani uideri uolunt, solius gratia uentris, non inconsulta modò Princi-

pum uerba sæpius approbant, sed facta etiam, quæ Principes ipsi compotes sui non laudarint, ut sacrosancta defendunt. Amplum & Principe dignum asserunt, si pauperum sudoribus, & Reipublicæ uisceribus maximam hominum inutilißimorũ turbam fouerit, & tanto, quem eius parentes, si reuiuiscerent, detestarentur, luxu, ut maiore nõ posset, diffiuens, omnes Heroas excesserit. Necessarium dicunt, ut fiscus tot inutilibus, in fastuum documenta, gloriæ certamina, ludorum spectacula, uenationum studia sumptibus factis, exhaustus, uafro nouarum exactionum supplemento magis, quàm parsimonia, quod maximum uectigal, repleatur. Magnificum uocant, si substructionum superbarũ magis quàm necessariarũ causa, fuerint onera subditorum nimis aggrauata, & inopes populi scorpionibus cæsi. Gloriosum denique prædicant, si Principi suo, maior ad inferenda uicinis etiam insontibus arma, quàm ad defendendam patriam fuerit animus. Quem per se tumidum, aut etiam ad maleficia pronum, feruidioribus fortunarum ac potestatum præconijs inflant, & ut uentus excitat ignem, accendunt. Sic Curio propensum ad bella Cæsarem extimulabat: Ipsi enim in bellum prono tantum tamen addidit iræ,

Luc. lib. 1. Accenditq; Ducem, quantum clamore iuuatur

Eleus

Elatus sonipes, quamuis iam carcere clauso,
Immineat foribus, pronusq; repagula laxet.
Tolle moras (inquit) nocuit differre paratis,
Par labor, atque metus precio maiore petũtur,
Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum, facili si prælia pauca
Gesseris euentu, tibi Roma subegerit orbem.

Sic adulatores complurium malorum capita, morbos, morbis heroicis (quibus adhibita prudentia medicari possent) addunt, & oleum, quod aiunt, camino, ut longè satius fuerit, exemplo Philoxeni philosophi, procul ab aula detrudi, quàm adulando tot grauißimorum criminum participes fieri, fauorem humanum aucupari, gratiam diuinam penitus amittere. Era.6.ap.

Hæc iam dicta Principi non (ut uidetur) inutilia cognitu fuerint, ut prudentior factus, non omnibus aulicis spiritibus fidem adhibeat, cum primis adulatoribus, qui omnia faciunt, suggerunt, loquuntur, admonent, consulunt, laudant, non ex mero synceritatis candore, sed fucatis linguarum tectorijs. Vnde sæpius Principum uitijs colorem inducunt, non quòd probatu digna censeant, sed quòd assentationis artificio (quæ promptior ars est emungendi argento diuites) uentribus suis bene consulant. Quocirca si Principes indocti, deformes, elingues atque debiles fuerint, eruditione

formositate, eloquentia ac fortitudine conspicui celebrantur ab aßentatoribus. Quid quòd adulandi gens prudentißima laudat.

Iuue. sa. 3. Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inualidi collum ceruicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Plu. de dis. adu. et am. Et Plutarchus: Indoctum (inquit) qui diues est, simul & Rhetorem, & poëtam: quòd si opus sit, etiam pictorem ac tibicinem faciunt. Insuper & pedibus celerem, & robustum, dum illi succumbunt inter luctandum, & in cursu superantur. Sic enim Creßon Himeræus, cursu contendens cum Alexandro, data opera uincebatur. Quod quidem sentiens Rex, indignè tulit. Item iam Reges plerique, nonne, si musicantur, uocantur Apollines? cum inebriantur, Bacchi? cum luctantur, Hercules? in omne dedecus, gaudentes adulatione, abducuntur. Rectè Curtius lib, 8. ait: Adulatio perpetuum malum Regum, Quorũ opes sæpius assentatio, quàm hostis euertit.

Quin & innata Principibus uitia libenter palpones imitantur. Sic Alexandri Regis adulatores ceruicem inflexam, & in dicendo uocis asperitatem reddiderunt. Sic item ferunt Platonis familiares, contractos humeros expreßiße. Item Aristotelis contubernales balbutiem illius imitari solitos. Præterea fingunt se morbo simili ægrotantibus teneri

neri, & nec acutè cernere, nec audire, si cum luscio sis ac surdastris agant. Quemadmodum Dionysio cæcutiente, adulatores illius, alius in alium impingentes, & patinas inter cœnandum deijcientes, simulabant & ipsi cæcutientiam. Quæ specie tenus grata quidem regi dementato, sed re uera turpissimum nasutæ turbæ præstigium, & irrisio fuit. Rectè igitur diuus Hieronymus: Ne credas, inquit, laudatoribus tuis, imò irrisoribus, aurem ne libenter accommodes: Qui cum te adulationibus fouerint, & cum te impotentis mentis effecerint, si subitò respexeris, deprehendes post te colla incuruari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantis canis protendi linguam. Quocirca in exquisita cordis sui curia perspiciat Princeps conuersantium secum mores, ut pernoscat examussim, & quos charitate uera sibi deuinctos habeat, & qui sibi per fraudem adulentur. Pleriq; enim beneuolentiam simulantes, magno credentibus detrimēto sunt. Despiciat igitur adulandi peritos, eosq;, qui adulatione beneuolentiam captant, nec patiatur, ut meliores apud se partes occupent improbi. Etenim ut mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, ita adulatorum turba, non principem ipsum, sed diuitias eius sequuntur, non amici hominis, sed mensarum atque loculorum. Hinc rectè Solon admonet, inquiens:

Hieron. ad rust. mont.

Aga. ad Iu.

Isocrat. ad Nicoc. re.

Sen. de remed. fortui.

Diog li. 1. Tu si sapis, fac singulos probè obserues,
Ne fortè quisquam tegat, quod habet intus
Odium, & interim uultu loquatur blando,
Ac lingua duplex ex atra sonet mente.

Porrò qui uultum fingit, machinatur malum. Qui labra componit, mala perpetrabit. Quippe uultus egregiè fingere, & ad Empusæ morem, in uarias formas se uertere, omnibus denique adfectibus accommodare cortatiles ad unguem nouerunt adulatores. Qui ut aucupes auicularum uoces imitantur, ita se dominorum moribus attemperant, ut hisce artibus gratiam uenentur, ac se dominis commẽdent. Qui cum externorum adfectuum, uitarum, ac motuum imagines in se recipere soleant, eleganter speculis comparantur, & chamæleonti. Certè ut hic colorum omnium exprimit similitudinem, præterquam albi, sic adulatores fucatis omnia coloribus, non ueris exprimunt penecillis. Quorum ut pisciũ Polyporum mutationes facilimè deprehendere licebit. Etenim in conspectu Principum integerrimi, fidelißimi, omniumq; officiosißimi comparẽt, mox uultum auertente domino, sceleratißimi, perfidißimi, & ad functiones honestas pigerrimi nebulones conuincuntur, eò solum, unde priuata commoditas effulserit, omnia studia sua dirigentes. Quòd si Princeps hominem aliquem uituperet, & illi uituperant, dicentes; Serò tu quidem hominem per-

Prouer. 19. Plu. in pol. Plu. de dis. adu. et am.

nosti, nam mihi nec ab initio placebat. Rursus, si mutata sententia, laudet, multo magis laudant illi: Per Iouem, gratulamur (inquiunt) & illius nomine gratiam habemus, planeq; uera credimus quæ dicis. Quod si dixerit Princeps: Diuersum uitæ genus suscipiam, & à Reipublicæ negocijs digressus, in tranquilliorem uitam me conferam. Idem suadent Adulatores, inquientes: Iam olim ab his tumultibus, & hominum inuidentijs nos liberari expediebat. Quòd si rursum ad negocia & causas agendas propensius uideatur, statim acclamant: Digna te profectò cogitas: Nam à negocijs abesse, iucunda quidem res est, sed humilis & ingloria. Denique quicquid dicunt Principes, idem Adulator dicit, artis Gnatonicæ memor proloquens: Hisce ego non paro me ut rideant, sed his ultrò arrideo, & eorum ingenia admiror simul. Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque. Negat quis, nego: ait, aio. Postremò imperaui egomet mihi, omnia adsentari, is quæstus nunc est multo uberrimus. Id intelligens Chirosophus, Dionysij Adulator, cum uideret Regem cum aliquot familiaribus ridentem, ipse, quanquam longo abesset interuallo, nec audiret, pariter risit. Vnde Iuuenalis: Ridet (inquit) maiore cachinno

Ter. in Eu.

Era. 6. ap.

Concutitur: flet, si lachrymas conspexit amici.

Iuu. sa. 3.

Sed hæ ueræ lachrymæ non sunt, sed Crocodili, aut eiusmodi, quas fortior uini melioris haustus facilimè poterit ad hilaritatem reducere. Sic reliquæ omnes adulatorum actiones fictæ sunt. Et laudes plerumq; non ex ueritate, sed metu profectæ. Quod Abstemij docet Apologus de Aquila: Quæ se in pulchritudine cæteris auibus præferebat, cunctis hoc uerum affirmantibus, Pauo secum dicebat: Non pennæ te formosam, sed rostrum & ungues efficiunt, quorum timore nulla ex nobis audet tecum de formositate contendere.

Hæc omnia, quoniam Principes uelut effascinati, non intelligunt, aut tardius accipiunt, Carneades dicere solitus fuit: Regum ac Principum filios nihil rectè atque bene discere, præterquam equitare. Quòd solus equus non curans, regem gerat, an priuatũ, diuitem an pauperem, tergo excutit, quisquis equitandi fuerit imperitus: sed alij omnes adulantur, exosculati stultam illam & aspernandam Bionis sententiam, sic dicentis: Si quis agrum laudando feracem, & frugiferum reddere queat, non uideri errare, qui id facere malit, quàm fodere et fatigari. Verũ cum adulatores insinuatione prorsus artificiosa, Principibus palpum (ut aiunt) obtrudentes, uictum & amictum sibi splendidum aucupentur, non immeritò similes feruntur muscis, quæ ut sanguinem extrahunt, sic illi pecunias exugunt.

Era.7.ap.

Plu.de dif. adu.et am.

Vnde

Vnde Nicesias Alexandro abigenti muscas, quòd ab illis diceret se morderi: Magis, inquit, ab alijs quæ plus tui habent, gustato sanguine. Adulatores notauit, ut omnibus muscis plus sugentes. Quod non contingeret, si caudam illi Principibus non iactantes, ueritatem ubique loquerentur. Hæc enim odium parit, ac molesta est. Etenim qui libere & sine adulatione ueritatem prædicant, & gesta prauæ uitæ arguunt, gratiam non habent apud homines. Atqui uersipellis Adulatio colligit beneuolentiam, ut prandia consequatur opipara. Eras. 6. ap.

QVID PRINCEPS AB assentatore laudatus cogitare debeat.



Laudatus ab assentatore Princeps cogitabit, sub laudandi prætextu se peculiariter ad honesta inuitari, admonitum, ut talis euadat, qualis encomio prædicetur. Et id propterea fieri, quòd generosus animus blandimento magis, quàm scurrilibus conuicijs admoneri debeat, atq; uelit. Cogitabit laude celebratam colli torquem, nihil aliud innuere, quàm uirtutum omnium concentum, & harmoniam: Auri fulgorem, animi synceritatem poscere. Gemmarum multiplici colorum gratia nitentium lumina, significare,

uirtutum excellentiam, & quod quicquid honestũ id in Principe eximium esse debere. Animo uersabit, ornamenta sua splendidißima nihil aliud indicare, quàm uehementem erga ciues charitatem. Reputabit insignia sua clarißima uelle, ut maiorũ suorum uirtutes, uel æquet, uel superet. Animo reuoluet eximios Maiestatis titulos, & magnificum gladij ius ideo concessum, ut meminerit huius præsidio patriam oportere tutam esse, cum ab hostibus, tum à scelerosis.

DE ARTIBVS Assentatorum.

Plut. de dis adul. et ami



Vas potißimum esse ferunt artes Adulatorum: Prior, In ueris ac grauibus dominorum flagitijs, nihil se scire, se nihil intelligere cor tales simulant adulatores: sed ad errata leuißima, nihil etiam ad se pertinentia, mirẽ concitantur, magnoq; clamore & acrimonia iurgantur: Vt si quod uas in aula neglectum, pauimenta stercore canino fœdata, relictas aranearum telas conspexerint, si Principis ocreas luto conspersas. turbatum uentis amictum, animaduerterint, si parum splendidè uestitum, si à tonsore rustico male tonsum: si deniq; canes, & aues non bene pastas uiderint. Atqui parentũ neglectus, nimia uiuendi

licentia

licentia, fastus in familiares, insatiabilis ludendi auiditas, prodigalitas, animus efferus, ebrietas, libido, furor, nihil prorsum hos mouent, in his elingues sunt, in his timidi, perinde quasi Aliptes athletam inebriari, scortariq; sinens, circa Lecythum, & frictum morosus sit, Aut si Grammaticus puerũ de tabula, deq; stylo castiget, porrò barbarismum & soloecismum committentẽ, audire se dißimulet. Sic adulatores Ptolomæo Regi, cum discendi cupidus, ac pietatis studiosus uideretur, de lingua, de uersiculis, de Historiala, atq; alijs de nugis, ad mediam usque noctẽ reluctabantur, sed tympana pulsanti, sæuienti, uiribus imperij turpiter abtenti, uectigalibus opprimenti populũ, & alia patranti crimina, nemo repugnabat. Non aliter ergo, ac si quis hominis tubera, fistulasq; habentis, medico ferro pilos duntaxat incidat, & ungues. Sic adsentatores, obiurgandi libertatem, ijs admouent partibus, quæ non dolent, neq; molestiam adferunt.

ALTERA. Cum animus humanus duas habeat partes, alteram ueram, honestis gaudentem, rationi obtemperantem, Alteram rationis expertem, mendacijs gaudentem, adfectibus obseruientẽ, Adulatores astutã uapido portantes pectore uulpem, solent relicta meliore, ad brutam, & adfectibus obnoxiam partem adhærescere, Hanc scabunt, ac titillant, huic persuadent, & abducunt

à rationis amussi, perniciosam quandam mollitiem illi molientes inducere. Ergo quemadmodum cibi nonnulli sunt, qui neq; sanguini, neq; neruis, neq; medullis aliquid uigoris addunt, sed pudenda modò permouent, aluum tumefaciunt, & carnem supputrem & flaccidam gignũt, Sic assentatoris oratio, nihil addit sobrietati, nihil prudẽtiæ nihil uirtutibus alijs omnibus, sed uiciorum irritamenta prouocat, semper alicui imminens animi morbo, hunc premit, & urget, Bubonis in morem undique putribus, & inflammatis animi partibus incumbendo. Proinde si irasceris, ulciscere, inquit. Si concupiscis, fruere, inquit. Si suspicaris, crede, inquit. Si diuitijs inhias, rape, inquit. Si regnum affectas, bellando tibi subijce, inquit.

QVOMODO PRINCEPS adulatorem ab amico discernere debeat.



Eruos omneis in id Princeps intendere debet, ut pernoscat, qui ueri sui sint amici, & qui more parasitorum, cibi gratia diligant non ex animo. Quippe nemo minus amicus est Principi, quàm qui turpiter assentando, dementat, & abducit à recto, qui bellis inuoluit, qui persuadet expilationes populi, qui tyrannidis

Er. in princip. instit.

rannidis artem docet, qui illum bonis omnibus facit inuisum: hæc est uera proditio, & non uno supplicio digna. Existimet ergo uerissimos amicos, non qui laudent omnia, quæ dicantur à domino, sed qui nihil non integro iudicio facere contendũt sic ut gratulentur tibi, si benè: contrà mœrore afficiantur, si perperam dixeris, aut feceris, Hos reuera ab omni fraude abhorrentis amiciciæ præ se ferre scias insignia. Quippe uerus amicus in rectis factis socius est imperterritus, nõ in peccãdo. Fidus amicus inseruit in rebus honestis, Adulator in turpibus: hic ad gratiam, ille ad Reip. utilitatem. Verus amicus, nullius hominis crimina laudat nec ullius personæ metu deterritus mendacia dicit sed mordicus tenet illam sententiam D. Augustini sic dicentis: Quisquis metu cuiuslibet potestatis ueritatem occultat, iram Dei super se prouocat, Quia magis timet hominem quàm Deum, cui magis quàm hominibus oportet obedire. Rex eris, ait Horatius, si rectè facies, hic murus ahæneus esto.

Agapetus.

Plut. de dis adul. & ami.

August. ad Casulanum

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Audebit dicerẽ Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre patiq;
Indignũ coges? adimam bona, nempe pecus, rẽ,
Lectos, argentum, tollas licet: in manicis, &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo:
Ipse Deus, simul atq; uolam, me soluet opinor.

Hor. 1. epi. & 16.

Hoc sentit, moriar: mors ultima linea rerū est.

Contra ollares amici, quales illi sunt aulici canes, ad parietem, ut aiunt, felicem inflectere soliti, omnia uentris gratia suscipiunt ac laudant, nihil curantes, honesta sint an turpia, commoda uel noxia: uersipelles audent tenebras lucem, lucem tenebras dicere, in opere bono pigri, solum in negocijs (ut dictum est) subalaribus strennui, lapidem omnem mouent, ne gratiam lenocinijs comparatam amittant, nihil soliciti utrum dominis oportunè res an malè sit casura, Vnde sub persona adulatoris aulici rythmicus Germanus Murszhaim cecinit:

Iohā. Agri.

Alles was mein herr gern höret/
Vnd wan er land vnd leut verdöret/
So radt ich / ja Herr/ es sei gůt/
Wiewol ich anders hab im můt/
Ich hilff vnd radt machen parthei/
Obs wol wider gemeynen nutz sei/
Wann mir eyn schlecklin dauon wirt/
Was frag ich darnach wen es irt.

Hoc est:

Cuncta loquor, miseris, dn̄o aut nocitura, uel ipsi
Perspiciam altori, quæ placitura meo.
Corde gerens aliud, lingua consulto, quid ad me,
Si fleat hirtus, ego dum satur altilium.

Io. Chry. li 4. de uestig philosop.

Adulator igitur qui uere scorpius dici poterit incedens palpando, sed cauda feriens, & quasi cla

mum

Cum in illius oculum, cum quo sermonem conserit figens, maximè cauendus est Principi, sapienter imitaturo Regem Agesilaum, quē Xenophon narrat, eos amicos fauore prosecutum, & ab ijs libenter laudari solitum, qui non dubitarent, & uitupe rare. Nam amicus iucundus & blandus putandus est, qui quandoque poßit contristare. Et melior est manifesta correptio, quàm clādestina dilectio. Et melius est, à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. Princeps igitur adulatores hostium numero ducat, & fidos existimet amicos, non qui quicquid dixerit, aut fecerit, laudant, sed qui errantem audent increpare. His faueat, & parum etiam dextrè monentibus ignoscat, ne rectè monituri ullo feritatis exemplo, deterreantur ab officio. Rectè igitur Agapetus ad Iustinianum: Accepta cos, qui bonorum te consiliorum admoni tum uolunt, non eos, qui adulantur. Illi, quod expe dit, perspiciunt: hi quæ potentibus cordi futura, respiciunt, corporum umbras imitantes, singulis eorum dictis applaudunt. Proinde suspecta sit blandiloquentia, nec æstimandi homines ex bonis dictis, sed ex bonis factis. Insidiatur Principi, quisquis admodum blandus est. Meminerit sic capi & illici aues, scilicet imitatione uocis. Hinc illud Catonis.

Ex Plutar.

Prouer. 27

Ecclesia. 7

Isocra. ad Nicoclen reg.

Noli

Noli hòmines blandos nimium ſermone probare,
Fiſtula dulce canit, uolucrem dũ decipit auceps.
Breuiter qui grata ſemper loquuntur, et qui com modi ſui gratia ſunt amici, ueri nõ ſunt amici, ſed adulatores atq; paraſiti. Quos dum affatim paueris, arridebunt, plaudent manibus, laudabunt uirũ optimum, liberalem deniq; patrem patriæ dicent. Sin aliquando ceſſaueris, ſiquidem ſponte auarũ, ſordidum, miſerum diffamabunt, & aduerſitatis tempore fugiunt: Sed amici ueri in aduerſis hærent & illas domos auidius frequentant, quas fortuna deſeruit. Vnde Tarquinius Superbus Rex, factus exul, dicere ſolitus: Se tum deniq; cognouiſſe, quos habuiſſet amicos fidos, quos infidos, cum neutris gratiam referre poſſet.

Petrar. lib. 1. dial. 19.

Eraſ. 6. apo.

QVOMODO PRINceps amicorum animos experiri queat.

Eraſ 7. ap.



Ex Demetrius aiebat ueros amicos in rebus lætis adeſſe uocatos, in aduerſis inuocatos, & ultrò, ſed uulgo ſecus fit. Nam princeps in ſumma rerum affluentia & felicitate plurimos etiam nõ uocatos habet amicos, ſed in aduerſitate paucos, iuxta illud.
εὐτυχία πολύφιλος. Et.

Donec

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Viri enim infortunati (ut aiunt) procul amici. Ergo si rebus adhuc florentibus, experiri uoluerit suorum fidem, imitari poterit uirum illũ diuitem; qui fotunatus, & admodum liberalis, magnam habebat amicorum copiam, quos ad cœnam sæpißimè inuitabat, ad quam libentißimè accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus & periculis sibi fideles essent, omnes pariter conuocauit dicens: Obortos sibi inimicos, ad quos perdendos ire statuerat. Quare correptis armis secum irent ut illatas sibi ulciscerentur iniurias: Tunc omnes præter duos, sese excusare cœperunt. Cæteris igitur repudiatis, illos tantum duos, in amicorum numero habuit, quos deinde sigulari amore prosecutus est. Vafrum Constantij, qui Constantini pater erat, factũ, qui uolens in suo palatio quosdam Christianos probare, si boni & solidi essent uiri. Euocans uniuersos præcepit dicens, ut si quidem uenirent ad sacrificandum, & eius colerent Deos, circa eum essent; & in suo cingulo permanerent. Si uerò refugerent egrederenturq́;, de palatio gratias agentes, quò minimè punirentur. Cumq́; in utroque apparuissent, alij quidem religionis desertores, alij uerò diuina præsentibus præponentes: deliberauit eis amicis, & consiliarijs uti, qui in me-

Ex fabulis Abstemij.

lioribus fideles constanteſq; permanſerūt. Alios uelut effœminatos auerſatus, expulit à ſuo colloquio, credens eos nunquam circa ſuum principem fidos fore, qui fuerint Dei ſui ſic paratiſsimi proditores, ut habetur Eccleſiaſticæ hiſtoriæ li. primo.

QVOMODO PRINCIPEM ab amicis expediat admoneri.

Seneca de beneficijs.



On incaſſum dixit Seneca: Monſtrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna faſtigia, & quid poßidentibus omnia deſit, ſcilicet: qui dicat uerum. Vnde una contentio eſt, quæq; blandiſsime fallat. Quod potiſsimum ad aulicos proceres referri poteſt, quorum pauciſsimi ſunt, qui uelint, uel auſint Principem libere reprehendere magis, quàm ad gratiam loqui. Rurſum inter hos paucos, haud facile reperias, qui id facere norint, ſed ita ſe liberè loqui putant, ſi conuitientur ac uituperent. Atqui libertas intempeſtiua ſimilis eſt pharmaco, non in tempore dato, moleſtiam magis, quàm utilitatem adferenti. Erit igitur eorum, qui cū Principe conſuetudinem agunt, ut in tempore, ut commodè, ut amicè moneant. Deinde ut ſpectent, ut ad illius utilitatem atque honeſtatem oratio pertineat, ne ſermo ſpiret aliquam priuatam cōmoditatem. Vnde Hyperides iubebat

Plut. de diſ. adul. et ami.

Er. in princip. inſtit.

Plut. de diſ adul. et ami

Atheni-

Athenienses considerare, non solum an esset acerbus, sed an gratis acerbus. Attamen, si iusta ratione propulsus, iniuriæ priuatæ incusare uolueris Principem, id commodius feceris aliorum prætextu. Sic Plato, cum ipse negligeretur à Dionysio, super Aeschine neglectui habito, Tyrannum admonuit. Etenim cum ipse à Dionysio fastidiretur, parumq; cum illo conueniret, poposcit congrediendi copiam. Ille putans Platonem aliquid de se questurum, dedit, Plato uerò in hunc modum cum eo disseruit: Si quem senseris inimicum in Siciliam appulisse, Dionysi, qui mali quippiam tibi facere uoluerit; cæterum non data oportunitate nihil malifecerit, nũ hunc sineres abire, citraq; noxam dimitteres? Multum abest, inquit Dionysius, ut id faciam, ò Plato. Oportet enim hostium non facta solum, sed animi quoque propositum odisse. Ergo si quis, inquit Plato, tui amore beneuolentiaq; huc profectus boni quippiam tibi cupiens adferre, non faciat autem, te non præbente illi oportunitatem, num par est hunc nulla cum gratia, contemptum abijcere? Hic cum Dionysius interrogasset, quisnam is esset, Aeschines, inquit, uir & moribus cum quouis Socratis amicorum conferendus, & qui poßit dicendo meliores reddere, cum quibus habeat consuetudinem. Is cum huc multum emensus maris adnauigauit, ut per philosophiam,

Elegans inductio Platonica.

tecum haberet consuetudinem, neglectus est. Hæc Platonis oratio, in tantum commouit Dionysium ut protinus illum complecteretur, beneuolentia hominis, animiq; magnitudine delectatus, Aeschinem uerò honorificè splendideq; tractaret.

Deinde curandum ut libertas admonendi morum iucunditate sit condita, ne contentiosa & contumax sit oratio, sed placida & ciuilis. Ciuilius, uerbi gratia, fuerit, Si dicas: Ignorasti Princeps illustrißime, quàm si dicas: iniuriam fecisti. Item: Non attendisti, dictu mollius est, quàm: turpiter egisti. Rursum: Ne contendas cum adfinibus, moderatius, quàm si dicas: Ne uiolenter illorum iura peruertas, ac bona rapias, Item: Fuge concubinas te corrumpentes, urbanius, quàm si dicas: scortationibus aßiduis corpus & animam perdas. Hic paulo tamen acriore, & magis seria opus est reprehensione, cum tempus scilicet, deposcit, ut beluina uoluptate, aut ira, aut ferocitate praecipitem coërceas, aut ut aduersus stultum aliquem animi motũ reluctaris. Sic libere locutus est Solon apud Regem Crœsum, instabili felicitate corruptum ac tumidum, iubens spectare finem. Sic Socrates compescuit Alcibiadem, ac ueras expreßit lachrymas, cum illum coargueret, & cor illi funditus moueret. Sic Plato Dionem, cum esset florentißimus, & ob formam rerumq; magnitudinem,

uem,omnium in se uertisset animos,ad monuit,caueret ac metueret contumatiam, ut cuius comes esset solitudo. Scripsit eidem Xeusippus, ne superbiret,quòd magnifieret inter pueros, & mulierculas,sed uideret, ut Siciliam æquitate, iusticia, optimisq; legibus sic ornaret,ut eam celebrem redderet Academiam.

Postmodum cauendum,ne libertatem admonendi iactemus, ac uulgò circumferamus, sed ad iuuandum Principem ac sanandum, ea duntaxat utamur,nec inter pocula monitoris personam induamus.

Insuper cauendum erit & illud, ne coram pluribus obiurgemus Principem. Certe non aliam ob causam, in Cletum perinde concitatum Alexandrum fuisse plures arbitrantur, quàm ut Regem uinosum,multis præsentibus coërceret. Et Aristomenes institutor Ptolomæi, quòd dormitanti præsentibus Legatis institerit,& expergefecerit, ansam quandam præbuit adulatoribus, Regis uicem indignari sese simulantibus,si tantis laboribus ac uigilijs fessum somnus occupauit, Seorsim, inquiunt,admonere te debemus, non coram tam multis uiris manum inijcere. Conueniet igitur illud Platonis habere in animo. Nam cum Socrates obiurgaret acrius familiarem quempiam, in conuiuio cum eo disceptans: Nonne satius fuerat, inquit,

Plato, hæc illi seorsim dixisse? Et Socrates: At tu sanè nonne satius fecisses, si seorsim ista mihi dixisses?

Postremo curandum, ut amarulentam admonitionem ad extremum adhibita uerborum comitate mollias. Conueniet igitur imitari Medicos, qui ut cum secant partem adflictam, in cruciatu non destituunt, sed placidè rigant ac leniunt, sic qui admonent ciuiliter, non protinus aufugere, sed alijs colloquijs, & uerborum comitate delinire, ac mollire debent. Quo neglecto periculum accedit. Etenim Principem eum, qui reprehensione uulneratus deinde ira percitus turbatusq;, dimissus abierit, postea difficilimè reuocaueris, & ægerrimè consolatus fueris.

QVAENAM INCOMmoda crimen Adulationis sequantur.



Eras. 3. apo

Iogenes, aut, ut Plutarchus uult, Bias interrogatus, quæ bestia morsum haberet nocentissimum, & quod animal esset omnium maximè noxium. Si de feris, inquit, interrogas, obtrectator. Si de cicuribus, adulator. Nam obtrectator præ se fert odium. Adulator sub amici persona multò etiam lædit grauius, & sub

melliti

melliti ueneni pigmentis, plurimum incommodat, ut adulatio perniciosa, prouerbio non iniuria dicatur, melle litus gladius. Etenim ut aranea (ut aiunt) antequam mordeat, linit: & medicus, antequam feriat: & auceps, & mulier, quem fallere uult, delinit: & polypus quem demergit, amplectitur. Ita pessimi hominum nunquam terribiliores sunt, quàm dum se gestu & uoce lenissimos ostendunt. Quod in primis de Domitiano Principe lectum est. Vix ulla est sine suspitione delinitio, & ad fallendum humana uoce nihil aptius. Vnde non malè Diogenes, uel ut alij scribunt, Antisthenes Atheniensis aiebat, si ad alterutrum adigeret necessitas, satius esse in coruos incidere, quàm in adulatores, εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας. Nã corui non comedunt, nisi mortuos, Adulator etiam uiuos deuorat, & plus lingua uenenata persequitur, quàm manus persequentis. An non persequi est, foris uultu uirgineo applaudere, intus scorpionis (ut dixi) aculeo pungere, Fronte blanda mellitos adulationis imbres compluere, corde perfido infanda machinari, Ex hominibus stultis insanos facere. Breuiter in omnia genera discriminum adducere, idq; mellito laqueo, id est, per adulationem, quæ periculis maximis, & criminibus grauissimis plena manu subministrat fomenta. Nam qui malè agentibus adulatur, pul-

Petrar lib. 1. dialog.

Era. in pro Ad coruos. & 7. apo. August. sup. psal. 69. Alanus de cõplanctu naturæ.

uillum sub cubito, & ceruical sub capite peccantis ponit, ut eo fultus in uitijs molliter quiescat. Eiusmodi puluillos & ceruicalia sub Alexandri ceruice posuit adulator Anaxarchus. Qui cum Alexandrum, ob Cliti necem, quam inter uina perpetratam insonti Rex intulerat, se discruciantem uideret: Clito, inquit, contigit iustitia, quæ dijs aßidet, persuadere turpiter cupiens, homicidium diuinum factum, & quicquid à Rege fieret, ius fasq; esse. Et crimina Regis Cambysæ turpiter fouerunt iudices Persici, qui percontanti Regi, num qua lex esset, quæ cum sorore (cuius amore fœdo captus erat) nuptias contrahere sinat, responderunt, nullam se apud Persas eiusmodi legem inuenire, præter eam, qua licet Regi facere, quicquid libet.

Erd. 6. ap.

Herodo. in Thalia.

Porrò si non oscitanter historias euolueris, inuenies complures potentißimos Heroas, in maria, ut aiunt, malorum ab aßentatoribus sæpißimè præcipitatos, & ex summa felicitate miserrimam in calamitatem detrusos. Quondam Hieronymus ille Syracusarum Tyrannus fortunatißimus uixisset, si fidem erga Romanos, Hieronis aui sui uestigia secutus, integram conseruaßet: & disciplina, in qua bene fuit edoctus, institisset, non adulatione corruptus, fœdera turpiter rupißet. Sed inflatus eorum aßentationibus, qui eum non Hieronis, sed Pyrrhi etiam Regis materni aui iubebant meminiße, legationem

Liu. lib. 4 sec. bel. pu.

quem ad Carthaginienses misit, qua æquum censebat, Siciliam sibi omnem cedi. Quam iactationem in iuuene furioso, non arguebant adulatores, dummodo auerterent eum à Romanis. Sed omnia in eo præcipitia (ut supra dictum) ad exitium fuerunt. Legimus Alexandrum, summo ingenio, summa modestia discipulum Aristotelis. At postea quàm ab adulatoribus Rex fuit appellatus, superbum, crudelem, & immoderatum euasisse. Græciæ bellum illaturus Xerxes septuaginta millia de regno suo armauerat, & trecenta millia de auxilijs, ut non immeritò proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Græciamq; uix capere exercitum eius potuisse. Naues quoq; decies centum millia numero habuisse dicitur. Harum igitur copiarum fiducia Rex elatus intumebat, & animum superbum, oblitumq; quàm caducis confideret, adulatores impellebant. Alius aiebat, non laturos nuncios belli, & ad primam aduentus famam, ter ga uersuros. Alius nihil esse dubij, quin illa mole non uinci solum Græcia, sed obrui posset: magis uerendum, ne uacuas desertasq; urbes inuenirent, & profugis hostibus uastæ solitudines relinquerentur, non habituris, ubi tantas uires exercere possent. Alius illi uix rerum naturam sufficere. Angusta esse claßibus maria, militi castra, explicandis equestribus copijs campestria. Vix patere

Cic. epist. ad Atti. lib 13.

Iust. lib. 2. Orosius lib 2. cap. 10.

Sene. lib 6. de benefi.

coelum sagittis, ad emittenda omnia manu tela. Cũ in hunc modum multa undique iactarentur, quæ hominem nimia æstimatione sui furentem concitarent Demaratus Lacedæmonius solus dixit, ipsam illã, qua sibi placeret, magnitudinem indigestam et grauem, metuendam esse ducenti. Non enim uires, sed pondus habere, Vi modica nunquam regi poße, nec diu durare, quicquid stare non ualeat. Nihil tã magnum esse, quod perire non poßit, &c. Sed adulatorum sententia præualuit. In hostium igitur regiones copias traiecit? Sed ut introitus in Græciam terribilis fuit, ita turpis ac fœdus disceßus. Nam
Val.li.3. cap.2. Leonida Spartanorum rex cum trecentis ciuibus apud Thermopylas toti Asiæ obiectus, grauem illum & mari & terræ Xerxen, nec hominibus tantum terribilem, sed Neptuno quoq; compedes, & coelo tenebras minitantem, pertinacia uirtutis, ad ultimam desperationem redegit. Et stratus per totam Græciam Xerxes intellexit, quantum ab exer
Ex Seneca. citu turba distaret. Itaq; Xerxes pudore, quàm damno miserior, Demarato gratias egit, quòd solus sibi uerum dixißet, & permisit petere, quod uellet. A qui bello in Græcia infeliciter gesto, contem
Orosi.li.1. cap.11. ptibilis suis factus Xerxes, per Artabanum præfectum suum in regia circumuentus occisus est. Quo uel uno miserrimo Regis, per adulationem perditi, fato Principes cautiores facti discerent, ipsam te-

ter-

terrimam uiciorum adiutricem, adulationem amo uendam, malorumq; machinatricem fugiendam esse. Sed cum hodie plurima durent in aulis adulationum genera, nullum tamen exitialius aßentandi genus, quàm cùm uerbis Euangelicis, aut propheticis aßentatores, animi morbis blandiuntur, non medentur. Audit Princeps: Omnis potestas à Deo, protinus surgunt cristæ, & Adulatore peruicaciter instigante, cornua tolluntur. Audit Princeps: Exijt edictum à Cæsare, ut describeretur totus orbis. Item: Aperto piscis ore, inuenies staterem, acceptũ eum, da illis pro me & te. Item: Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Et uectigal, cui debetis uectigal &c. His protinus inflatum Principem Adulator admonet, & calcaria subdit, dicens: Aequißimum eße, ut non magna etiam urgente neceßitate, sed rebus pomposo magis quàm utili apparatu consumptis, pecunias à miseris subditis extorqueat, sudorem ac sanguinem populi pauperis exugat. Ita dum Adulator uersipellis malefacta Principum laudibus effert, auget, quæ debuerat increpare. Hinc ergo per Prophetam dicitur: Væ his, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis. Ad hoc quippe sub cubito puluillus, uel ceruical sub capite iacentis ponitur, ut molliter (ut dixi) quiescat in peccatorum uolutabro.

Cic. de am.

Erasmus in mil. Chri.

Gre. in mo.

Ezech. 13.

Rectè

Rectè igitur Agapetus Iustinianum monet, inquiens: Pellaces adulatorum sermones auersare, ut coruorum rapaces mores: illi namq; corporis effodiunt oculos, isti autem animæ hebetant cogitatus, cũ non permittant perspicere rerum ueritatem, uel enim commendant nonnunquam, reprehensione quæ digna sunt, uel reprehendunt plerunq;, quæ omni laude sunt maiora, ut de duobus alterum ab ipsis committatur, uel prauorum laus, uel contumeliosa bonorum criminatio, Quorum memores Ethnici Cæsares ac Principes, Vatiniano quodam (ut aiunt) odio prosecuti sunt adulatores. Octauius Augustus, quamuis scelere occuparit imperium, cõtumeliæ loco ducebat, uocari dominum, & hanc appellationem à Mimo delatam, coram uniuerso populo, uultu simul & uoce renuit, uelut eo uocabulo tyrannis exprobraretur. Quam hominis Ethnici modestiã, non malè Princeps Christianus imitaretur. Idem Tyberius Cæsar fecit. Is cuidã, à quo fuerat dominus appellatus, denunciauit, ne se amplius cõtumeliæ causa nominaret. Etenim adulationes ad eo auersatus est, ut neminẽ senatorũ, aut officij, aut negocij causa ad lecticã suã admiserit. Et quendam dicentem: sacras eius occupationes. et rursum aliũ: Autore eo senatũ se adijsse, uerba mutare, & pro autore suasorẽ, pro sacris laboriosas dicere coëgerit. Quanta modestia in tanto Principe? Nunc quidem

Erasm. in prin. instit.

Suet. in Tyberio.

Era. 6. ap.

dem nihil audire poßunt, nisi sacras maiestates, gratiosas celsitudines, & reuerendißimas dominationes. Item Alexander Magnus in Ammonis templo, quum à uate dictus eßet Iouis filius: Nihil, inquit, mirum. Nam Iupiter omnium quidem natura pater est, sed ex his optimos quosque peculiariter suos facit. Modestißimè interpretatus est oraculum. Nam uates per adulationem dixit illum filium Iouis. Alexander fassus est, Iouem natura autorem ac parentem esse omnium: sed eos demum peculiariter pro suis filijs agnoscere, qui uirtute ac præclarè gestis proximè ad diuinam naturam accederet, ea est, omnibus benefacere. Eras. 6. apo.

Item. Cum in obsidione cuiusdam urbis infirmissima mœnium quærens, sagitta ictus esset, multiq; eorum, qui illum sæpenumero Deum appellare consueuerant, accurrissent, serena fronte: Hic quidem inquit, sanguis est, ut uidetis, & non liquor, ut canit Homerus. Omnes me prædicatis Iouis eße filium, sed uulnus hoc, hominem me esse clamat. Plu. in ap.

Item. Cuidam apud Lysandrum iactanti, quòd ipsum & laudibus ueheret, & aduersus obtrectantes tueretur. Duo, inquit, mihi sunt boues ruri, tacentibus ambobus, tamen certò noui, uter sit ignauus, uter ad laborem strenuus. Sensit ueram uirtutem non egere laudibus adulatorum, cum ipsa secū ducat suam laudem ac decus. Cæterum qui nihil ge- Eras. 1. ap.

runt

runt præclari,his opus est Thrasonibus atq; Gnatonibus. Item, Aristobulus Historicus librum conscripserat de rebus ab Alexandro Macedone gestis, in quo multa supra ueri fidem adulantißimè affinxerat, eum cum illi in nauigatione recitasset, Alexander arreptum è manibus librum in fluuium Hydaspen demersit, et ad Aristobulum conuersus: Tu inquit, dignior eras, ut eòdem præcipitareris, qui solus sic me pugnantem facis, ac uel uno iaculo interficis elephantum.

Erd.8.ap.

Victus tamen aliquando pellacibus adulatorũ lenocinijs Alexãder, ita matri scripsit: Rex Alexander, Iouis Ammonis filius, Olympiadi matri salutẽ dicit. Sed Olympias ei rescripsit in hanc sententiã: Amabô (inquit) mi fili, quiescas, neq; deseras me, neque criminere aduersum Iunonem. Malum mihi prorsum illa dabit, quum tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris. Sic mulier scita comiter admonuit, deponendam esse opinionem uanam, quam ille blandimentis adulantium imbiberat, genitum esse sese de Ioue. Item. Adulatores cane peius & angue oderat Alexander Seuerus. Qui solum hoc nomine uolebat salutari: Aue Alexãder. Quòd si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, uti adulator, uel abijciebatur, si loci eius qualitas pateretur, uel ridebatur ingenti cachinno, si eius digni-

Gell.li.13. cap.4.

Ael. Lam. in Ale. Seu.

tas

tas grauiori subiacere non poßet iniuriæ.

Idem adulatorem aulicum, qui malignæ assentationis artificio, in causis ab utraq; parte pecunias acceperat, fumo necauit. De qua re scribit idem autor, inquiens: Alexander solus post meridiem, uel matutinis horis, idcirco nunquam alios uidebat, quòd ementitos de se multa cognouerat, Speciatim Verconium Thurinum, quem cum familiarem habuißet, ille omnia uel fingendo sic uendiderat, ut Alexandri quasi stulti hominis, & quem ille in potestate haberet, & cui multa persuaderet, infamaret imperium, sicq; omnibus persuaserat, quòd ad nutum suum omnia faceret. Deniq; hac illũ arte deprehendit, ut quendam immitteret, qui à se quiddã publicè peteret, ab illo autem occultè quasi præsidium postularet, ut pro eo Alexandro secretò suggereret. Quod cũ factũ eßet, & Thurinus suffragium promisißet, dixißetq; se quædam Imperatori dixiße, quum nihil dixißet, sed in eo pendere, ut adhuc impetraret euentũ uidens: cumq; iterũ iußißet Alexander interpellari, & Thurinus quasi agens aliquid nutibus annuißet, neq; tamen interim quicquam dixißet, impetratum autem eßet, quod petebatur, Thurinus autem ab illo qui meruerat, fumi uenditor, ingentia præmia percepißet, accusari eum Alexander iußit, probatisq; per testem omnibus, & quibus præsentibus, quid accepisset, & quibus

Era. in prouerb. fumũ uendere.

quibus audientibus, quid promisisset, in foro transitorio ad stipitem altum ligari praecepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atq; humidis lignis fieri iusserat, necauit, Praecone dicente: Fumo punitur, qui uendidit fumum. Eodem supplicio dignissimi, qui adhuc in Principum aulis, sellis duabus sedendo, pecunias ab utrisque partibus accipere, & promissis ingentibus inopem lactando plebem aucupari munera, fumosq; uendendo res suas priuatas augere & exornare solent, inopum autem fortunas adfligere.

CALVMNIA.



N magnis Heroum aulis ubertim prouenit herba, quā uocamus Calumniam, hoc est, maliciosa et mendax infamatio. Quam Lucianus Assentationi cognatam, imò sororem esse scribit, quae radices ubi coeperit agere, plurimum incommodorum atque uenenorum producit, omnibus ipsa gladijs acutior. Calumniatoris enim uerba, perinde sunt ac uerbera, penetrantq; penetralia pectoris. Hinc Thearidas, cum gladium cote acueret, rogatus à quopiam, num esset acutus: Acutior, inquit, calumnia, grauiter innuens; rem omnium rerum nocentissimam esse calumni-

Prouer. 18. & 26.

Plut. in ap.

am. Cuius aduersus absentem arma sunt: Fallacia, mendacium, periurium, impudentia. Denique innumeræ imposturæ, & malitiosæ cantiones, ut ait Lucianus. Princeps igitur probus & circumspectus aures susurronibus, & calumniatoribus præbere non debet. Qui persæpe aures principales ita præoccupant, innocentes criminando, ut difficilimum sit, id ex præcordijs Principis euellere, quod falsus criminator infixit. Hinc Medius ille Calumniatorum dux iubebat audacter calumnijs mordere, inquiens: Si is qui morsus est, uulneri medeatur, cicatricem tamen calumniæ relinqui. Memoratissimum igitur illud, quod Historici laudant dictum Domitiani, Princeps animo infigat: Delatores qui non castigat, irritat. Imitetur dignum illud imitatione exemplum Alexandri Magni, qui in iure dicendo, quàmdiu dicebat accusator, aurem altera manu solebat occludere, quæ reo illibata seruaretur, alteram tantum porrigens accusatori. Hoc nimirum est, quod significare uoluit sacra scriptura dicens: Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis, hoc est, ut interpretatur diuus Hieronymus: Noli habere aures prurientes, ad audiendum alienas calumnias. Cuius rei gratia rectè Seneca docet libro secundo de ira: His quæ narrata sunt, inquit, non debemus citò credere. Mul-

Beroal. de opt. stat.

Plu. de dis. adu. et am.

Suetoni. in Domitian.

Plu. in uit.

Eccles. 28.

sti ementiuntur, ut decipiãt, multi qui decepti sunt. alius crimmatione gratiam captat, & fingit iniuriam, ut uideatur diluisse factam. Est alius malignus qui amicitias cohærentes diducere uelit. Sic (ut apud Herodotum scitè profert Artabanus) obtrectatio calumniosa, res est importunißima, in qua duo sunt, qui iniuriam faciunt. Qui detrahit, iniurius est: Et qui audit, & credit, iniurius est, quòd prius credit, quàm rem cõpertam habet. Sed qui calumniatores audiunt, & credunt, ut delatoribus peiores sunt, ita non inferiora etiam consequuntur incommoda: Primum, Prauiloquentiæ, uel ut Græci dicunt, ψευδολογίας amatores esse deprehenduntur, eamq́; pluris, quàm ueritatem æstimare. Deinde leuitatis crudelitatisq́; sectatores putabuntur, quæ in adolescentibus etiam turpißima habentur. Postremò inuidi uidebuntur, auditionis iniustæ magistram inuidiam facientes, cum sint ipsi calumnijs digniores, qui de alijs allatas easdem ueras putant. Maximè autem omnium Principes quodam quasi impulsu naturali dum audiunt, commouentur, & auditis fidem præstant, ita ut meritò dixisse uideatur Xerxes ille magnus Persarum Rex: Animum habitare in hominum auribus, nam prout bene, uel malè audit, ita lætatur, uel excandescit. Verùm, quum qui responderit, antequam audierit, stultus: Et qui citò credit, corde

Philost. li. de ui. Apo.

Berodl. de opt. stat.

Eccle. 29.

ce leuis est: In credendo Princeps lentus esse debet, & mores hominum, atque uerba pensitare, immò criminum consarcinatores, odorantes omnia, & proditorijs fraudibus omnia peruestigantes eijcere, explodere, eliminare. Proinde si aliquando suborituri fuerint in hanc sententiam calumnio se dicturi: Illustrißime Princeps in tua ditione, uillis, pagis, subditos habes, bipedum (ut aiunt) nequißimos Bumolochos, non capientes somnum, nisi hoc aut illud crimen designauerint, indignißimos, quibus sacrum illucescat solis lumen &c. non protinus adhibebit fidem Princeps, nec iubebit igni & ferro uastari omnia, sed prouerbium illud uetus in animo diligenter reuoluet: Μήτε δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, id est, Ne de lite pronuncies, nisi partes audiueris ambas. Vnde rectè Lucianus inquit: Scelestum & crudele iudiciū est, si quid statuatur anteaquā cum accusatione cōparata sit defensio. Cephidius olim calumniator acerrimus, apud Imperatorem Romanum Iulianum accusabat Numerium, ut furem, à quo quum obiecta diluerentur, nec posset in quoquam confutari. Tunc accusator inopia documentorum percitus, exclamauit: Et quis florentißime Cæsar nocens poterit esse usquam, si negare sufficiet. Tunc Iulianus prudenter, motus respondit hoc dictum bracteatū: Et quis innocens esse poterit, si accusare sufficiet?

Prou. 19.

Ant. Mar.

Item Antiphus olim delator insignis Apellem falso proditionis accusauit apud Ptolomæum. Vnde reus cum uix infortunium euasisset, calumniatorem & calumniam ultus est tali pictura: Virum sedentem fecit auribus prægrãdibus præditum, aut præ longis, quales illæ Midæ fuerunt, insignem, protendentem manum ad Calumniam, propius accedentem. Circa hunc stabant duæ mulieres: Ignorantia scilicet & Suspicio. Ex alia parte pinxit Calumniam, imagine mulierculæ uenustioris, quæ ardens & concitata, quandam quasi rabiem & iram præ se ferens, sinistra facem accensam tenebat, dextra adolescentem quempiam per capillos trahebat, manus in cœlum tendentem, & deos obtestatem. Præcedebat calumniam uir squalidus & deformis, clarißimè cernens, hæc erat inuidia. Duæ puellæ calumniam adornantes uisebãtur, altera erat Insidia, altera Fraus. A tergo sequebatur lugubris quædã fœmina pullis uestibus, ac laceris induta, et hæc Pœnitentia dicebatur, quæ retro flexa cum luctu & uerecundia aspiciebat aduenientem Veritatem. Hæc omnium dignißima pictura, quæ in aularum propatulo graphicè depicta staret, qua uelut in speculo Principes contemplarentur, quàm perniciosis stipata pedissequis, incedere Calumnia soleat, simul admonerentur, ne Ignorantia & Suspitione fulti, patulas aures præbeant illi, sed excussa ueritate,

Lucian. de non temere cred. cal.

Beroal. de opt. stat.

tate, grauiter in calumniatores mendacij conui-ctos animaduertant, iuxta Legem Rhemiam, quâ poena calumniatoribus irrogatur. Et quæ deposcit calumniatorem id pati, quod reum, si conuictus. Pand. 48. titu. 16.

Fuerunt olim, & metuendum, ne non adhuc in aulis eius farinæ sint, Officiarij, homines admodum auari, quorum insatiabilis habendi libido, nimis impunita, miseros semper infinitis, & calumnijs et iniurijs soliti proscindere. Qui licet uiderint, in opes subditos, satis oneratos, & pessundatos soluendis tot censibus, decimis, uectigalibus, atque alijs innumeris exactionum debitis & officijs, quæ dominis in singulos annos exoluant, atque præstēt. tamen stipendijs suis non contenti, miseros exordinariam multam sæpius immaniter extorquendo tractarunt inclementißimè, idque friuolas subinde propter res, atque de asini (quod aiunt) prospectu, & quod magis est, priuatæ, ut suam scilicet, aliorum sudore, cuticulam curarent, commoditatis causa, non Principum, ad quorum aures si gesta perueniβent, illos et dedecore et poenis, dubio procul affecissent. Quis enim Principū tolerasset, sub prætextu sui nominis, inopū facultates artificiosis emendicationibus eripi? Quis laudibus euexißet, multifariam lucris Officiariorum iniustis plebem exhauriri, uarijs usuris arrodi, clandestinis exa-

ctionibus absumi, fraudulentis uenditionibus circũduci, coëmptionibus rerum publicarum deperdi, breuiter, mari (ut aiunt) malorũ absorberi, ut præ illis uel Turcæ, uel Iudæi tolerabiliores imminuerint. Neminem tam peruersi iudicij opinor fuisse, qui mala cruce duxisset indignos eos, qui non semel in sua prouincia dominos ipsos uina, frumenta, pecora simularunt empturos, deinde fraudulenter mandarunt, ne quis subditorum aliquid uenderet, nisi primi coëmissent Domini. Quo fuco malitiose sæpius auari Officiarij duplicem malè ditandi occasionem nacti. Nam si uel agnum, uel anserem, inopia summa pressus pauperculus, ijs, qui plus sibi ad exoluendas Dominis exactiones pecuniæ numerassent, uendidisset, grauem pecuniæ summã à uenditore, quasi reo læsæ maiestatis immaniter extorserunt. Alios autem subdoli rogarunt, persuaserunt, urserunt etiã, ut miseri facultates suas quàm minimo Dominis aliquando gratiam relaturis, uenderent. Quas arte tali uilius mercati, statim multo carius reuendere non sunt uerecundati. Item, Qui à Comitibus aut Principibus blandiloquentia persuasis, frumenta precio uilißimo mercati, statim eadem in maximum paupertatis onus duplo, aut triplo subditis inopia preßis soliti reuendere. Vnde factum, ut æs alienum suum dissoluere non potentium, miserorum domus, horrea, agri, prata, non semel in lucra creditorum cesserint. At hic uideas

deas, quantulo interuallo Christiani isti differant à Iudæis.

Item. Quibus ad exugendos pauperum sudores, si pellis (ut aiunt) leonina non fuerat satis, addiderunt uulpinam, & è contrà. Talibus iniurijs adfecta, similibusq; calamitatum procellis obruta plebs, ad Principem, sacram tanquam anchoram, iniurias questum confugitura, uentis nimium aduersis sæpius repulsa, Nam instructi dolis Officiarij, aut calumnijs antea falsis Principum animos præoccupando, miseris omnem gratiæ fenestram præcluserant, aut omnibus aularum angulis incubando procurarunt, ut ne rimula quidem uoci miserorum, aut libellis eorum supplicibus pateret, nec adflicti ueritate cognita, ab iniurijs potuerint uindicari. Quod illis non difficile perpetratu, qui propitium sibi Principem arte fecerunt aulica, quibus inibi, fautores, amici plures, adfines, consanguinei, fratres, quorum alius pauperum causa non facilè lædit alium (ut uulpes iuxta prouerbium Germanicum) non facilè mordent uulpes, sed sepiam perca sequitur. Quorum elati fiducia nonnulli, crimina sua cōfeßi proclamaße feruntur. Rustica gēs humilis uulgi pars ultima nostri, quod animi parturiunt, efficite: Vos ad Principem conferte, curriculo currite, illatas questum iniurias.

Nos securi manum non uerterimus: Vos autem laterem laueritis, nec non Camarinam, ut aiunt, moueritis. Etenim nobis liberrima Principem adeundi, causamq; nostrã agendi facultas offeretur: Vobis nulla, quibus triobularibus, & Mysorum (ut aiunt) extremis, portæ claudentur. Nobis coram Principe loqui dabitur: Vos, qui senti, squalidi, pannis annisq; obsiti estis, procul à Principis illustrißimi conspectu deturbabimini. Nobis in aula denique multi amici: Vobis nulli.

Atqui nemo ignorat, non paucos in populo nebulones esse turpißimos, morte, exilijs, uinculis, damnis, supplicijs coërcendos. Vri enim secariq; patimur, ut membrorum potius aliquod, quàm totum corpus intereat, sic in Reipub. corpore ut totũ saluum sit, quicquid est pestiferum, amputandum erit. Sed imprimis expediuerit id minus fieri, ex affectu priuato, uel commodo, sed in utilitatem Reipub. solam. Et pecunias ante omnia multatitias, in communem Reipub. usum collocari, non in auarorum priuatam utilitatem Officiariorum conferri: Qui suis stipendijs contenti uiuere, nullis pauperum prædis inhiare debent. Nihil enim inutilius, quàm ex admißis ciuium lucrum redire ad Magistratum. Nam quî dabit operam, ut quàm minimum existat malorum, cui expedit, quàm plurimos esse nocentes? Quippe non aliter ut auari Chirurgi

Cic. phi. 7.

Erasm. in prim. instit.

multis

multis rusticorum uulneribus, sic officiarij mali plurimis subditorum delictis gaudere solent, facilem spolijs penu suum alienis locupletandi occasionem nacti. Sed (ut reuertar unde sum digressus) detestādas illas pauperū oppreßiones bonus Princeps animo reuoluens, facilè uiderit quid ex officio debeat. Principio Calumniatores odisse, & pauperes, à Deo Opt. Max. sibi concreditos defendere, Solomonis illud in pectore fixum habendo: Qui pauperem caluminatur, conuicium facit eius factori. Item: Ne opprimas pauperem, quia Dominus caussam illius iudicabit, & perdet eos, qui illi uim attulerunt. Deinde considerare, quod Officiarij plerumq; callidiores, facta sua mala phaleris obuoluere, aulico uerborum apparatu expolire, colorem dicere, & os deniq; (ut aiunt) sublinere nouerunt. Atqui bona rusticæ turbæ pars simplex, Ficus ficus, ligonem, ut in prouerbio est, ligonem uocare. Quod uetus ostendit Fabulatoris illius Germani apologus, De Leone & Vulpe. Hanc cū Dominus Leo subditis suis, Anseribus potißimum Gallinis & Anatibus præfecisset, iniurijs uarijs affecta plebs apud dominum Leonem accusauit auariciæ atq; tyrannidis: Vulpes impetrata sese purgandi copia, in hunc modum disseruiße fertur. Prou. 14. & 22.

Oratio uulpis contra suos accusatores.

Non officij, nec magistratus quem gero, dignitatisq; adeo sum oblitus, ut si de meo crimine ambi

geretur, serentißime Rex, dicturus causam, accusantibus nescio quibus fuerim, sed non quid ego fecerim, in disquisitionem bono iure uenire potest (quem, quicquid in subditis peßimè de tua maiestate meritis, feci, magistratus à me benè gesti æquitas defendit) sed quid isti pati debuerint. Qui si non fuerunt mali, nihil inter est, qua ratione peccarim: sin autem, quod omnes nouimus, bipedum (ut aiunt) nequißimi, publicam pacem turbare, & non solum ipsi ad alios, qui locupletißimi sunt in propinquo dominos deficere, sed etiam simplicium animos solicitare, & uicinos ad idem crimen pertrahere sunt aßiduè conati, quis passos esse paulò duriora, quam meruerint, indignatur? In extremis imperij finibus obtigit mihi prouincia planè barbara, quæ ut à malè fauentibus Regiæ tuæ maiestati uicinis undique tentatur, & incolarum perfidijs incrudescit, ita uigiles ac strennuos, qualem me profiteor, Regis uicarios requirit, ne præsidum ignauia, licentiam incolæ seditiosißimi colligentes, facinus aliquod tuæ maiestati pernitiosum designent. Quippe nutante subditorum fide, quid alij faciant, ignoro, mearum ego rerum satagere soleo. Etenim in chamis & frenis rusticorum maxillas constringendo sedulus efficio, ut omnia recto procedant ordine. Proinde magnam ac solidam à tua maiestate gratiã meruisse

me spero, qui quod ministri fidelis interest, nihil prorsum intermiserim, quod ad conseruandam regiæ maiestatis dignitatem pertineat, ac utilitatem publicam solam. Nam isthic mihi nec seritur nec metitur, imò longè plus periculi, quàm emolumenti ex officioso meo labore prouenit mihi, qui cum ingenti famæ, corporis, ac rerum dispendio, cogor me sæpius repugnantium telis obijcere, & furorem uulgi retundendo, maxima adire pericula. Quantum ad me attinet, aliorum exempla secutus, adulari subditis, frena laxare, ad omnia conniuere, securus in utramuis aurem dormire, & breuiter ita me gerere, ut ab omuibus amari, laudibusq; ad sydera tolli possem: sed an id regiæ tuæ maiestati oportunè casurum fuerit, breui tempore, non sine magna regni iactura uideremus. Cum olim priuatus ætatem exigerem, nullus in tota prouincia locus, nulli fuerunt homines, ubi uita esset inuisa mea, sic me non solum aduersus bonos, sed etiam aduersus malos gesseram. At in magistratu, qui uirum ostendere debet, iustis causis impulsus, genuinam cogor ingenij facilitatem exuere, & gentem rusticam paulò inclementius tractare. Hinc illæ lachrymæ, hinc illæ querimoniæ, & accusationes. Verum, ut speculatio (quod aiunt) cæca perditißimo nostro seculo, multũ publicis ubiq; rebus incõmodauerit.

ita

ſtaim mea, ubi οὐδὲν ὑγιὲς *prouincia, damni plu-
rimum inuexerit. Quid enim cõmemorem petu-
lantiam effrenem, peruerſam duriciem, et corrup
tos prouincialium mores, quæ ſi nimia præfecto-
rum indulgentia fouerit, eueſtigio ſacra profanis,
& mare cœlo miſtum iri contemplaremur, Ver-
bis ego Rex ſereniſſime conſequi nequeo, quan-
tam, ad rerum omnium euerſiones feneſtram a-
peruerint ipſorum, qui hodierno me die criminan-
tur inſontem, factiones, Anſerum, inquã, atq; Gal-
lorum, qui ſeditioſi paſſim aſſiduo murmure, &
alentibus monſtra ſibilis, conſpirant, gregatim ob
ambulant, excubias agunt, in eum omnia finem, ut
aut patriam prodant, aut magnates atq; Princi-
pes in ſummum adducant diſcrimen, aut omnibus
quos arbitrentur obſtare, ſublatis, ipſi ſoli rerum
potiantur. Cuius rei præludia ſunt illæ leues, &
fictæ, quibus indies inter ſe dimicando ſolent col-
ludere, & depugnationes identidem ſuſcipere, ut
admiſtos fortè ſequeſtros è medio tollant, primas
nimirum futuræ teterrimæ, quã diu partutierunt
animi, cladis uictimas. Hæc omnia ſi nebulones im
pune ſemper auferre paterer, ouo prognatus eo-
dem, deq; illo grege, furem fur, lupusq; (ut aiunt)
lupum cognoſcere meritò iudicarer. Sed aliud ſua
dente mea fide, & quod aſtringit me tuæ maieſta-
ti ſacramento, ruſticam turbam coloribus ſuis de-
pingere*

pingere,suisq; pro meritis egregiè tractare noui, illud unum uigilanter procurans ut inuiolata maiestatis tuæ iura, & ab impendentibus prouincia malis integra conseruetur. Dixi.

Huius calumniatricis orationis sententia, Regis animum ita mouisse, atq; oculos præstrinxisse fertur, ut iudex uerum non uidens, nec agnoscens, reo fallaci magis fauerit, quàm ad miserorum, qui tot iniurijs affecti, subditorum partes adhæserit. Sic autor & fabricator scelerum, doloso regalis ministerij prætextu, sua, quæ priuatæ commoditatis gratia patrauerat, crimina diluens, duplici miseros flagello cecidit. Etenim suæ libidinis explendæ studio prius immaniter illos afflixit, opes diripiendo, multorumq; corpora perdendo. Deinde Leoni rugienti, in iram soluto grauissimam, obiecit deuorandos, & canes, quod aiunt, excoriatos excoriandos, eos inquam, qui regis imperia nunquam detrectassent, sed omnia, quæcunq; bonos ciues decuissent, libenter executi fuissent, suis stercorarijs, atq; laboribus aßiduis contēti. Qua fabula docentur Principes, Calumniā atq; Officiariorū auariciam, res omniū esse perniciosißimas, quas exercentium supplicijs, non debeat una parari Simia, nec serpens unus, nec culeus unus. Nam eos longè magis puniendos, qui sub honestatis specie dominorum prætextu, iusticiæ deniq; titulo, miseranы

ram plebem deferunt, expilant, atq; funditus perdunt, Abstemij festiua, de Cane oues domini sui mactante, fabula comprobat: Quidam, inquit, pastor oues suas cani dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis. At ille sæpe aliquam ouem occidebat. Quod cum pastor animaduertisset, canem capiens, eum uolebat occidere. Cui Canis: Quid me, inquit, perdere cupis, sum unus ex domesticis tuis, interfice potius Lupum, qui continuè tuo insidiatur ouili. Immo, inquit Pastor, te quàm Lupum morte dignum magis puto. Ille enim palàm, se meum hostem profitetur: Tu uerò sub amiciciæ specie quotidie meum imminuis gregem. Quod æquum pastoris iudicium, de ijs hodie ferri deberet, qui rapacitatem suam inexplebilem, dictis phaleratis excusare nouerunt, optimam illam dicendi facultatem, uulpina loquendi copia, suspectam & inuisam ubiq; reddendo, Et olim facundos, qui peiorem causam meliorem facere poterant nebulones, effecisse legimus, ut diuina eloquentia, non odio solum habita, sed etiam ciuitatibus expulsa fuerit. Veruntamen cum in utramq; partem, arma facundiæ ualeant, non aliter atq; cibus, potus, ignis, aqua, domus, ferrum, argentum, aurum, & reliqua, non debet id protinus à Principe malum haberi, quo benè licet uti. Proinde ut chari Principibus æstimandi sunt, qui

Quin. lib. 2 cap. 17.

bonis disciplinis benè utuntur, sic omnibus digni supplicijs, qui res humanam ad salutem productas in perniciem conuertunt, in quorum numero sunt qui fraudulẽtis & calumniatricibus facinora sua defendunt artibus, & criminatione proditoria, gratiam (ut dixi) captant, iniuriasq; fingunt, ut uideantur diluisse factas. Quod ijs familiare, qui detrahunt alijs, & repugnante natura, emolumenti sui causa, spolijs aliorum suas facultates, copias, opes augent. Quo hominum genere nihil in Rep. detestabilius, uel pestilentius poterit existere. Quibus iniustos quæstus subinde facientibus, & præter ius seu dolo, seu ui bona rapientibus aliena, si quis parumper fuerit reluctatus, is statim in suam ipsius perniciem, leones (ut aiunt) stimulauerit. Hi sunt, quorum ianuæ pauperibus nihil afferentibus clausæ semper, at munera portantibus sunt apertæ. Quorum ad luxum ampliter alendum, si miseri subditi, nõ gratuitas adduxerint oues pingues, uitulos, porcos, & aduexerint precarias acapnorum uehes, plaustraq; uiui, præterea si non omni cum familia, iumentis, omni denique; apparatu rustico sæpius inseruierint, statim audiunt: Efficiemus iniquum tibi Principem. Aut si id non audiunt, experiuntur, tolerabiliorem Reip. statum esse, ubi princeps ipse malus est, quã ubi mali Principis amici, atq; Officiarij. Etenim

Cic. 2. offi.

Er. in principe inst.

unum Tyrannum utcunque ferimus, Vnius auariciam facile populus explet, unius libidini non magno negocio fit satis, Vnius sæuiciam satiare licet: At multos tyrannos explere, grauißimum. Hi leuißimis subinde rebus impulsi, miseros inclementius exercere, nec non uel à mortuo tributum afferre minus exhorrent. Atq; id ipsum ne temere fecisse uideantur, causas prætexere nouerunt, ut illud uerè dici poßit: Occasione tantum opus est improbitati. Et quod circumfertur hodie uulgò apud nostrates Adagium: Facile fustem inuenerit qui cupit cædere canem. Id Aesopus per quandam de Lupo & Agno fabulam significat: Lupus (inquit) ad caput fontis bibens, uidet Agnum procul infrà bibentem, Accurrit, agnum increpitat, quòd turbarit fontem. Trepidare agnus, supplicare, ut parcat innocenti, Se quando longè infrà biberit, potum Lupi, ne potuisse quidem turbare, nedum uoluiße. Lupus contrà intonat: Nihil agis sacrilega, semper obes: Pater, mater, omne tuum inuisum genus, sedulò mihi aduersatur, Tu mihi dabis hodie pœnas. Hunc Lupum imitantur auari potentes illi, qui si libet nocere, statim arripiunt, & calumniandi & nocendi caußam, affirmantes, satis peccasse eos, qui resistere non poßunt. Ergo cum delatores, & instructi calumnijs Officiarij rapaces, nō modò pauperibus subditis maxima soleant

accerſere mala, ſed etiam principibus ipſis plurimum incommodare, non fruſtra dixit Theophraſtus Ereſius: Citius credendum infreni equo, quàm uerbo delatoris incompoſito. Nemo nō metuit insidere equo infreni: at multò plus eſt periculi à lingua effreni. Quæ ſeditiones, ac turbas facere, pauperes in diſcrimen adducere, & ſæpe grauiſsima inter ipſos (cuius memorabile tranſactis annis exemplum quidam Germaniæ proceres acceperunt) Principes diſsidia concitare ſolet. Ipſa licet exiguum corporis membrum ſit, tamen ſi bona fuerit, plurimum utilitatis: ſin mala plurimam perniciem hominibus omnibus afferre poterit. Proinde Diuus Iacobus Apoſtolus eam clauo nauis aſsimilem facit, quæ cum pars ſit minima, tamen totam nauim, aut ſeruat, aut euertit. Bias, referente Plutarcho in libello de audiendo, rurſum in alio de loquacitate, Amaſidi Aegyptiorum tyranno iubenti, ut ſibi, quod eſſet in uictima, quam ad illū miſerat, carnibus & optimum, & peßimum mitteret, Linguam reſectam miſit, innuens huius uſum eſſe præcipuum, ſiue prodeſſe cupias, ſiue nocere. Porrò cum delatores aulici, uenenatis linguis, plurimà damna faciant, omnes digni eſſent, qui deueherentur in ultimas maris, terrarumq; oras, ablegarenturq; eo, unde nec ad nos nomen famaq; illorū accedere, nec innocentes ſolicitare, pauperesq;

Diog. li. 5.

S. Iac. ca. 3.

inquietare poßint. Id olim à Romanis Cæsaribus factum Martialis ostemdit libro primo inquiens.

Turba grauis paci, placidæq; inimica quietæ.
Quæ semper miseras sollicitabat opes.
Traducta est Gyaros, nec cœpit arena nocētes
Et delator habet quod dedit exilium.
Exulat Ausonia profugus delator ab urbe,
Impensis uitam Principis annumeres.

Quorum exempla si Princeps Christianus imitari noluerit, saltem imitetur morem Alexandri Magni, qui (ut dixi) alteram aurem occlusam, solebat integram reo seruare. Imis deniq; sensibus illud Germanicum prouerbium reponat:

Agricol. in pro. ger.

Keyn grösser tugent an eynem Herren ist / dann eynem ieden schwetzer vnnd orenblöser nit leichtlich glauben:

Hoc est:

Omnibus allatis famulorum credere uerbis.
Tardius, est uirtus Principis ampla cati.

OCVLVS DOMINI.



PRiscis autoribus celebratum atq; instar ænigmatis iactatum Adagium: Frons occipitio prior, hoc est potior, atq; melior. Quo significauit antiquitas, rectius geri negociū ubi præsens ac testis est is, cuius agitur negociū.

Plin. li. 18. cap. 6.

Olim

Olim C. Furius Cresinus cum è paruo admodum agello, largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis uicini, in magna inuidia erat, quasi fructus pelliceret ueneficijs. Quamobrem à Sp. Albino Curuli, die dicta metuens damnationem, cum in suffragium oporteret ire tribus, omnia instrumenta sua rustica in forum attulit, dicens: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt. Deinde exposuit suas ipsius uigilias, sudores, & assiduam præsentiam. Quo facto sententijs omnium absolutus fuit. Maiores enim fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt. Proinde, si parua magnis componere licet, ut oculus Cresini fertilissimum agrum, ita Principis oculus paruam aulam florentissimam reddit. Hic ordine iusto facit omnia procedere. Hic pauperes quasi suam ipsius pupillam custodit, ac saginat equos. Hinc illud magis adpositum Persæ Libijsq; responsum. Quorum alter interrogatus, quæ res potissimum saginaret equum, respondit: Oculus domini. Alter rogatus, quod stercus esset optimum: Domini uestigia, inquit. Vterq; significauit, domini præsentiam plurimum habere momenti, ad rem bene gerendam. Eodem spectat quòd Aegyptij, & sapientes prisci, quibus mos erat hieroglyphis uti, simulachrum Principis ita repræsentabant, ut oculum pingerent cum sceptro. Quod dignissimũ

Ari. 1. Oeconomi.

Er. in pro. Aut regem aut fatuum

ut in principum adhuc aulis ubiq; pictũ & sculptum conspiceretur, ut admonerentur, in regnis Principes Lynceo, quod aiunt, perspicatiores eße debere omnia peruidendo, quæ uel in aula, uel extrà gerantur. Nam quod oculus in corpore, id uerus Princeps in Rep. Quod sol in cœlo, id Princeps in populo. Sol oculus mundi, Princeps oculus multitudinis. Cuius hoc præcipuum munus, ut sicut ab omnibus accipit uectigal, ita omnibus consulere rebus, præsidere in iudicijs, excludere maleficia, Leges inutiles corrigere, Magistratus obseruare, & instanter urgere debet, ut iusticiam colant, iuxta Dei uerbum uiuant, neminem expilent, aut circumueniant. Vias publicas, à latrocinijs ac rapinis puras conserueut. ITEM, tam acutum, quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius cernere, quid in Cancellarijs, ut uocant, aut dicasterijs agatur, an iustis inibi iudicijs iudicetur populus, an munera magis, quàm iusticia ualeat, An iuxta prouerbium: Auro loquente, nihil prosit ueritatis oratio. Et: An Bos in lingua diuitis multò magis, quàm iusta pauperis oratio polleat. Vulgaris enim iocus ait: tinulas rationes præcipuam habere uim ab persuadendum. Quo pecunia domina rerum intelligitur. ITEM, an amor & odium, & proprium commodum quæ sæpe faciunt iudicem non cognoscere uerum, in Magistratibus regnent

Macr. Sat. li.1. cap. 28

Arist. 1. rhe

qui

qui neq; personam, neq; munera debent accipere, cum ea excæcent oculos sapientum, ac mutent uer- Deut. 16.
ba iustorum. Proinde ut Deus pulcherrimum sui simulachrũ in cœlo constituit Solẽ omnia fulgore suo perlustrantẽ, ita inter homines euidentẽ ac uiuam sui collocauit imaginem Principem: cuius oculorum perspicacitas luceret in populo, cunctisq; prospiceret. Vnde Agapetus rectè: Sicut oculus, Ad Iust. Cæ
inquit, innatus est corpori, ita Imperator mundo adaptatus est, à Deo datus, pro administratione eorum, quæ usui sunt. Oportet igitur eum omnibus hominibus, quasi proprijs membris prospicere, ut proficiant in bonis, neu malorum offensaculo illidantur. Quod potißimum fiet, si uigiles Domini, & prorsum oculati, uicarios suos, Consiliarios, Archigrammateos, Argentarios, Quæstores, Satrapas, Frumẽtatores, Prætores, Telonarios, procuratores, Iudices, omnes deniq; agrorũ, prætoriorũ, ac urbiũ cunctarũ præfectos in officio cõtinuerint, et à recto iustitiæ tramite nõ permiserint aberrare. Quorũ omniũ ut admoneantur, alij lucentes in auitis insignibus habent stellas, alij nullo ueterno torpore solitos leones ac Gryphes, alij acutißimi uisus aquilas, Iisdem rationibus alij ab alijs serenißimi, Alij ab alijs clarißimi, alij ab alijs illustrißimi uocantur, nominibus utiq; perspicacitatis argumenta continentibus. Quorum immemo-

res si Principes cæcutiuerint, & in utramuis aurem dormientes ipsi, uniuersa regni sui gubernacula sceleratis officiarijs tractanda commiserint, infelix erit Reipub. status, subditi perdentur, agni (quod aiunt) canibus obijcientur, atq; oues lupis committentur, Atqui Rex sedens in iudicij solio dissipat omne malum intuendo ut ait Solomon in prouerbijs. Cæterũ Principe dormitante suboriri solent impostores fraudulenti, fœne ratores auari, & exactores iniusti, qui suis, quæ liberalitate Principum ampla satis exoluuntur, stipendijs nunquàm contenti, miseros subditos concutiunt, plus quàm quod constitutum, extorqueut, & breuiter multis iniurijs affectum populum exhauriunt atq; perdunt: quo facto & Princeps cui uelut capiti membra, populus suppeditat incremẽta, reddetur infirmior. Qua ratione impulsus Homerus, Principem sæpe uocat: ποιμένα λαῶν, hoc est, pastorẽ populorum, indicans, Principem debere oculatissimũ perspicere, ne subditi, qui oues suæ, à Deo Opt. Max. sibi concreditæ. miserabiliter à lupis istis rapacibus deuorentur, sed omnia secundum æquitatis iura fiant, Huius rei gratia sapientes nonnulli Germani Principes suis in regnis soli, sine apparatu magnifico, humilibus uestimentis induti, sæpius obequitauerunt incogniti, ut artificiosa indagine consequeretur, omnem regionũ suarum ac populi statum,

statum, mores, munia, penuriam, officiariorum iniurias, & omnes deniq; graues subditorum querelas, ut ijs perceptis, remedia maturius adhibere, & afflictis rebus succurrere possent, In quorum numero fuit, piæ memotiæ primus Vuirtẽbergensiũ dux, D. Eberhar. qui per meram perspicacitatẽ atq; sagacẽ inuestigationẽ acceptis subditorũ suorũ conditionibus, rerumq; omniũ fortunis cognitis, eò prouinciæ statũ prouexit, ut florentißimã ditionẽ suã reddiderit, Vnde prudentia ducis obstupefacti subditi, quasi numẽ quoddã eũ coluerunt, dicentes:

Wañ gott nit gott were / wer solt billicher gott sein / dañ vnser Herr von Wirtemberg. Agrico. in pro. ger.

Hoc est, Si Deus non esset Deus, nemo iure maiore Deus esset, quàm noster Vuirtembergensium Dominus. Huius exempla, sapientes alij, quos breuitatis gratia prætereo, secuti, prosperrimis auspicijs regnauerunt, non modo Principes & Heroës illustrißimi, sed etiam præclara nobilitate præcellentes Comites, in quorum numero potißimum effulsit prudentißimus piæ memoriæ Comes Dñs Eberhardus Comes olim in Konigsteyn &c, De cuius ingenij perspicacitate profecta, multa egregia facinora, uelut oracula, hodierno ad huc die celebrantur. Quapropter regno destinatus Princeps, illud inprimis docendus erit, ut intelligat oculum se lucidißimum esse & su-

am exactißimè ditionem noſſe debere, quod tribus potißimum rebus conſequetur: Geographia, Hiſtoria, & crebra regionũ & urbium luſtratione. Studeat igitur imprimis, regionum ac ciuitatum ſitum, conſuetudines, ingenia, inſtituta, populos cognoſcere. Etenim Principis eſt uirtus maxima, noſſe ſuos. Proinde regna circumequitet, ſed ſine apparatu ſuperbo, ſine prodigioſa hominum inutilium multitudine: breuiter ſine mangis rerum publicarum expenſis, creberrimè uectus de ciuitatibus in ciuitates, de oppidis in oppida, arces, pagos: atq; ſagaciter exploret, qua parte Reſp. laborans, ſubſidat. Porrò maximum omnibus in negocijs feliciter ordinandis pondus ac momentum habet Domini præſentia. Vnde Agapetus ad Iuſtinianum: Optimè reges, inquit, egregium tuum imperium, ſi omnia des operam perſpicere, nec negligere pariare quicquam, neq; enim paruum eſt in te, quod paruum eſſe apparet æſtimatione tuorum. Quoniam uel exile Imperatoris uerbum, & minimum, ingentem obtinet apud omnes uim. Quas ob res Regem Geryonem admirãdum accepimus, qui multa crura, pleraſq; manus oculoſq; habere dicebatur, quia unico cuncta animo, conſilioq; adminiſtrabat. Atqui ſi grauißimis imperij negocijs implicitus aßiduæ ditionis ſuæ perluſtrationi, uocare non poterit Heros, è numero uel

Er. in princip. inſtit.

Plu. in pol.

aulicorum

aulicorum, uel subditorum deligere & subornare poterit uiros, non auaros, neq; plebeiorum osores, sed integritate, uera charitate, fideq; conspicuos, quos accepta occasione clanculum ad singulos regni terminos ableget, expiscatum & perceptum omnes, uel relaxationes imperij nimias, uel aggrauationes. ITEM, Pro ratione temporis oportunioris, ad se furtim ciues aliquot, quos cognouerit omnium honestißimos & probißimos, ex singulis ciuitatibus uocare, uel separatim accersere, deinde, quum hoc fidei pignus, ut iurent se uera dicturos, acceperit, examußatim perquirere: In quo rerum statu sint omnia, quid priuatim, quid agatur publicè, an populus in recto honestatis stadio decurrat, an Officiarij non plus æquo ad rem attenti, rerum suarum satagant, an (ut dicitur) in Simpulo fluctus excitent. Postmodum, quas animaduerterit tempestates ingruisse, reducto sole sensim discutiet. Hæc ipsa tam acris oculi dominici perspicacitas, ac peruestigatio, multum, dubio procul, utilitatis adferet. Primò subditos in magnum Principis sui tam diligentis amorem rapiet, sceleratos à peccandi licentia deterrebit. Deinde præfectos & auaricia, et fastu distentos, à clandestinis pauperum iniurijs, & à multis, quæ Principibus ignorantibus contingũt, rapiendi studijs reprimet. Postremò laudem maximam, & æternam Principi gloriam comparabit.

At nonnulli fortaße, quibus acrior intentio neque cordi, neque usui futura, rem istam ineptã, & Principe nimis indignam erunt interpretaturi, causando plus inde sumptuum ac laborum, quàm utilitatis pro maturaturum. Sed prudens Heros, quasi Marpesia cautes, immotus stabit, ac animo reuoluet, è peruigili negociorum omnium perlustratione commoditates maximas prouenturas, & diuinum inprimis opus esse, si Principes omnibus, quantum fieri poßit, negocijs praesentes intersint, cum, ut Liuius ait, non feliciter procedant, quae oculis agas alienis, multo felicius autem, quae oculo Domini praesente administrantur. Vnde Antigonus Secundus, cum esset aduersus Regis absentis Ptolomaei milites praelio nauali pugnaturus, gubernatorq; admoneret, plures esse naues hostium: Pro quot, inquit, nauibus supputas, quòd ego hic praesto sum? Sentiens ad omnia negocia plurimum habere momenti, si Princeps magis strennuus praesens cunctis rebus intersit. Quapropter à Deo Opt. Max. precibus aßiduis optandum eßet, ut oculi Principum aperiantur, ac coelitus illuminentur, quo clarißimi cunctis in negocijs praelucere queãt. Atqui fortasse sunt Officiariorũ nonnulli, qui prorsum occoecatos uelint, ut soli regnent ipsi, gloria atq; opibus praecellentes, cuius farinae, qui dominis procul ablegatis, sese dominos malint eße, qui propter opera sua tene-

Plut. in ap.

brarum

brarum, oculũ domini lucentem reformidant, domi ni aduentum exhorrent, in intimis facta sua recondunt abduntq́;, qui habitu, uultuq; longè minus præ se ferũt, quàm in animo gerũt, qui deniq; pro sua libidine, et utilitate priuata, pauperes domini subditos inclementer tractant, et neq; homines, neq; Deum timentes, nimis imperiosi regnant in populis. Quorũ nonnulli putant, id parũ esse regiũ, aut dignũ Principe, quod Regibus pulcherrimũ, ac Principibus dignißimum, in publicis functionib. uersari. Alij prouerbio iactant: Gloriosum Principibus esse, si in functionibus eorũ Officiarij diuites euaserint, sed hoc ipsum probabile dixerim, si cõtigerint diuitiæ, dijs & hominibus non solũ plaudentibus, sed etiã approbantibus. Sed utrũq; ut falso sæpius intellectum, temere profertur, sic in multo peiores cõuertitur abusus. Porrò magis decet oculatum (ut dixi) Principem publicis in functionibus uersari, quàm more Regum Persarum, abditum agere. Maxima Principum laus, præsente consilio rebus publicis prodesse. Summa denique gloria, si à tergo pariter & à fronte sit oculatus: βλέπων, ut inquit Homerus, πρόσσω καὶ ὀπίσσω, hoc est, si quàm plurimum in negocijs sapiat, præterita respiciens, futura prospiciens. Contrà: maximum Principi dedecus, si adeò stupidus atque cœcus fuerit, ut neque sentiat, neque uideat, quæ sub titulo sui nominis

Erasm. in prin. instit.

Ex Erasm.

iniqua gerantur, quæ fiant in imperio suo graues iniuriæ, quòd eo, uel dormitante, uel turpiter conniuente, pauperes opprimantur. Sudor, atque sanguis miserorum exugatur, agri, horti, uillæ, ædes, prata, prædia uiduarum ac pupillorum fraudulenter aut uiolenter diripiantur, ab ijs potißimũ, qui nequitia simul ac autoritate potentes in populo, iustitiam non colunt, misericordiam floccipendunt, sed reginæ pecuniæ, nomina, & (quod aiunt) herbam atque manus dederunt. Quorum Deus uenter, & per fas atq; nefas congestæ diuitiæ, Paradisus. Quas iniuriarum abominationes, qui boni fuerunt olim Ethnici Principes atq; Magistratus, nullo fuissent modo paßi. Nam suis in politijs Officiarios coëgerunt stipendijs cõtentos uiuere, ius ex æquo dicere, rerum suarũ satagere, neminem lædere, manus deniqne prorsum ab alienis possessionibus abstinere, conuictos, qui contrà fecißent, supplicijs grauißimis affecerunt. Hinc Lex repetundarum promulgata, & strictißimè conseruata fuit, qua repetebantur omnes res, uel dolo, uel ui ablatæ. Pertinebant autem ad eas pecunias atque res, quas quis in Magistratu, legatione, uel alio officio ministerioúe accepisset. Cuius multa sunt in ueterum historijs exempla, Principi non indigna cognitu. Subditorum expilationem Alexander Cæsar in matre Mammæa ferre non poterat. Nam ei grauiter succense-

Herodotus lib. 6.

bat,

bat, quòd esset pecuniæ auidior, & opum cumulandarum studiosior. ITEM: Iulius Tutor Treuir ripæ Rheni à Vitellio Præfectus, fuit damnatus quòd Cilices spoliauerat. ITEM: Capito Consutianus Tigillini gener, qui soceri precibus in ordinem senatorium ascitus, supplicio affectus, quòd à subditis pecunias abstulisset. Vnde rectè Iuuenalis monet, ut Magistratus operam det, ut honestis actionibus gloriam promereatur, nulla iniquitate pœnas incurrat, quemadmodum Tutor atq; Capito. Cor. Taci. lib. 20. Taci, li. 16

Expectata diu tandem prouincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ frena, modumq;
Pone & auaritiæ, miserere inopum sociorum.
Ossa uides Regum uacuis exhausta medullis,
Respice quid moneant leges, quid curia mãdet,
Præmia quãta bonos maneãt, quàm fulmine iusto
Et Capito, & Tutor ruerint, damnante senatu
Piratæ Cilicum &c.

Præclarum igitur Imperatoris P. Scipionis Aphricani exemplum. Qui quum Locrenses fœdifragos in gratiam recepisset, ad urbem tuendam Locros Q. Plemminium reliquit, qui astutam uapido portans sub pectore uulpem, se uirum strennuum, Imperatore præsente gesserat, & egregia sanctitatis simulatione magnam à Scipione gratiã inierat. Sed cum Scipio rebus publicis bene prospectum arbitratus, in Siciliam traiecisset copias, in Liui. li. 9. sec. bel. pu.

Aphri-

Aphricam expositurus, & oculus ille domini negocijs grauioribus alijs præpeditus abesset, statim erumperunt, quæ domini præsentis metu suppressa, Plemminij flagitia, qui scelere atq; auaritia tantum hostes ipsos Carthaginenses superauit, ut non armis, sed uicijs uideretur certare: Nihil omnium, quæ inopi inuisas opes potētioris faciunt, prætermissum in oppidanos est; in corpora ipsorum, in liberos, in coniuges infandæ contumeliæ æditæ. Ex oppidanorum domibus argentum atque aurum raptum. Et auaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit. Intactos omni ætate Proserpinæ thesauros abstulit. Innumeraq; alia facinora designauit. Quorum impatientes Locrenses, Romam Legatos, de iniurijs acceptis conquestum miserunt. Quibus auditis Senatores Romani Plemminium uinctum Romam deportari iusserunt, & ex uinculis causam dicere, Ac si uera forent, quæ Locrenses questi, in carcere necari, bona publicari, omniaq; ablata restitui. Romam pertractus Nebulo, quiq; in eadem causa erāt in catenas & carceres coniecti, de sceleratis sumptum supplicium, & ablata Locrensibus restituta. Sic Romani propter oculatißimam in publicas functiones intentionem, atque conseruatas iustitiæ leges, sapientißimi atque optimi duces ubiq; gentium celebrati sunt. Qui rectores ac Domini totius ferme terrarum orbis floruerunt tantisper, dum

dum iustitiæ studium, atque concordia in imperio suo non emarcuerunt. At postquam ambitio, simultas, & præcipuè luxus atq; pecuniæ cupido (quæ generis humani certißimæ pestes, quo penetrauerint, iniuria dominatur, infamiaq; flagrat) ingruerunt, statim præpotens illud imperium, præclara dignitas, atq; gentibus omnibus stupenda Populi Romani maiestas, ad nihilum redacta corruit, in memorabile cunctis mundi gubernatorib. exemplū. Vale. li. 4 cap. 3.

DE PRINCIPIS coniugio.



Rinceps æquè, cum alijs omnibus in baptismo iurauit semel, omnibus se renunciaturum, quæ Satanæ placerent, & Christo displicerent. Placent autem Satanæ, & Christo displicent: immundicia, libido, scortationes, adulteria, propter quæ uenit ira Dei super filios incredulitatis. Colos. 3. Quare si Princeps (qui non in Veneris, neq; Cupidinis, sed in saluatoris Iesu Christi uerba iurauit) hoc à suis exigit, ut leges suas cognoscant, et cognitas obseruent, multo magis à se ipso debet exigere, ut Christi Imperatoris sui leges diligenter ediscat & obseruet. Quòd si iudicat infame crimen, & cui nullum supplicium par inueniri poßit, ab Imperatore desciscere, qui semel in illius uerba iurauerit, cur ipse sibi ignoscet, Erasm. in prin. instit.

lusum

lusum ac iocum existimans, quoties per omnia libi- dinum genera uolutatur, edicta Christi negligendo, cui nomen dedit, & sacramentis eius adactus est & autoratus. Christus uult, ut abiectis tenebrarũ operibus, in nouitate uitæ Princeps, ut uerum decet Christianum, ambulet, & ueterem (quod mystica in sacrum baptismatis fontem demersio præmonet) hominem crucifigat, ac carni mortuum sepeliat, cur qui peccatis se moriturum iureiurando confirmauit, multo quàm Ehnici uel licentiosius, uel præfractius peccatis seruit, ac membra iniustitiæ arma periurus accõmodat? is, inquam, qui uirtutum splendore ac sanctitate uitæ, reliquis debeat prælucere? Diuinitus institutum est matrimonium; sed ab inferis adulteria producta, quæ etiam Ethnici sunt execrati, atque damnauerunt. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Cuius in iudicio quis Principum constiterit, qui fortunis suis turpiter abusus, resoluitur indies in effrenem impunitate nimia libidinem. Diuus Paulus præcipit, ut propter stupra uitãda, suam unusquisque habeat uxorem, & DOMINVS ipse maledictum pronunciat eum, qui dormierit cum uxore proximi sui. Quod non priuatis tantum, ac plebeis hominibus, sed multo magis dictum magistratui, ac Principibus, qui Dei ministri, omnem iniustitiam

Heb. 13.

Deut. 27.

tiam coërcere, & subditos in honestatis uia conti nere debent. In hoc enim seruiunt Reges ac Princi pes Deo: Si in regno suo bona iubeant, mala prohi beant, non solum quæ pertinent ad societatem hu- manam, sed quæ ad religionem diuinam. At quæ re rum prosperitas, & uberior uirtutis prouentus, ibi poterit esse, ubi rectores, ac Principes ipsi per- uersi, ac ipso Nerone fuerint neroniores: ubi subdi ti uelut oues, in medio luporum, & quasi columbæ in medio accipitrum. Quicunq; igitur primò cor- pus proprium subegerit, nec ullis paßionibus ani- mam turbari permiserit Princeps, is multum pro- fuerit, & bene regia quadam potestate se cohi- bens, Rex dici promeruerit, quòd primum se rege re, & arbiter sui iuris esse nouerit: & cauere, ne captiuus trahatur in culpam, nec præceps cum ma ximo suorum offendiculo feratur in uicia, inter quæ præcipua sunt: Adulterium, scortatio, immun dicia, lasciuia, quibusdam aulicis nimium familia- ria. Porrò quum omnis (quod neminem excipit, seruum siue dominum, Papam siue Cæsarem) forni cator, non habiturus erit hæreditatem in regno Christi, & Dei, & laturus infortunium, quisquis ad alienam uxorem accesserit. Iuuenis Heros sa- pienter egerit, si, quod in baptismo cum alijs (ut di- xi) iurauit, omni carnali concupiscentiæ renuncia uerit, seq; ab immundicia purum conseruauerit,

August. ad Chrysost. lib. 3.

Ambrosius super psal.

Ephe. 6.
Pro. 6.

aut si continere sese non quiuerit, matrimonium ma
Prouer. 5. turè contraxerit. Vnde Solomon: Exhilaret, inquit, te uxor, quam adolescens ducis, ceu iucunda cerua, & uenustus himmulus, Illius te amor perpetuò exaturet, & amore eius semper fruere. Cur fili mi seduceris à scorto, & alienam amplecteris mulierem? Non procul oculis Dei sunt uiæ hominum, is omnes eorum semitas considerat. Sua ipsius improbitate impius capitur, & suis laqueis irretitur. Mor etur, quum non sit castigatus, eritq́; ei exitio ingens stultitia. Atqui nonnulli sunt, qui nimis indulgentes sibi, quicquid patrant, licere opinantur, qui uel nimiæ gloriæ, uel potentiæ fulgoribus occœcati, diuinorum contemptores mandatorum euadentes, iocos meros ac lusus iactant, et quasi magnifica facta celebrant, si uirgines multas corruperint, pudicitiam expugnauerint, ac plurimis ciuium uxoribus stuprum intulerint. Quæ crimina
Erasmus in mil. Chri. quum designauerint, Dauidis exemplo sibi blandiuntur, Solomonis concubinas annumerant, incestiq́; Loth concubitum turpitudini suæ prætendunt. Sed bonus Princeps cogitabit, Sanctorum crimina non ideo literis mandata, ut protinus imitari debeat, sed ut ea cum timore Domini legat, ac similia deuitet, simul discendo, proprijs uiribus non fidendum, nec superbiendum, sed omnem salutem à Deo solo petendam esse, quum omnis homo mendax, at

que

que peccatis obnoxius, solus autem Deus iustus, qui Roma. 13.
concluserit omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur. Breuiter, ideo passum esse Deum magnos uiros, & sanctos homines in crimina prolabi, non ut imitemur, sed ut caueamus, & ne nos lapsi desperemus: sed ita, si quemadmodum socij fuimus errantium, ita simus & emendantium errata. At nunc illud ipsum, quod imitandum non erat, exaggeramus: & quædam rectè ab illis facta deprauamus, aranearum instar, tantũ si quid inest ueneni, exugentes, aut salutarem etiam succum nobis uertentes in uenenum. Cæterũ si Princeps, sanctos peccatores uoluerit imitari, nemo reclamauerit, modò totos imitetur, non ea solũ, qua mali sunt parte. Secutus est Dauidem adulterantẽ, magis sequatur pœnitentem. Expreßit Magdalenã peccatricem, magis exprimat amantẽ multũ, exprimat lachrymantem, exprimat ad pedes Iesu sese abijcientem. Persecutus es Ecclesiam dei cũ Paulo, peierasti cum Petro, fac et ceruicẽ porrigas pro Euangelio cũ Paulo: crucem ne reformides cũ Petro: Quippe, ut facilis descensus Auerni, sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras difficile, ita lubricus quidem, et facilis in peccata lapsus, sed feliciter emergere, ac resurgere, non lubricum est, nec facile.
Nemo est, qui non Dauidem adulterantem poterit imitari, sed paucißimi sunt, quos admisso

rum uerè pœniteat, paucißimi, quorum in ædes Na-
2.Reg.12. than ille & Legis & Euangelij præco mittitur.
Ro.1.et 2. Plurimi uerò, qui in cupiditates ignominiosas, ac reprobam in mentem traditi, quorum incrassata
Prou.18. atque indurata corda, pœnitere nescia. Impius enim cum in profundum uenerit peccatorum, contemnit. Vnde Diuus Augustinus: Nolite (inquit)
Aug.ser.4 dom.de ad. fratres mei, contemnere peccata, in quibus fortè cõsuetudinem iam fecistis. Omne enim peccatum, consuetudine uilescit, & fit homini quasi nullum sit, obduruit: iam dolorem perdidit, & ualde putre est, nec dolet. Quod non dolet, non pro sano habendum est, sed pro mortuo computandum. Quãdo aliquid pungitur, & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pungigitur, calcatur, nec dolet, pro mortuo habendum, nec non de corpore præcidendum. Actum est de salute Principum eorum, quibus pro ludo est, concupiscentiam carnis perficere, & cum è malis sanctorum exemplis uenena suxerint, uera minus agnoscere, neq; dolere. Proinde bonus Princeps uel hirci Aesopici casu admonitus, priusquam in peccati puteum descenderit, cogitabit, nõ perinde facilem esse reditum, formidabit semper impœnitentiam, perpendet deniq;, ex quàm multis, quàm pauci à
Eras.in mi. Christia. peccatis uerè ac toto pectore resipuerint, præsertim ijs, qui funiculos iniquitatis in extremum usq; uitæ

uitæ protraxerũt. Quòd si nemo est, qui non turpe duxerit, quemlibet è plebe meretricijs amoribus teneri? quis non turpißimum iudicauerit, Principem eiusdem criminis reum haberi? Eum, inquam reum, qui iusto debeat alios iudicio reos damnare. Thales Milesius olim rogatus, quo pacto quis optimè ac iustißimè uiueret: Si, inquit, quæ in alijs reprehendit, ea non faciat ipse. Quomodo ergo iustißimè uixerit Princeps, qui in alijs castiganda designat ipse? Contingit aliquando, ut Heroës grauißimis impedientibus causis, non ducant uxores, nec interim à consortio mulierum abstinere queant. In quo casu longè prudentius agunt, qui ad honestiorem unam, fœdere, si non propalam, tamen furtim icto, synceriter adhærescunt, quàm qui complurium meretricum indies nouatarum contagijs se commaculant. Qui fide ultro, citroque data propriam agnoscunt, quàm qui nuptijs alienis insidias aßiduò tendunt impijßimè. Qui denique fidei tesseram non confringendo, liberos procreant, & enatos uirtutibus institui, atque ad honorem Dei procurant educari, quàm qui improbiores, non bonæ frugis spe, sed adfectui maleuolo satisfaciendi desiderio propulsi, fundum arant alienum, & capras (quod aiunt) in agro surculario compascunt. Contrà, quos nulla necessitas uetat, urgetq́; , quo minus uxores ducant.

Diog li. 1.
Era. 7. ap.

matrimonium clandestinum

Item, qui mariti, pulchra facti iam prole parentes, & prophano tamen atque illicito malint, quàm amore legitimo perfrui, scelus magis nefarium, atque facinus longè maius faciunt, quàm cui uel homines, uel Dij queant ignoscere? Quibus in rebus Ethnici quondam Principes multi, se multo probius in Christianorum pudorem gesserunt: Qui uirtutum studiosi, uicia libidinis non solum odêre, sed acriter etiam coërcuerunt, ut metuendum, ne non illi, sicut

Matth. 18. Austri Regina, atque Niniuitæ surrecturi sint in

Lu. 11. iudicio, cum uiris nationis huius, & eos damnaturi: qui plurima de rebus Euangelicis garriunt, sed nullum doctrinæ sanioris apicem factis expri-

Inst. lib. 4 titu. ult. munt. Iuliam olim Ethnici Legem tulerunt, de adulterijs coërcendis, Quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio puniebat, sed etiam stupri flagitium, quum quis sine ui, uel uirginem, uel uiduam stuprasset. Sed ubi nunc Lex Iulia dormis?

Suet. in Domitiano. Domitianus olim ex utroque ordine multos Lege Scatinia damnauit. Incesta Vestalium uirginum seuerè coërcuit. Stupratores uirgis in Comitio ad necem cædi iußit. Sed in hæc modò, qui debent animaduertere, multi

Committunt eadem diuerso crimina fato,

Iuu. sa. 13. Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.

Diony-

Dionysius olim licet Tyrannus omnium iniquissimus, tamen in filio dignum exhæredatione crimen iudicabat adulterium, qui hodie magnatum ludus est. Ille quum intellexisset filium, cui principatum relicturus erat, ingenui uiri coniugem adulterasse, iratus interrogauit: an unquam tale quicquam in patre comperisset. Hic adolescens: Tu enim (inquit) non habebas patrem Regem. Nec tu, inquit Dionysius, filium regem habiturus es, ni talia perpetrare desinas. Eras. 3. apo. Plu. in ap.

L. Verginius Centurio, capitis sui periculo pudicitiam uoluit in tuto esse, & ne domus sua probro contaminaretur, proprio sanguini non pepercit. Cuius filiam Virginiam unus Decemuirorum uir nobilis Appius Claudius adamauit, quam quum corrumpere non posset, clientem M. Claudium, qui eam in seruitutem deposceret, subornauit, facilè uicturus, quum ipse esset accusator & iudex. Pater re cognita, quum ipso iudicij die superuenisset, & filiam iam addictam uideret, ultimo eius colloquio impetrato, quum eam in secretum abduxisset, occidit, & corpus eius humero gerens, ad exercitum profugit, & milites ad uindicandum facinus accendit. Qui decemuiros abdicare se magistratu præceperunt, eosq; omnes, aut morte, aut exilio punierunt, Appium Claudium in carcere necari curarunt. Vale. li. 6 cap. 1. Liu. lib. 3. ab urb. cō.

Apud Cumanos mulier in adulterio deprehensa, ducebatur in forum, ut illic lapidi insistens, omnibus esset conspicua: Deinde impositam asino, atque ita per totam ciuitatem circumductam, reducebant ad lapidem, ut rursus ibi esset omnibus spectaculo. His actis habebatur infamis per omnem uitam, & ignominiæ gratia ὀνόβατις, dicebatur, quòd asinum equitaßet. Sic apud gentes stupidas summa ignominia supplicij loco fuit. Nunc apud Christianos ludus est adulterium, apud quos tamen matrimonium est sacramentum. Quid superest, nisi ut præmia decernantur his, qui multorum uxores constuprarunt? Olim incestæ prophanæ uiuæ defodiebantur. Nũc uiolare uirginem Christo dicatam, pietas est.

Era. in pr. ὀνόβατις.

Scriba Põtificum Cantidius, cum Floronia uirgine uestali stuprum fecerat, quare uirgis in comitio cæsus ille, ut inter uerbera expiraret, hæc sub terram ad portam Collinam necata fuit. Tantum autem nefas, ut expiaretur, Delphos à Romanis Legati mißi, sciscitatum, quibus precibus, aut supplicationibus Dij possent placari. Iam multas nonnullæ ditiones habent Floronias, multos quædam aulæ Cantidios, sed facinus aufertur impune, nullus consulitur Apollo. Stupra enim & incesta quasi iocularia ridentur.

Liui. lib. 2 sec. bel. pu.

Lae. lib. 6. Quum Diogenes audißet Didymonem mœchum

comprehensum: Dignus est inquit, ex ipso nomine suspendi. Porrò διδυμοὶ Græcis testiculi dicuntur: ab his igitur, unde nomen habebat adulter, & quibus peccauerat, eum suspendi uoluit, dignum arbitratus, purpuratis mœchis supplicium.

Olim Tenedius quidam Rex in Adulteros legem tulit, ut utriusq; corpus securi conderetur eiusq; legis exemplum in filium ædidit. Proinde in numismate iußit insculpi altera ex parte securim altera duos uultus ex eadem ceruice prominẽtes. Er. in pro. Tenedia bipennis.

Zaleucus urbe Locrensium à se saluberrimis, atque utilißimis legibus munita, cum filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum utroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris necesßitatem pœnæ adulescentulo remitteret, aliquandiu repugnaret, ad ultimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, usum utriq; uidẽdi reliquit, Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem, & iustum legislatorem partitus. Iam quis Herorum stupris aßiduis pollutorum, hæc & similia, memoriæ prodita Gentilium exempla legens, non suffundatur rubore? cum uideat Ethnicos peccanti suo sanguini non pepercisse, nec, quod in alijs punierunt, ipsos patrasse, Porrò sic agitur censura, & sic exempla parantur, Cũ Vale. lib. 6 cap. 5.

iudex alios, quod mo ueti ipse, facit. Cum primis igitur curandum principi, ne sit ijsdem, quæ in alijs damnare debeat facinoribus stuprosis obnoxius. Id multi, magna cum gloria Gentiles curarunt. In quorum numero P. Scipio Aphricanus effulsit, qui egregio castitatis exemplo sibi non modó subditorum, sed hostium etiam animos obligauit. Hic quartum & uicesimum annum agens, cum in Hispania Carthagine oppressa, multos obsides, quos in ea urbe Pœni clausos habuerāt, in suam potestatem redegisset, eximiæ inter eos formæ uirginem, ætatis adultæ, aliasq; uultu non tam modesto quàm uenusto prænitentes, & iuuenis, & cœlebs, & uictor captas accepit. Quas integritatis spectatæ uiro tradidit, tueriq; haud secus uerecundè atq; modestè, quàm ciuium coniuges, atq; matres iußit. Deinde cum intellexisset illam, quæ adeo formosa, ut quacunq; se uerteret, omnium conuerteret oculos, illustri loco natam nobilißimoq; uiro hosti suo desponsatam Indibili, sponso inuiolatam tradidit, aurum quoq; quod pro redemptione puellæ allatum erat, summæ dotis adiecit.

Vale. li. 4. cap. 3. Liui. li. 6. sec. bel. pu.

Egregium item castitatis exemplum tum in iuuene, tum in rege Alexandro Magno, ad quem cū puella multa nocte esset deducta, cum eo dormitura, rogauit Rex, ubi fuisset tamdiu, illa respondēte, se expectasse donec maritus isset cubitum: ministros

[illegible].4. ap.

nistros accitos acriter obiurgauit, Reducite, inquit, hanc, Parum enim abfuit, quin uestra culpa fuerim factus adulter. Dij boni, quàm multi non nullis in aulis sunt quorũ culpa sæpenumero principes Christiani fiunt adulteri?

Tanta Lacedæmoniorum antiquorum temporibus fuit uirorum continentia, & uxorum pudicia, tantumq́; aberant Heroës ab ea facilitate, quæ nunc inuasit, ut prius esset incredibile, adulterij crimen apud Lacedæmonios inueniri. Ferturq́; dictum cuiusdam uetustißimi Spartani Geradæ, Qui rogatus ab hospite quodam, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri, neq; enim uidere se, quicquã super hac re sancitum à Lycurgo. Nullus, inquit, amice, apud nos adulter est. Cũ ille subiecisset. Quid igitur si existat? Dabit, inquit, bouem tantum, ut porrecto ultra Taygetum montem collo, bibat ex Eurota. Cumq́; ille ridens dixisset: Fieri non potest, ut tantus bos inueniatur. Et quo pacto, inquit Geradas, Spartæ existat adulter, in qua diuitiæ, deliciæ, & corporis ascititius cultus probro habentur? Contrà uerecundia modestia, & decori laudiq́; dantur. Prudenter intellexit Geradas ibi non posse nasci uicia, ubi non admittuntur uiciorum seminaria, eaq; ubique iacere, quibus pro honore tribuitur ignominia.

Frigesce-

Frigeſcerent in aulis portentoſi libidinum æſtus, ſi modeſtiæ atque frugalitatis maior, quàm luxuriæ ratio haberetur. At bonus Princeps magis (ut prouerbio dicitur) Hypolitum imitabitur, quàm Corinthiabitur, imò lectis honeſtiorum Ethnicorum exemplis, ita uitam inſtituet, ne Chriſtianus Princeps deterior Gentilibus prophanis haberi, atq; longè peior à Deo Opt. Max. iudicari poßit.

QVA RATIONE PRINceps deteſtabiles libidinum reatus euitare poſſit.



Aug. in ſer. Nter omnia certamina Chriſtianorum, duriora ſunt prælia caſtitatis. Nam ibi continua pugna, & rarior uictoria. Rara enim concordia formæ, atq; pudiciciæ.

Iuuē. ſa. 10. & 6. Rara auis in terris, nigroq; ſimillima cygno.

Quod cum uerum ſit, enixè Princeps in id incumbet, ut ſicuti reliquos nobilitate generis exuperat, ita morum etiam caſtitate præcellat, non cum turpibus, ac impuris homuntionibus frontem perfricans in libidinem ſubet, nec meretricum illecebris expugnatus, ceu bos ad lanienā, compedibus

Prouer. 7. iniectis trahatur, inq; tetrum, ubi fatui cæci uincti telis habent icta iocinora, carcerem impingatur,

tur, ut illud Diogenis dici poßit: Qui Olympioni cen animaduertens in scortum frequenter intendē tem. Ecce inquit, ut aries Martius à capella uulgari, per collum captus adducitur. Ad quod captiuitatis execrabilis s[illegible]ptum, quatuor satis trita, bono uitanda Principi, ducunt itinera, Diog. Laer. lib. 6.

PRIMVM. Intemperantia est, ac ingluuies aßidua. Nam, ut D. Bernhardus inquit, Luxuriæ currus quadriga uoluitur uiciorum: Ingluuie uidelicet uentris, Libidine coitus, Mollicie uestium, ocijq́;, Saporisq́; resolutione. Trahitur equis æque duobus: Prosperitate uitæ, & rerum abundantia. Et qui ijs præsident duo: Ignauiæ torpor, & infida securitas. Quorum uitiorum fons est ebrietas. Hæc flagitiorum omnium mater, culparumq́; materia, radix criminum, ac castitatis naufragium. Venter enim mero æstuās, cito despumat in libidinem. In uino luxuria, in luxuria uoluptas, in uoluptate impudicicia. Qui luxuriatur, uiuens mortuus est, Qui autem inebriatur, & mortuus & sepultus. Vnde D. Paulus admonet, ne uino, in quo luxus est, inebriemur. Et uasa adulterijs cælata Plinius improbat, quòd per se satis doceat libidines temulentia. Porrò ut Sobrietas omnium uirtutum mater: sic econtrà ebrietas omnium uitiorū origo, Hæc animi cæcitas, hostis pudicitiæ, & castitatis expultrix. Illa mentis, sensus, membrorum Bern. su. cant. August. ad sacras uirg. Hieron. ad Eustochiū. Ephes. 5. Plin. li. 14. ca. ult. Origenes.

q; omnium corporis tutela, castitatis pudiciciæq; munimentum, pudori proxima, amicicie pacisq; serua, criminum & uiciorum omnium profuga.

SECVNDVM, Ad libidinis crimina ferens iter, est uecorditer ociari, ueterno torpescere, & ab omnibus uirtutum studijs feriari. Vicium enim libidinis facile ex uacantia & ocio nascitur, hoc si tollas, periere Cupidinis arcus. Cum igitur animus humanus semper appetat aliquid agere, neq; ulla conditione, quietem sempiternam posit pati. Nam eo nihil uelocius, nec ulla celeritas, quæ posit cum animi celeritate contendere, ut rectè mentem antiqui auram, animum Zeno uocauerit ignem: prudentisimè iuuenis Princeps egerit, si rebus honestis animum asiduò exercuerit, atq; ijs negocijs præoccupauerit, quæ ad utilitatem Reip. pauperumq; salutem pertineant. Sic enim animus nobilior, uirtutum studijs implicitus, ab impuris cogitationibus liber, à fœditate spurca uacuus, ab omni deniq; libidinis macula uiguerit immunis. Nam si non

Chrysost. super Ma.

Cic. 5. de finib.

Cic. 1. Tusquæst. & 4. de finib.

Ho. 1. epi. 2

Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studijs & rebus honestis;
Inuidia uel amore uigil torquebere.

Er. in princip. instit.

Assuescat igitur iam inde à puero, asidere cōsultationibus, interesse iudicijs, adesse creandis magistratibus, audire querelas & postulationes

pauperum

pauperum, uerùm, ne quid ipse statuat, nisi multorum iudicio comprobatum, donec ætas & usus rerum, certius iudicium pararit. Sic ubi consueuerit publicis delectari commodis, nunquam deerit quò honestè animum exerceat, intellecturus, bono Principi non uacare, ut ineptis uoluptatibus ocij tædium fallat, & generosum animū, libidinum uicijs deturpet, sed honestioribus assuetum, conseruet immaculatum, qui molæ continuo motu irrequietæ simillimus. Nam ut hæc, si triticum defuerit, glandes, nuces auellanas, aut porcorum molit cibaria. Sic ille, si rebus, ut dixi, non honestis præpeditus, implicabitur inhonestis, et amore uexabitur insano. Qui nihil aliud est, quā uacātis paßio. Chry. sup. Mat

TERTIVM. In aulis ualdè tritum est, oportuna peccandi occasio, cuius fuga cautior Principi ualdè salutaris existit. Etenim sex feruntur, quæ incorruptam conseruant castitatem, nempe: Sobrietas, operatio, asperitas cultus, inhibitio sensuum, raritas sermonis cum honestate, & imprimis euitatio oportunitatis & personæ, & loci, & temporis. Quam peccandi promptā ansam aulici plures magis arripere, quā declinare solent, dicentes, se cū mulieribus esse, quàm cū philosophis malle. Id cum stolidus quidam protulisset olim, rectè Pythagoras respondit: Et sues libentius in cœno, quā in aqua uersari. Bonus igitur Princeps mulierCaßiodor. sup. Math. Dio. Laer.

culorum

cularum ac formosarum pedißequarum consortia uitabit, & aulis peramicas Sirenas, quarum aduersus catilenas ceram auribus, ut aiunt, obdet, Vlyssen imitatus, qui Sociorum aures, ne sub domina meretrice canes immundi, & amicæ luto sues uiuerent, obturauit. Proinde cum in aulis plurima sint libidinum irritamenta, cum primis enitendum principi, ne desiderio carnis expugnatus, herbam, ut aiunt, adfectui prauo suo porrigat, sed seipsum potius uincere contendat, auertendo faciem
Ecclesi. 9. suam à mulieribus comptis. Etenim propter speciem mulieris, multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit. Speciem mulieris alienæ multi admirati, facti sunt reprobi. Quod uerum Ethnici complures agnoscentes, à mulierum consortijs abstinuernnt.

Plu. in apo. Antiochus tertius cum Dianæ sacerdotem uidisset supra modum eleganti forma, continuò soluit Epheso, ueritus ne uis amoris, aliquid ipsum facere compelleret, quod fas non esset. Immane, quantum absint, ab huius Ethnici Principis religione, quidam Christiani, qui uirgines constuprare, pro ludo ducunt.
Era. 5. apo

ITEM. Alexander cum Darij filias haberet captiuas, demißis oculis eas salutabat, idq; raro, sibi metuens, ab illarum insigni forma. Apud familiares autem dicere solitus: Dolores oculorũ esse
Er. 4. ap.

Persicas

Persicas puellas. Has cum aliquando, ut inuiseret inuitaretur, ire noluit, dicens: Sibi non committendum, ut qui uiros uicisset, à mulieribus uincere tur. Idem uicti hostis uxorem facie inclyta mulierem, uetuit in conspectum suum deduci, ut eam ne oculis quidem suis contingeret. Er. 8. apo. Gell. lib. 6. cap. 8.

ITEM, Persarum Rex Cyrus maior abstinebat à conspectu Pantheæ. Et Araspo dicente mulierem esse insigni forma, dignam Regis oculis: Ob isthuc ipsum, inquit, magis est ab illa abstinendum Etenim si nunc tuo obtemperans consilio, illam adiero, quum uacat: fortaßis illa mihi persuasura est, ut ad ipsam frequenter commeem, etiam cum non uacabit, eiq; aßideam neglectis serijs imperij mei negocijs. Scitè retorsit argumentum, regiæ functionis memor, nec ignorans, quòd semel gustata uoluptas, sic mentem Principis excantet, obscuretq;, ut de turpitudine eat in turpitudinem, donec excæcatus ueniat in sensum reprobum, & obstinatus in malo, ne tum quidem queat uoluptatem turpem relinquere, cum illa deseruerit hominem. Id quod plerisq; uidemus euenire, ut effœto corpore, extincta forma, frigente sanguine, deficientibus uiribus, caligantibus oculis, tamen adhuc pruriant sine fine, & sceleratius turpiloqui sint, quã olim fuerint impudici. Plu. in apo. Er. 5. apo. Er. in mil. Christiano

ITEM, Cum Augustus Cæsar uicisset apud

Eutro. li. 7 rerũ Rom. Accium nauali prælio M. Antonium, & Aegypti regnum, suo imperio subiecisset, Cleopatra Regina exornata diuersis ornatibus, ad Cæsarem uenit, sperans eum, ut cæteros, sua specie, ad libidinem illicere: sed ille, se intra pudiciciam coartans ad eius concupiscentiã minimè inflexus, eam mox cu-stodiri mandauit. Et ut prophanis sacra subiũgam, Cum Iehu filius Iosaphat Rex super Israel, 4. Reg. 9. appopinquaret ad meretricem Iezabel, ipsa depinxit oculos suos stibio, & occauit caput suum & respexit per fenestram ut in obscœnum amorẽ sui uictorẽ traheret, At ille leuans faciem suam ad fenestram ait. Quæ est ista? Responderunt Eunuchi: Iezabel est. Dixit igitur ministris: Præcipitate eam deorsum. Et precipitauerunt eam, aspersusq; est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcauerunt eam. Certè Principi longe pulchrius atq; satius esset Augustum illum, uel hunc Iehu Regem imitari, quàm cum tot grauibus regnorum offendiculis libidini more pecudum indulgere, atq; permittere ut plures in aula similes Cleopatræ atq; Ietzabel regnẽt, quã Lucretiæ, Hippones aut Lacænæ. Lucretia per uim stuprum pati coacta, cum grauissimis uerbis iniuriam suam in concilio Liui. lib. 1. necessariorum deplorasset, ferro se, quod ueste tectum attulerat, interemit. Græca fœmina Hippo cum in hostium classem esset excepta, in mare se, ut pudiciciã morte tueretur, abiecit. Et illa Lacæ

ut castè uiuere, quàm uiris insidiari, atq; pudicici- Val. lib. 6.
am suam prostituere maluit. Hanc cum quidam cap. 1.
misso nuncio solicitasset, num assentiretur, ut ip- Plu. in apo.
si sui faceret copiam, respondit illa: Quum essem Laconicis.
puella, parenti obedire didici, idq; feci: mulier au-
tem facta, uiro. Itaq; si dominus tuus me inuitat ad
honesta, uiro primum rem aperiat. Quicquid ille
iusserit faciam. Atqui Christianus Princeps castos
Ethnicorũ mores audiens, multò magis ipse Chri-
stiano Principe dignam ætatem exiget, secum re-
uoluens quòd uinum & mulieres apostatare faci-
ant sapiẽtes. Et qui se fornicarijs iungit, sit nequã: Eccles. 19.
quòd mulier formosa, quæ immodesta est, non sit
dissimilis porco, naribus aureũ torquem gerenti,
ut rectè Diogenes formosa scorta, lætali mulso si- Prouer. 11.
milia dixerit. Stillans enim fauus scorti os est, & Diog. li. 6.
mollius quàm oleum collum eius. Verum postrema Prouer. 5.
amara uelut absynthium, & acuta ceu gladius, pe
des eius ad mortem descendunt, & ad inferos pro
perant gressus eius. Item fouea profunda os scorti
est, cui irascitur Dominus, is in eam incidet.
QVARTVM, Ducens ad castra libidinis i- Prouer. 22
ter, est mentis cæcitas, propriæ mortis, atq; Chri-
sti Domini nostri paßionis obliuio. Suppreßius e-
nim ac prudentius peccaretur, si intelligerent ho- Gell. li. 13.
mines, nihil omnium rerũ diutius cælari posse. Si Eccclesi. 23
crederent oculos Domini multò plus lucidiores

esse super solem, circumspicientes omnes uias hominum, & profundum abyßi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes. Et à carnis illecebris tutum redderent, aßiduus mortis propriæ respectus, mortisq; Christi contemplatio frequenter ante oculos obuersantia. Voluptatis enim capistro non facile miserum os porrexerit qui perpenderit, quàm sit hæc uita fumo fugacior, umbra inanior, quot laqueos nobis struat mors, nullo nõ tempore insidians, ut non frustra scriptum sit: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Ad hæc nihil tam efficax ad curanda conscientiæ uulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi uulnerum sedula meditatio. Certè qui mortem Christi, atq; eius sanguinem pro factis peccatis effusum meditatus fuerit, is si micam pietatis aliquam habuerit, in libidinis crimina non facile reciderit, ut canis reuersus ad proprium uomitum, & sus lota, ad uolutationem cœni.

Er. in mil. Christ.

Math. 24.

Bern. sup. cant.

DE PRINCIPVM adfinitatibus.

Er. in prin. instit.



Riuata quidem res est Principũ matrimonium, at huc rerum humanarum summam penè uocari cernimus, ut sæpenumero regnis eueniat, quod olim Græcis et Troianis

ſanus in Helena. Porrò cum maximam ad beneuolentiam conciliandam habeat genus, & eadem patria, ſapienter egerit Princeps, ſi intra regni ſui fines, uxorem integritate, modeſtia ac prudentia commendatam, optimoq; Principi morigeram, duxerit. Aut, ſi recedendum ſit à limitibus, cum proximè finitimis iunxerit adfinitatem, iis potiſſimum, qui ad amiciciæ fidem ſint idonei. Quod prudentes aliquot Principes feciſſe uidemus. Nam complures multis de cauſis, non probant receptas Principum cum exteris potentioribus, & maximè cum ſemotis nationibus, lingua, ſpecie, moribus, ingeniiſq; diſsimilimis adfinitates, atq; imparia matrimonia. Quibus aliquando Principū res augentur, ſed multò ſæpius populi facultates atteruntur, & adfliguntur. Hinc enim tumultus, hinc regnorum permutationes, hinc iurium uetuſtiſsimorum aliò tranſlatorum confuſiones. Hinc deniq; bella ſæpenumero exoriuntur atrociſsima. Quare cum æqualitas, iuxta prouerbium, haud bellum pariat, Inæqualitas autem ſit diſcordiarū mater, prudenter agunt, qui Cleobulum audiunt ſuadentem uxorem parem eligendam. Nam ſi clariorem duxeris, inquit, dominos adfines habebis. Diog. li. 1.
Idem monuit Pittacus. Fertur autem ſapiens ille, cum ab Atarnete adoleſcente nobili compelleretur, ut moneret, utra ſibi eſſet ducenda uxor, Du-

as quippe se expetere: Alteram quidem opibus sibi, & genere parem, Alteram utraq; in re excellentem: Bacillo senum adminiculo sublato admonuisse, pergeret ad triuium ciuitatis, quo ludendi causa pueri conueniunt, eosq; consuleret, quid facto opus esset, sequereturq; illorum monita. Sicq; factum esse, adolescentemq; illum, puerorum uocibus monitum, æqualem sibi duxisse. Id factum Callimachus in epigrammatis uenustißimè scribit. Hinc insignis illorum stulticia colligitur, qui pauperes cum diuitibus, plebei cum nobilibus, Nobiles cum comitibus, Comites cum Principibus, Principes cum Regibus student adfinitatem iungere. In conciliandis autem matrimonijs boni Principes ante omnia conferent in id sua consilia, ut inde pax subditorum proueniat, ac Reip. commoditas. Spectabunt itē magis uirtutes, quàm censum, Quod olim non facientibus procis quibusdam nobilibus Ephori multam indixerunt, Qui Lysandri Principis filiarum nuptias prius ambierant, mox post obitum illius recusauerant, quòd Lysander repertus fuißet pauper, quem diuitem credentes coluerant: sed eundem iustum ac probum ex paupertate agnitum contempserant.

Plutarchus in ui. Lys.

DE

DE VITA AVLICA.



Vm proceres olim nonnulli, de molestijs aulicis ultro citroq; agitarent, ac uaria conquererētur, subridēs piæ memoriæ Cæsaris Maximiliani Mathematicus Doct. Stabius ait: Qui propius illustres Heroës sunt, æstu sibi nimio uidentur exuri: qui procul uiuunt, intolerabili gelu constringi. Etenim in aulas recepti, cupiunt aulica seruitute leuari: contrà qui priuati degunt, noctes atq; dies adlaborant, ut in aulicorum numerum transferantur. Quare uita aulica mihi similis uidetur cohortibus, aut caueis Gallinaceis, in quibus captæ Gallinæ uiuentes, magis geniali fouentur sagina. Sed ut aliæ liberæ nitorem istum uidentes, appetunt tam splendidam uiuendi rationem, ita cohortales, miseris astrictæ conditionibus, in libertatem pristinam gestiunt restitui. Et Apollonius olim, cum ante regias fores consisteret, uideretq; homines quosdam tanquam Deos adorari, alios autem supplices, uenerabundosq; coram illis astare, tum ingredientium, egredientiumq; strepitum ingentem animaduerteret, dixit: Hæc negocia uidentur balneis rectißimè comparari posse: Nam eos qui extrà sunt, uideo intus ingredi properantes; Qui uerò intus, cum celeritate egredi

Agricol. in pro. ger.

Philo. li. 9.

animaduerto. Vt igitur, qui balneorum æstu incaluerunt, egredi laborant. Et Gallinæ caueis inclusæ, liberius uiuendi genus exoptant: Ita qui sapientiores ad ignem aulicum accesserunt, cupiunt retrogredi. Et qui libertatem rem charam æstimant, abhorrent ab aulis, quòd qui utiles sint, & consilijs ualentes, molestijsq; sufficientes, molestijs inibi atq; laboribus infinitis prorsum exhauriantur: qui uerò inutiles, omnibus ridiculi circumagantur. Vnde natum prouerbiũ Germanicũ

Wer zů hoff tůglich ist/den treibt mann zů tod: der vntůglich ist / der můß eyn nar sein.

Hoc est.

Consultus iugi consumitur aulicus usu.
Qui stolidus, molli scomma iocusq; choro.

Qua in re Princeps non imprudenter egerit, si uiris excellẽtibus aliquando laborẽ imminuerit, atq; pepercerit, ut eorũ industrijs diu poßit uti.

DE AVLICA Familia.



Vlica familia plerumq; solet ingenua Dominorum induere, atq; mores imitari. Etenim secundum iudicem, sic & ministri eius. Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitãtes. Qualis pater, talis filius. Qualis hera, talis, ut

Eccle, 10.

prouerbio

prouerbio dicitur, pedissequa. Et quum florent impij, scelera multa fiunt. Proue. 29. Quapropter opera danda, ut & Princeps suos unius mores integros et incorruptos præstet Reipub. & quoad licet omnes proceres, ministros, magistratusq; sui similes habeat. Hi membra sunt Principis, & horum sceleribus conflatum odium, non solum in Reipublicæ, sed etiam in Principis redundat perniciem. At illud difficilimum est, inquiet aliquis, Facilius autem erit, si curet, optimos in suam familiam adsciscere: Deinde si fecerit quoque, ut hi intelligant, ea maximè placere Principi, quæ maximè sint in rem subditorum. Quare qui Principes familiam exornatam uirtutibus habere uelint, primum ipsi uirtutes amplexentur, & faciant, quæ cum laude, cum familia omnis, tum uulgus imitetur.

Scilicet in uulgus manant exempla regentum, Claudian.
Vtq; Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Sic Adrianus Imperator, suos omnes ea docebat facere, quæ par erat. Atque ut etiam eius exemplo Ex Dione meliores redderentur, duro & aspero uictu utebatur. Cassio Ni. Atque ut omnia breuiter complectar, sic opere, & præceptis per totum imperij tempus milites omnes & exercuit, & exemplo instituit, ut quæ ab eo facta fuerunt, ea pro lege, atque militari instituto haberentur: Quippe efficacissimum exhortationis genus est, Principem hoc facere, quod ab a-

lijs fieri uelit. Quod intelligens L. Sylla: Qui cum apud Orchomenium milites longius euagarentur, ordinibusq; perturbatis fugam caperent, ex equo desiluit, & arrepto uexillo, in hostem uehebatur, ita uociferans: Mihi quidem ò Romani milites, hic pulchrum est mori. Vos interrogati, quo loco Ducem uestrũ amiseritis, memineritis dicere: apud Orchomenium. In primam igitur aciem progressum Imperatorem, ultro secuti milites. Et Agesilaus ille maximus Lacedæmoniorum Rex: Si quid erat, quod per milites suos celeriter confici uoluerat, primus ipse sub oculis omnium operas aggrediebatur, quo uel pudore ad industriam extimularentur. Et M. Crassus omnium ille ditißimus magnam seruorum turbam domi alebat, quorum præcipuam agebat curam, discentibus adstans, interdum & ipse docens, dicens hanc oportere præcipuam esse patrisfamilâs solicitudinem, quòd sint rei familiaris animata instrumenta. A quo ueræ pietatis adfectu, quàm alieni quidam Christiani Domini uixerint, ignorat nemo. Qui non eorum, quos modò retuli bonos Principes, sed meros nebulones, utpote Neronem Cæsarem, aut Commodum Antoninum imitati, qui sua, non quæ Reipublicæ, quæsiuerunt. Horum ille nihil uirtute conspicuus curabat. Vnde nunquam suorum cuiquam officium delegauit, nisi hæc adijceret: Scis qui

Ex Plutar.

Eras. 5. apo.

Sue. in. Cæ

quibus mihi est opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat. Hic cum peßimis in lucem potare sole- bat, & helluari uiribus Romani imperij, uesperi autem per tabernas, ac lupanaria uolitare. Non curabat Rempublicam, mittebat homines ad prouincias regendas, uel criminum socios, uel à criminosis commendatos. Quorum ingenia & hodie qui referunt, hoc est, qui propriam magis gloriam, ac fastus incrementa, quàm subditorum felicitatem quærunt, minimè curant, quales habeant ministros, Scythæ ne sint, Iudæi, an Turcæ. Hinc non solum in equilibus, sed etiam in aularum penetralibus turpißima, quæ uel lenonibus fœdißimis, aut lupis ruborem incuterent, audias effundi, spurcitijs omnia conspergi, nomen denique et eloquium Domini blasphemari. Etenim multi iam, qui prima fidei ac pietatis Christianæ rudimenta non tenent, auditu terribilia precantur proximis, ac iurant per corpus, uultum, neruos, cerebrum, uulnera, sanguinem, mortem, ac elementa Dei. Aeli. Lam.

Per Solis radios, Tarpeiaq; fulmina iurant,
Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula uatis, Iuue. sa. 13.
Per calamos uenatricis, pharetramq; puellæ,
Quicquid habent telorum armamentaria cœli.

Quæ omnia Dominorum uicijs indulta, uulgus in pestilentißimum imitationis exemplum trahit.

Nec

Ci.3.de le. Nec tantum mali est, peccare Principes (quanquã est magnum hoc per seipsum) quantum illud, quòd permulti etiam imitatores Principum existunt. Nam licet uidere, si uelis replicare memoriam temporum, qualescunq; summi ciuitatis uiri fuerint, talem ciuitatem fuisse, quæcunq; mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo secuturam, Idq; haud paulò est uerius, quàm quod Platoni nostro placet, qui Musicorum cantibus, ait, mutatis, mutari ciuitatum status. Ego autem nobilium uita, uictuq; mutato, mores mutari ciuitatum puto. Quo perniciosius de Repub. merentur uiciosi Principes, quòd non solum uicia concipiunt ipsi, sed (ut suprà quoque citaui) ea infundunt in ciuitates.

DE NVMEROSO PRINcipum famulatu.



SVnt qui gloriosum ac magnificũ putent, si Principis aula, famulatu numeroso perstrepat. Et maxima quæq; domus seruis sit plena superbis. Sed Heroës longè prudentiores, uarijs rationibus inducti, pauciores in aulis famulos ac seruos alere malunt.

PRIMA, Vt septem conuiuium, nouem (iuxta prouerbium) conuitium, hoc est, ut insuaue atque

que clamosum fit conuiuium, in quod adhibita mul titudo numerosa. Ita minus iucunda fit aula, quam infinita famulorum, maximè seruilium capitum, parasitorum, lurconum, atq; scurrarum multitudo complet: In quorum (à quibus, ut nihil durius, nequeas cauere) sunt numero uersipelles exploratores, qui latebras aularum omnes excutiant, & miris artibus consilia, quæ nouerint, prodant. Petrar. dialog. 33

SECVNDA: Vbi multi serui, multæ lites, æmulationes, odia, multæ discordiæ, multa deniq; domestica bella, quorum Princeps, obseruator, spectator ac laboriosus denique compositor sit oportet. Interq; reos & accusatores medius seruis suis seruiat, custos & iudex factus ex Domino.

TERTIA: Vbi serui multi, & (quod aiunt) Callicyrijs plures, multus strepitus, & secretũ nullum. Etenim quot seruorum linguæ, tot præconum tubæ: quot seruorum aures atque oculi, tot aularũ rimulæ, quibus illa etiam, quæ in fundo sunt, facilè dilabuntur. Pertusum uas ac futile seruilis animus, nihil continet, quicquid infuderis, mox effluet.

QVARTA. Qui multos in aula seruos habet, idem multos sibilos, linguas uipereas, domesticæq; pacis uirus abditum habet. Multos quoque profundos & capaces uentres, ac lubrica guttura, uinorum procellas, pestes penuariorum, profundas annonæ uoragines, & inexplebilem charybdim

dim, in quam uelut in pertusa boum omnium totius regni labores, atque hominum sudores ingeruntur, dolia.

QVINTA: Paucos seruos bene regere difficile, plurimos impoßibile. Quorum ingressu nihil humilius, nihil abiectius. Mox nihil insolentius, nihilq; infidius progressu. Postremò nil immitius, nil odiosius egreßu. Seruitium polliciti, statim sibi dominium arrogant, tyrannidem exercent, & quasi ad uastandum conducti, non tantum deuorãt uniuersa, sed spargunt, de alieno, unde lata, iuxta prouerbium, secantur lora, corio, bonisq; liberales atque prodigi uelocißimi ad rapinam. Quare mirandum, quid in mentem ueniat illis, qui gregatim alunt eius farinæ multos homines, de quibus dici poßit illud Horatianum:

Hor. 1. ep. 2. & 15.

Pernicies, & tempestas, barathrumq; macelli.
Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoiq;
In cute curanda plus æquo operata iuuentus.
Cui pulchrum fuit, in medios dormire dies, &
Ad strepitum cytharæ cessatum ducere curam.

QVIBVS IN LOCIS ARTES ingenuæ, & salubria Euangelij dogmata florere, simul ac accrescere possint.

Solis

SOlis in ijs nationibus, ciuitatibus, ac regnis artes liberales, atque pietatis studia messe proueniunt uberrima, ubi magistratus, atq; ipsa capita, cum præstantioribus suis membris, hoc est, ubi Principes cum suis proceribus, & comitatu aulico non modò bonarum literarum, ac pietatis cultores uel amatores enituerint, sed etiam ipsi uero honestatis cultu, atque uitæ sanctimonia, subditis omnibus præluxerint. Nihil enim tam ciuitatis Christianæ plantarium fœcundat, & exauget, nihil tam efficaciter euehit, quàm sancta magistratus, ac Principum exempla. Quippe, ut olim in Ecclesiæ primordijs, admodum tenui Christianorum numerus succreuit augmento, cum pauci pauperculi, cerdones, aniculæ, aut agrestes operarij, sparsim in alijs hi, in alijs illi speleis delitescentes, religionis ueræ specimina proferebant, sed multo fertiliore prouentuum emicuit, quum ipsi Principes populorum atque Reges, cum suo magnatum ordine, pietatis doctrinam, non solum erant amplexi, sed factis etiam exprimebant. Sic hodierno die parum conducit, ad maximum publicum ueræ pietatis incrementum, si in tam populosa Republica Christiana, uulgi pars ut minima, sic infima, doctrinam saniorem audiat, uel opera fidei faciat.

Verum hoc ante omnia promouerit, si primùm ipsa capita, se bonam in frugem resoluerint, hoc est

si Principes ipsi, ac Reges uulgo prænitentes, non fucato nominis prætextu, sed ueris ueram operibus doctrinam expresserint. Quod si fieret, multo prosperiore meliores animorum omnium fruges prouenirent ubertate. Virtutes enim per omnia imperiorum corpora diffunderentur, & cuncti bonorum in similitudinem Principum formarentur. Etenim à capite bona ualetudo transit in omnes. Hinc est, quòd diuinus Vates monet, inquiens: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus, & pereatis de uia iusta. Et sapienter ille Solon: Rector, inquit, populi prius se, quàm populum rectè instituere debet. Nam si Principes, & maiores secundum leges uixerint, unaquæq; ciuitas optimè regi poterit: sin autem transgressores Legum ipsi Principes impij, posticam respiciendo manticam, impias ciuitates correcturi fuerint, non aliter facturi, ac si curuam umbram rectificare conati, priusquam uirga curua, faciens umbram, recta sit. Heroes igitur iustitiæ ministri, primum ipsi iusti sint, oportet, & immaculata prius omnis honestatis exemplaria, quàm importuni uiciorum correctores. At rari boni, uix sunt numero quot Thebarum portæ, ut uerè dixerit ille: In uno annulo bonos Principes omnes sculpi posse, sentiens quidem magnū Imperatorum numerum, sed in his perpaucos bonos.

Sen. lib. 2. de clemen.

Psal. 2.

Diog. li. 1.

Fla. Vopis. in Aurel.

Hinc

Hinc magnum illud malorũ pelagus irrupit. Hinc malis malorum exemplis corruptißima plebs, cur, inquit, dominorum nostrorum imitatores non simus? Illorum uestigijs certatim insistemus. Quocunque Reges, Principes, Officiarij, Iudices, Quæstores, Aediles, atque Prætores uita defuncti uenerint, & eòdem nos ueniemus: quam illi fortunam, eandem nos, imò habituri tolerabiliorem, quum illi tot opum atque titulorum iacturam, nos autem rerum leuißimarum facturi. Vnde clarißimum ad Heroa bene scriptum illud fateberis.

In commune iubes si quid, censesq; tenendum, Claudian.
Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre uetat, cum uiderit ipsum
Autorem parere sibi, componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta ualent, quàm uita regentis,
Mobile mutatur semper cum Principe uulgus.

Quare quisque in Republica tanquam in magno corpore imperandi partes occupauit, eum oportet bonitate, sapientia, ac uirtutibus alijs cæteros anteire. Et quanto Magistratus antecellunt plebi, tanto Princeps antecedere debet Magistratus. Erasm. in prin. instit. Quippe quod cor est in corpore animantis, id est Princeps in Republica. Si cor syncerum est, quoniam sanguinis, & spirituum fons est, uitam impartit uniuerso corpori: Sin uiciatum fuerit, exitium

afffert membris omnibus. Si Princeps ipse cum suis bonus fuerit, ac pius, subditos habebit omnes pietatis studiosos: Sin Princeps improbus, longè plures habebit, qui sua crimina certatim imitentur, idq; lōgè promptius, quàm ut bonis alicuius docti Parochi concionibus acquiescāt. Nihil enim uulgus imitatur libentius, quàm quod à suo Principe fieri cōspexerit. Sub aleatore, paßim luditur alea: sub bellaci bellaturiunt omnes: sub comessatore luxu diffluunt: Sub Dionysio ebrio, Syracusani ebrij: sub libidinoso lenocinantur: sub crudeli deferunt, ac calumniantur. Non igitur alia breuior, aut efficacior ad corrigendos populi mores uia, quàm Principis ipsius incorrupta uita. Quæ si turpibus contaminata flagitijs, & si caput ipsum pestilens fuerit, latius principale uirus serpit. Primū excellentiora membra, hoc est, magnates aulicos, atq; nobiles corripit, postea transfundit in inferiora uenenum, ut omnibus contagione magis obsit, quàm optima parrochorum omnium conciones prosint.

Aris. po. 5.

Quam ob rem in ijs regnis fœcundißima uirtutum, & optimarum rerū omnium copia redundabit, in quibus fuerint ipsi uirtutibus præditi Rectores, in quibus pietatis semina, et purum Dei uerbū, in bonos Principes, consiliarios, officiarios, archigramnateos, quæstores, satrapas, & breuiter, in totum aulicorum ordinem uicijs repurgatum ceciderit.

serit, non in spinas, hoc est, in eos, qui dogmata bona quidem audiunt, sed non retinent, neq; fructũ adferunt, suffocati ab huius seculi solicitudinibus, diuitijs, uoluptatibus, & honoribus, quorum altißima radix in aulis fixa. Et qui mollia gestant, in domibus Regum sunt. Quibus tricis expeditorũ Principum exempla bona, si uiderent subditi, dubio procul iniußi sequerentur, quorum iam bona pars, in eodem luto (quod aiunt) hæsitant. Atqui uerendũ ne non quibusdam in aulis malorum assuetudo, radices tam profundas egerit, ut si bonus uelit Princeps omnes euellere, non sine molestia, uel tumultu possit. Verum hic prudenter agendum, et paulatim succurrendum morbo, qui præproperam medicinam reformidat. Cæterum in tempestiuo rerum aggressu, si nonnihil à maiorum placitis uel annorum, uel hominum uicio corruptis, discedendum fuerit, non mouebitur Princeps, si rerũ imperiti quidam Thrasones aulici contradixerint. Sed longè maiorem operam dabit, ut aulam suam & moribus incorruptis, & legibus sic instituat, ut in sapienter institutam, illa uetusta duo Germanica non queant dici prouerbia:

Luc. 8.
Matth. 11.

Als bald Petrus zu hof kame / ward ein schalck drauß. Alterum: **Lang zu hof / lang zu hell.**

Agricola in pro. gr.

Hoc est.

Aulica quàm primum tetigit pede limina Petrus,
Periuro nequam gutture factus homo.
Tempore qui longo durat malesanus in aulis,
Tartareo longam perferet igne crucem.
Item: ne sequens Germani Renneri cantilena, de aulico satellitio suo cantari poßit:
Trew/zucht vnd warheit/
Demut/scham vnd einfeltigkeit/
Keusch/vnd tugent/seind vertriben
Zu hoff/vnd an jr stat seind bliben:
Liegen/triegen/rybaldei/
Lotterfürer vnd buberei/
Vnzucht/vnkeusch/lecker/schimpffen
Schlinden/trincken/ nasen rimpffen/
Lotterspil/doppeln/vnd spott/
Lützel achten thůn auff Gott/
Auff die seel/vnd auff den tod/
Auff den Teuffel/ vnd auff die not.
Ein schôn iungfraw ich selten spüre
Zu hof/die alle zeit zu für/
Frôlich mit jren gspielen gieng/
Vnd hoher fürsten gest entpfieng/
Vnd jres Herren eer bewart/
Vnd nicht für frummen gestẽ spart/
Die bôse red den Herren weret/
Vnd nit vnrecht jr gůt verzeret/
Die war Bescheidenheit genant/

Vnd füret Warheit an der hand.
Die Trewe vnd Barmhertzigkeit/
Die ist leyder nun verdrungen/
Bei den Alten/ vnd bei Jungen/
Mit jren gespielen/ das sei geklagt
Dir Herr/dem kein vnrecht behagt.
Geitzigkeit/lůder/vnkeusche/
Můtwill vnd vnzimlich geteusche/
Han manchen Herrn also besessen/
Daß sie der weiß gantz sein vergessen.

Hoc est, Iambicis Senarijs.

Fides, honestas, humilitas, ac ueritas,
Pudor decens, & mentis alma castitas,
Simplex nitentis pectoris prudentia,
Integritas, & omne uirtutis iubar,
Ex Principum modò palatijs procul
Fugêre, quorum (proh dolor) uices gerunt:
Fraus atra, perfidia, procacitas, sales,
Calumniæ, palpatio, ronchi, doli,
Nasuta sanna, scomma, ludus, aleæ,
Potationum crebra concertatio,
Libido spurca, iugis & scortatio,
Summi nihil Dei metus perpenditur,
Curatur & nihil respectus ultimi
Fati, nihil tormenta dira tartari.
Apparet illa Virgo rarior modò,

Quæ læta cum suis sodalibus, sui
Decenter, hospites solebat proceres
Excipere, & asseruare Principis decus,
Magnifica pro loco, nihil pro tempore
Condens, nihil luxu iubente prodigens.
Insanias non passa, non opprobria.
Sophia fuit uocata quæ modestior,
Manu Fidem priscam trahens purißima,
Et Misericordiam, simul Fidentiam.
Quas Humilitas gradu secuta simplici,
Nunc illa ab aulis exul heu procul iacet
Explosa, grandæuis, simul pubi. Deus
Quod tibi queror, cui nil iniqui perplacet.
Auri sitis, libido, fraus tyrannica,
Sic aulicos plerosque captos detinent,
Vllum ut modum tenere porrò uix queant.

DE PRINCIPVM ERga suos liberos amore.



Omines non solum plebeij, sed etiam nobilitate summa præcellentes, delicatè nimis ac molliter liberos educant, parum solliciti, quòd illa mollis educatio, quam indulgẽtiam uocamus, neruos omnes mentis & corporis frangat. Hinc est, quòd tempestate nostra, non sine horrore conspiciamus bimulos aut trimulos, plus in omni turpitudinis genere promouisse, quàm se-

Quin. li. 1.

culis

culis præteritis, quinquagenarios. Verum, si perditus & effœtus iste mundus, per nouas incorruptæ fœcunditatis plantas, hoc est, per innocentes puerulos, in meliorem (ut facilius poterit) omnium uirtutum frugem reduci debet, necesse erit, ut parentes, quanto clariores, tanto purgatioribus studijs, ad Reipublicæ commodum, ac Dei Opt. Max. gloriam, liberos instituant, aut curent suos instituti. Hic uerus Dei cultus, & rectus amor est. Sed illa sedulitas peruersa est, & stolidus amor, quo parentes occœcati non uident, imò sinunt, in omnia uiciorum genera sobolem prolabi ad procliuia iugis exitij præcipitia. Quod odisse prolem, non amare est. Quare quum stultitia sit agnata cordi adolescentis, uirga uerò castigatrix eximat eam. Item: Quum uirga & obiurgatio afferant sapientiam: at puer, qui non coërcetur, pudefaciat matrem, boni parentis officio functus fuerit, qui filiolos non peruerse, nec uecorditer educauerit, sed gradus eorum, ad callem uirtutis durum assuetudine multa flexerit. Nam qui amat filium, quærit ut erudiatur: qui uerò odit eum, abstinet uirgam. At si castigaueris filium, iucundus tibi erit, & afferet animæ tuæ delitias. Ne cesses igitur castigare adolescentem: si percusseris eum uirga, non morietur: Si uirga uerberaueris, ex inferis animam eius eripies. Quorum memor bonus Princeps,

Proue. 22.

Proue. 29.

Prou. 13.

Prou. 29.

Proue. 28

ita curabit educandos liberos, ut diuinæ gloriæ, at que patriæ commodis genitos, non suis adfectibus, aßiduò recordetur. Et quantumuis multas erigat statuas, quantumuis operosas tollat substructiones, animo reuoluet, non aliud pulchrius uirtutum suarum monimentum se posse relinquere, quàm filium optimum, qui patrem optimum factis representet optimis.

Erasm. in prin. instit.

Postremò turpißimum arbitrabitur eum, quo possesionibus omnibus nihil charius habet, & cui parantur omnia, filium negligi, atque corrumpi. Et cum niteat aula, niteant lacunaria, niteant armamentaria, niteant uasa, uestes, ac tota supellex, cum bellè docti sint equi, pulchre instructi famuli, fœdißimum putabit, si filij squaleat, sordeat, atque horreat ingenium. Nactus est aliquis de lapide, quod aiunt, emptum mancipium, barbarum ac uile: si rude est, obseruat, ad quem usum sit idoneum, & ad artem aliquam maturè instituit, seu culinariam, seu medicam, seu agricolationis, aut dispensationis, solum filium uelut ocio natum, & non imperio destinatum, negliget Princeps? Sed habebit, inquiunt adulatores, unde uiuat. Verum non habebit, unde rectè uiuat, ac sapienter populum regat. Vulgò quo quisque ditior est, hoc minus sollicitus est, de liberorum institutione. Quid opus est, inquiunt, Philosophia, satis habebunt. Imò quo plus

Eras. de pueris li. in.

plus habent, hoc opus est maioribus philosophiæ præsidijs. Quo maior est nauis, quoq; plus uehit mercium, hoc magis desiderat (ut suprà dixi) nauclerum probè doctum. Quanto studio id agunt nonnulli Principes, ut filijs quàm amplißimam ditionem relinquant, sed minus curant eos instituendos his artibus, sine quibus non potest rectè geri principatus. Nec principes hic solum, sed & plebeiorum & nobilium uulgus, trifariam peccat. Vel quia prorsum negligunt puerorum institutionem: uel quia serius incepere illorum animos ad philosophiam fingere: uel quia tradunt his, à quibus discunt dediscenda. Primi generis homines parentum indigni sunt nomine, minimeq; differunt ab ijs, qui natos infantes exponunt. Non enim leuius est, optimam hominis partem, hoc est, mentem perdere, quàm corpus. Secundi generis sunt, qui metuunt suis infantibus, causantes esse periculum, ne studiorum labor, teneri corpusculi ualetudinem imbecilliorem reddat. Sed hi stultißimi non metuunt interim, multo grauius periculum, ab immodico cibo, quo non minus læduntur ingenia paruulorum, quàm (ut supra dixi) corpora, à multiplicibus eduliorum potúsue generibus, quæ non congruunt ætati. Admouent infantes suos, uarijs ac prolixis conuiuijs, nonnunquam in multā noctè productis, explent illos salsis ac calidis, usq; ad uo

mitum interdum. Stringunt & onerant tenera corpuscula uestibus incommodis ad ostentatio-nem, quemadmodum nonnulli simios ornant humano cultu, delitijs frangunt, domesticis malis exemplis corrumpunt, & mille modis effœminant liberos suos, nec usquam, si dijs placet, tenerius metuitur illorum ualetudini, quàm cum de literis, hoc est, de re omnium maximè salutifera, necessariaq; cœptum est agi, Tertium genus & ignorantia & incuria peccat. Hi sunt quibus aurem (ut aiunt) Batauam iures esse. Quorum uicijs, cum liberi sint corruptißimi, tamen suos iureiurando probatißimos affirment, laudibus euehant, peccantibus patrocinentur, & ipsos, si filijs paulò durius locuti fuerint, præceptores, ferro transfossum iri minentur, ignorantes quanta stulticia uexentur, quãtosq; indulgentia sua patriæ nebulones educent, magis curando, ut iumenta melius curentur, quàm bonis ab ineunte statim ætate literis imbuantur filij. Qui paulò prudentiores sibi uidentur, non sine delectu seruis quibusq; partiuntur munia. Explorant quem agro colendo, quem equo curando præficiant, quem rei culinariæ destinent, cui partes œconomi delegent. At si quis est prorsus inutilis ad omnem functionem, tardus, piger, insulsus, lurco, huic committitur formandus puer, ignoto sæpius, amicorum precibus commendato. Sic res

quæ summum artificem desiderat, famulorum infimo committitur. Quid læuum est, si hic homines non habent læuam mentem? Sunt quos animus sordidus deterret à conducendo præceptore idoneo, & multò pluris conducitur equiso, cocus, uenator, lixa, quàm filij formator. Et tamen interim indulgetur sumptuosis conuiuijs, magnæ superbo luxu facultates profunduntur, noctu dieq; luditur damnosa alea, multum impenditur uenatibus, morionibus, scortis. In eo solo parci, sordidiq; sunt, cuius gratia poterat excusari cæteris in rebus parsimonia. Vtinam pauciores essent, qui plus impendunt putido scorto, quàm educando filio. Res inquit Satyricus, nulla minoris Constabit patri quàm filius. Non absurdum fortasse fuerit, hic meminisse Diarij, quod olim Cratetis Thebani nomine celebrabatur. Id ad hunc refertur modum: Ponito coquo minas decem, Medico dragmam, assentatori talenta quinque, Consiliario fumum, meretrici talentum, philosopho triobulum. Quid huic præposteræ rationi deest, nisi ut addas: liberorum formatori teruncium. Quanquam arbitror hic philosophi nomine, signari præceptorem. Aristippum cum quidam nummis beatus, sed mentis inops percontaretur, quantum mercedis posceret pro filio instituendo, atque ille poposcisset quingentas dragmas: Immensum,

Ex Erasm.

Diog. La. lib. 6.

Diog. li. 2.

inquit

inquit, postulas. Ista summa seruum mercari licebit. Tum Philosophus quàm lepidè: Mercare, inquit, & pro uno duos es habiturus. Iam si quis roget quempiam, uellét ne unius filij exitio, centum equos lucrifacere? si micam habeat sanæ mentis, respondebit, opinor: nequaquam. Cur igitur pluris constat equus, cur diligentius curatur, quàm filius: Cur Morio carius emitur, quàm instituitur filius? Alibi sit locus frugalitatis, hic esse frugalem non est parsimonia, sed magis dementia. At sunt quidā satis dapsiles, atq; liberales Satrapæ. Tres enim aut quatuor in anno lepores mittere, Præceptores ad conuiuia nonnunquam uocare, & ita poculis ingurgitare solent, ut crapulæ minus assueta bona turba ferè cacet atq; uomat. Deinde beneficiorum istorum gloria turgidi, si malos mores & exempla, quæ domi à parentibus quasi per manus accepit, filiolus expresserit, & à studijs alienus se turpiter dederit, statim Tragœdias miras excitant, ac omnem perditæ sobolis culpam, solis præceptoribus asscribunt: cum ille solutus ac fluens, non acceperit à schola mala ista, sed potius in scholam attulerit. Sed iudex omnium iustißimus Deus nouit eos, qui pueros corrumpunt. Is à parentibus malorum autoribus exiget, quicquid peccauerint filij. Quod si Sacerdos Heli, qui peccantes filios corripuit quidem, sed non satis acriter, maledictus

Quint. li. 1 cap. 2.

1. Reg. 2.

maledictus à Domino pœnas luit, quanto maiorē perpessuri, qui peccantes non coërcent, sed uitiorum fomenta subministrant, excandescentes, si nō honoris magnifico titulo præfatus, infantes fueris allocutus, Vnde nonnullos ita uidemus dissolutos, ac omnibus delitiarum generibus effœminatos, ut propemodum nesciant, humi ne repant, an in aëre uolent. Sed ut indulgentia fœdißima, ita turpißima socordia parentum, qui non modo non rectè instituunt liberos, uerumetiam ad nequiciam corrumpunt. Hanc absurditatem, cum Crates ille Thebanus perspiceret in hominum moribus, non iniuria minitabatur, se conscensurum æditißimum urbis locum, & inde quàm maxime uocali clamore exprobraturum ciuitati publicam dementiam, huiusmodi uerbis: Quæ uos agit dementia miseri? Tam anxiam curam impenditis parandis pecunijs ac possessionibus: & liberorum quibus ista paratis, nullam prorsus curam habetis. Er. de pu. lib. instit.

Sunt in summorum etiam Heroum numero, qui negocijs alijs præditi, parum curant, qua ratione filij (quæ maxima cura esse debet) erudiantur. Quod uilius & abiectius arbitrantur, quā ut dignētur in id intendere. Nōnulli magna cura dispiciunt, quibus equum insignem, aut auem, aut canem curandum tradant: nihil autem referre putant, cui filium formandum committāt, Quem sæpenumero Er. in prin. instit.

nero talibus tradunt præceptoribus, qualibus ne-mo plebeius paulò cordatior, suos liberos uelit cõ credere. At quid retulerat filium genuisse impe-rio, nisi eundem cures educandum imperio? Hic statim ab ipsis incunabulis, stultißimis inficitur opinionibus, enutritur inter stultas mulierculas, adolescit inter lasciuas puellas, laudantes, inuitan tes, inseruientes, inter collusores perditos, effœ minatam æqualium turbam, inter abiectißimos as-sentatores, inter scurras & mimos, inter combi-bones & aleatores, ac uoluptatum architectos, iuxta stultos ac nequam, inter quos nihil audit, ni-hil discit, nihil imbibit, nisi uoluptates, magnifi-cos titulos, delitias, fastum, arrogantiam, auari-ciam, iracundiam, tyrannidem, atq; ex hac schola mox adhibetur ad regni gubernacula. Vnde cum habenas Reip. tractare cœperit, difficilimè (quoniam consuetudini, quæ altera natura, diffi-cillimum est resistere) malos mores exuere, ac

Ari.7.eth. Principem siccum, frugi, continentemq; præsta-re poterit. Etenim qui fiat, ut qui inter assentato-res, ac Sardanapalos, primum opinionibus prauis deinde uoluptatibus corruptus, primos illos an-nos in alea, choreis, & uenatu consumpserit, po-stea fœliciter poßit in his functionibus uersari, quarum usus diligentißimam requirebat medita-tionem. Quomodo modestus erit uir, atque

fastu

fastus contemptor, qui repsit in purpura? Nondũ potest prima rerum uocabula sonare, & iam intelligit, quid sit coccum, iam poscit conchylium, iam scit quid Scarus & mulus, & cum fastu reijcit plebeios cibos? Qui uerecundus esse poterit, cum adoleuerit, qui infantulus ad impudiciciam fingi cœpit? Quo pacto liberalis euadet grandis, qui tantillus nummos, & aurum mirari didicit? Qui temperabit à luxu iuuenis, cuius palatum prius corrupimus, quàm mores formare cœperimus? Si quid nuper repertum uestis genus, ut quotidie uestiariorum ars, uelut olim Aphrica, parit aliquid noui monstri, hoc infanti addimus. Docetur sibi placere: & si tollatur, reposcit iratus: Quo pacto grandis oderit temulentiam, qui infans didicit esse uinosus, & cui tot spurca porcorum aulicorum ebrietatis exempla non displicuerunt.

Sed cum parentes amore liberorum pleriq; dementati, peccent multifariam, operepreciũ fuerit, aliquot sacræ scripturæ locos proferre, ut in ijs, tanquam in speculo contemplentur, accuratam à Deo παιδαγωγίαν requiri.

Ecclesiastici 7. Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à puericia eorum. Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem ad illas. Ne iocunderis in filijs impijs, si multiplicentur Ecclef.16.

plicentur, nec oblecteris super ipsos, si non est Dei timor in illis. Non credas uitæ illorum, & ne respexeris in labores eorũ. Melior est unus timens Deum, quàm mille filij impij. Et utile est, mori sine filijs, quàm relinquere filios impios. Ab uno sensato inhabitabitur patria, & à tribus impijs desere-

Eccle. 30. retur. Qui diligit filium suum, aßiduat illi flagella, ut lætetur in nouißimo suo, & nõ palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Mortuus est pater, & quasi non est mortuus, similem enim sibi relinquit post se. Relinquit defensionem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Sed ut equus indomitus euadet durus sic filius remissus euadet præceps. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet. Lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne condoleas, & in nouißimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius, Curua ceruicẽ eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. De patre impio queruntur filij, quoniam propter illum sunt in opprobrio, &c.

Ethnici, qui sola ratione ducti, scripturas ignorarunt, suos multò conformius atq; sanctius, quã

Christiano

Christianorum multi, filios instituerunt, Maximus quidem adfectus charitatis erga liberos, ut non facile, nisi expertus crediderit. Vnde cũ Rex Agesilaus domi aliquando arundine pro equo con scensa, unà cum pueris obequitans luderet, atq; id fortè uidisset ex amicis illius quidam, rogabat, ne cui diceret, quod uiderat, priusquàm ipse quoq; liberorum parens esset factus. Attamen liberi non tam fœdè corrumpebantur; sed maiore diligentia curabantur instituti. Et patres, qui liberos erudiendos curassent, longè honorabiliores æstimati fuerunt, quàm qui solùm genuissent, quòd hi solùm uiuendi, sed illi etiam benè beateq; uiuendi autores. Contrà, qui liberos neglexissent, consiliorum inopes, & opprobrijs digni reputabantur parentes, ijsq; filiorum peccata asscribebantur. Olim cum duo fratres inter se dissidium haberent, Lacedæmonij multam dixere patri; quòd filiorũ discordiam dissimulasset. Iuuenibus ignoscendum putarunt. Sed quicquid illi per calorẽ ætatis peccassent, parenti imputabant, cuius autoritas prouidere debuerat, ne quid inter filios oriretur simultatis.

Er. 1. apo.

Diog. li. 5.

Er. 2. apo.

Ad liberorum suorum flagicia prudentissimus Cæsar olim Augustus minimè solitus conniuere. Is nunquàm filios suos populo commendauit, ut non adijceret: si merebuntur. Eisdem prætextatis

Sue. in Cæ.

adhuc assurrectum ab uniuersis in theatro, & astantibus plausum, grauiß. questus est. Is filiã & neptes ita instituit, ut etiam lanificio assuefaceret uetaretq; loqui, aut agere quicquam, nisi palàm, & quod in diurnos commentarios referretur. Idẽ Iulias & neptem omnibus probris contaminatas relegauit, item Agrippam. Etenim aliquanto patientius mortem, quàm dedecora suorum tulit. Relegatæ filiæ usum uini, omnemquam delicatiorẽ cultum ademit, neq; adiri à quopiam libero seruoq;, nisi se consulto permisit. Post quinquennium demũ ex insula in continentem, leuioribus paulò conditionibus transtulit. Nam ut omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit. Deprecanti sæpe populo Ro. & pertinacius instanti, tales filias ac coniuges pro contione imprecatus est. Iulias filiam ac neptem atq; Agrippam, non aliter appellauit, quã tres uomicas, seu tria carcinomata sua.

Plu. in apo Lacedæmoniorum mos erat, ut adolescentes cuiusq; fortunæ fuissent, quopiam abituri, à senioribus interrogarentur, quò irent, & ad quid: obiurgabatur autem, qui uel non responderet percontanti, aut friuolas causas recitaret. Qui uerò senior non obiurgarat adolescentem, ipso præsente delinquentem, eidem pœnæ erat obnoxius, quam daturus erat, si peccasset ipse. Cæterum qui obiurgationem molestè ferebat, in magno erat probro. Me

ritò puerorum errata imputantur ijs, quorũ partes erant ea, uel arcere, uel corrigere.

Apud eosdem puer abs quopiam castigatus, si querelam ad parentes detulisset, turpe erat parentibus, si hoc audito, non iterum filiũ emendassent. Siquidem ex institutione maiorum habebant hanc de se mutuò fiduciam, ut crederent neminem esse, qui cuiusquam liberis, quos quisq; pro suis habebat quicquam imperaret inhonestum. Prima ætas quoniam nondum sentit quid turpe, quid honestũ, uerberibus eget. Solent autem pueri à præceptoribus cæsi, apud parentes queri, de crudelitate eorum, à quibus castigati sunt. Ea res quoniam minuebat aliorum seniorũ autoritatem, hanc fenestram occluserunt liberis suis, ut omniũ seniorũ, eadem esset in pueros autoritas, quæ patribus. Talia Ethnicorum instituta & puerorum disciplina: sed qualis nostro seculo (quo reliquis christianiores uideri uolumus) sit institutio puerorum, ignorat nemo. Actum fuerit de tua uita, si coràm peccantem non modò Principis, sed etiam Thrasonis, aut cerdonis cuiuspiam opulenti filium obiurgaueris. Er. 1. apo.

Consimili modo Romani liberos non corruperunt, sed optimis potius exemplis ad honesta studuerunt inflammare: apud quos diu fuit tanta uerecundia, ut antiquo more cum parentibus puberes filij, cum soceris generi non lauarentur. Cic. 1. offi.

Item uirtutis incitamenta præpolluerũt egregia. Natu enim maiores in conuiuijs ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, ut ad ea imitanda, iuuentutem alacriorem redderent. Idem fiebat in ciuitate Spartana, ubi simplicium inaffectatarum, atq; castarum orationum genera, uel de laudibus eorum, qui fortiter ac generose uitam exegissent, uel eorum uituperijs, qui nebulones nihil fortiter fecißent, celebrabantur, ut ad gloriæ studium, ac uirtutis præmia iuuenes accenderent. Itaq; tres ibi fuerunt, iuxta triplex ætatum discrimen, chori, Quibus in festis simul constitutis, senum chorus incipiens canebat:

Vale. li.2. cap.1.

Plu. in apo

Nos fuimus olim strennui iuuenculi.

Secundus, in quo erant uiri robustæ ætatis, ita respondebat.

At nos sumus, si uis, facito periculum.

Porrò tertius, qui erat puerorum, ita canebat:

Præstantiores nos futuri olim sumus.

Hæc de gentibus certa referuntur, sed ubi nostro seculo, uirtutum irritamenta? Iam plura uideas improbitatis, quàm honestatis exempla dari, & defendi magis crimina filiorum, quàm castigari. Iunius olim Brutus proprijs filijs delinquentibus non pepercit. Duos enim filios adolescentes, totidemq; uxoris suæ fratres Vitellios iuuenes, uirgis cæsos, securi percußit, quòd in perniciẽ patriæ

Liui. li.2. ab urbe.

triæ, Tarquinios Reges erant reuocaturi.

ITEM, Manlius Torquatus filium occidi iußit, quòd contra uoluntatem patris, & Consulis imperium, manus cum hoste conseruisset, ac Genutium prouocatorem hasta confodisset. Liui. li. 8. ab urbe.

ITEM. Aulus Fuluius filium ingenio, literis & forma florentem, quoniam in Catilinæ, contra patriam stantis, castra properabat, ex itinere retractum, occidit dicens: Ego te, non Catilinæ aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genui. Quæ præsenti rerum cursu odiosa quidem exempla fuerunt, sed in posterum salubria. Sed Christiani patres non tam crudelia, in filios delinquentes exempla debent ædere, sed quacunque poterunt rationis amußi dirigere, atq; ad honestatis studia perducere, imitati aliquando exemplum illius Procli Naucratitis, Qui filiũ habebat intemperantem, gallis gallinaccis, coturnicibus, catellis & equis alendis indulgentem, quẽ pater adeo non increpabat, ut unà potius cum illo iuuenaretur. Quo nomine cum ab amicis obiurgaretur: Citius, inquit, desinet, cum senibus colludens, quàm cum æqualibus. Huc illud Solomonis pertinet: Castiga filium tuum, dum spes est fore ut corrigatur. Nec commoueare, ut occidas eum. Magna enim ira detrimentum adfert, nisi coërceatur. Dimitte eum, ut & deinceps corripias. Et diuus Paulus admo-

Er. 6. apo.

Er. in pro. Manli. im.

Er. 8. apo.

Prou. 19.

net, ne patres plus æquo sint asperi atque crudeles, inquiens: Patres ne prouocetis liberos uestros, ne despondeant animum. Sed ista monitio superuacanea modò poterit uideri, cum patres malis filijs iam non sint admodum iniqui, uel inclementes. Quippe nõ modo Principes, sed etiã nos qui Scripturas profitemur, stulticiæ filiorum patrocinamur, conuitia dicentes, aut blasphemantes complectimur. Antè palatum eorum, quàm os instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerint, ex manibus utrinque sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda delitijs, risu & osculo excipimus. Nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt, nostras amicas uident. Omne conuiuium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam sciant uicia esse. Discunt tueri toruum, discunt amare ferrum, discunt infligere plagam, Vident patres egregiè potos, audiunt dicenda tacendaq; effutientes, audiunt deniq; aulas mimis, tibicinibus, psaltrijs, ac saltatricibus perstrepentes. Atqui:

Coloß. 3.

Quin. li. 1. cap. 2.

Er. de pu. li. institu.

Iu. sa. 14.

Nihil dictu fœdum, uisuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, pcul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur pueri reuerentia, si quid

Turpe

Turpe paras, nec tu pueri cõtempseris annos:
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.
Hospite uenturo cessabit nemo tuorum,
Verre pauimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela:
Hic lauet argentum, uasa aurea tergeat alter,
Vox domini fremit instantis, uirgamq; tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino,
Atria displiceant oculis uenientis amici:
Ne perfusa luto sit porticus? & tamen uno
Semodio scobis hæc emendat seruulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum, uicioq; carentem.

Proinde cum sic natura iubeat, ut uelocius & citius nos corrumpant exempla domestica magis, cũ subeant animos, autoribus, optimè dicebat Xenocrates Chalcedonensis: Pueris aures muniendas esse follibus potius, quàm Athletis. Quòd plus sit periculi, ne puerorũ aures occupentur prauis sermonibus, quàm ne Athletarum aures pateant ad ictus. Quæ omnia Ethnicorum uel honesta placita uel instituta, meritò Christianos hodie uiuentes obstupefacerent, simul ac instigarent, ad longè castiores, quòd unicum corrupti huius seculi remedium, institutiones puerorum, atque sapientes inchoatorum conseruationes pædagogiorum. Er. 7. 180

INSTITVTIO DE PIETATE IVVENUM Heroicorum erga parentes.

Ad Demonicum.



Talis fias, inquit Isocrates, erga parentes, quales desideras erga teipsum exhibere sese liberos tuos. Quæcunque enim, ut Sapiens ait Thales Milesius, stipendia parentibus intuleris, eadē ipse à filijs tuis expecta. Sanctæ profectò sententiæ, quibus non modo plebeiorum, sed etiā iusticiæ atq; pietatis assertorū principum filij admonentur, ut parentibus suis omnem honorem deferant, ac morem ubiq; gerant, in memoriam reuocantes, erga sese fidem illorum, molestias, dolores, sedulitatē, curas, solicitudines, atq; aßiduos labores Summa igitur diligentia, iuuenis Princeps, in id incūbet, ut uirtutū studijs parentes semper exhilaret, nunquā nitiorū turpitudine contristet, paria suis in posterū à liberis expectaturus. Olim quidam accusatus, quòd patrē pulsaßet, hoc modo defendit impiū facinus. Et ille, inquit, patrē suum uerberauit: & hic, ostenso filio, me uerberabit, postquā adolcuerit: Adeo hoc nobis gentilitium est. Videmus hoc ferè uulgo euenire, ut qualis quisq; fuerit in parentes, tales experiatur in se liberos. Alius quidam cum à filio pertraheretur, uentumque esset ad domus limen: Desine, inquit,

Diog. li. 1.

Er. 8. apo.

fili,

fili, nam & ego patrem hucusque: Agnouit se commeruisse, qui sic à filio tractaretur, tantum postulauit, ut esset æqua retaliatio. Proinde ut iocunditatem in filijs tuis habeas, & Domini benedictionem consequaris, fac parentibus tuis obtemperes, atq; illis opera tua placeant. Vnde Iesus Syrach: Honora, inquit, patrem tuum, ut superueniat tibi benedictio à Deo. Qui honorat patrem suum, iocundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Qui timet dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt, in opere, sermone, & omni patientia. Fili suscipe senectã patris tui, & non contristes eum in uita illius, & si defecerit sensu, ueniam da, & ne spernas eum in tua uirtute. Ne glorieris in contumelia patris tui, Nõ enim est tibi gloria, sed confusio. Et rex Solomon: Audi, inquit, patrem tuum, qui te genuit. Et ne contemnas matrem tuam. Vt calamitas patris stultus filius, ita iusti pater lætabitur, & sapientis pater gaudebit de filio. Oculum, qui patrem fastidit, & matris imperium contemnit, corui iuxta flumen effodient, & uorabunt aquilæ. Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Et ipse dominus inquit: Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur. Patri, matriq; qui maledixerit, sanguis eius sit super eum. Quapropter honora patrem tuum, & matrem, sicut

Ecclesi. 3.
Prou. 19. & 23.
Prou. 30.
Pro. 20.
Leuit. 20.
Deut. 5.

præcepit tibi Dominus tuus, ut longo uiuas tempore, & sis longæuus super terram.

Ethnici licet scripturas ignorarint, tamen plerosque, & honestate, & in parentes pietate nobilitatos, legimus ætatem exegisse beatiorem. Humilis olim in plebe, & ideo ignobilis puerpera, supplicij causa carcere inclusam matrem, quum impetrasset aditum, à ianitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alere eam. Quo miraculo salus matri donata, filiæ pietate est, ambæq; perpetuis alimentis.

Plini. 7. cap. 36.

Oro. li. 4. cap. 13.

Quum P. Scipio Consul, cum Annibale congressus esset, & apud Ticinum manus conseruisset, ipse grauiter uulneratus, ab ipsa morte liberatus, per Scipionem filium admodum prætextatum, qui pòst Aphricanus cognominatus est. Hic est ille, qui clarißimum in Principem euasit, qui una die Carthaginem in Hispanijs expugnauit. Hasdrubalem Magonemq; fratres Annibalis Hispania expulit. Hasdrubalis & Syphacis Regis castra una nocte perrupit, uictis denique Carthaginensibus leges imposuit.

Sue. in Cæ.

Contrà, sceleratißimus Nero Cæsar, matrem dicta factaque sua exquirentem acerbius, & corrigentem occidit. Adduntur his atrociora, ad uisendum interfectæ cadauer illum accurrisse, cõtrectasse mẽbra, alia uituperasse, alia laudaße. Atqui

ſceleris tanti conſcientiam, aut ſtatim, aut nunquã poſtea ferre potuit, ſæpe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, uerberibus furiarum, ac tædis ardentibus: postremò turpiſsima morte ſuccubuit. Ipſe enim ferrum iugulo ſuo adigens, defecit, extantibus regentibusq; oculis, uſq; ad horrorem formidinemq; uiſentium.

DE PIETATE IVNIORVM Principum, erga fratres, conſanguineos, & adfines.



QVum odia, ſimultates & bella ſint inter plebeios fratres & ignobiles adfines, non ſolum turpia, ſed etiam grauiore animaduerſione digna ab ipſis Ethnicis ſemper damnata, bonus omnem lapidem mouebit Princeps, ne uel ulla ſit, inter ſeſe atque ſanguine iunctos diſcordiæ ſuſpitio, cum Antiſthene Athenienſi ſentiens: Fratrũ inter ſeſe concordiam, omni muro, firmiorem eſſe. Diog. li. 6. Et fratrem (autore Solomone) qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitatem firmam. Quæ ueriſsima etiam Ethnici non ignorarunt. Quare Pomponius Atticus ea fuit in ſuos indulgentia, ut quos amare debuit, iraſci eis, nefas duxerit. Hic uerè gloriatus fuit, ſe nunquam cum matre, uel cum ſorore fuiſſe in ſimultate. Ex Plut.

Et Imperatori Theodosio inerat cura pietatis eximiæ: Colere patruum, tanquam genitorem: Fratris mortui, sororisq; liberos habere pro suis: Cognatos, adfinesq; parentis animo complecti: Elegans lætumq; conuiuium dare, nec tamen sumptuosum, miscere colloquia pro personis, studio, dignitatibus, sermone cum grauitate iucundo, blandus pater, concors maritus.

Ex Sueto. ITEM, T. Vespasianus Imperator, fratrem insidiari sibi non desinentem, & ex professo exercitus solicitantem, non occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit, sed ut à primo imperij die, consortem, successoremq; testari perseuerauit, nonnunquam secretò lachrymis, & precibus orans, ut tandem mutuo erga se animo uellet esse. Quotusquisq; iam Principum Christianorum huius Ethnici pium imitatur exemplum?

Plut. in uit. ITEM, Lycurgi Regis in fratrem pietas maxima fuit. Nam quum frater Polydectes sine prole mortuus esset, ipseq;, antequam constaret fratris uxorem prægnantem esse, regnaret, certior factus regnum declarauit pueri esse, siquidem mas foret. Principatum uerò ipse tanquam tutor gubernabat. Sed ut mulier clanculum eum accersere, uerbaq; de perdendo puero, quo illi Spartæ imperanti nuberet, facere, eius quidem ingenium Lycurgus

exosus

exoſus, ac deteſtatus eſt, ad ea uerò quæ dicebantur, contradixit nihil, quin laudare & admittere ſimulans: Non oportet, inquit, per abortiuum partum, atque medicamentum ipſa ſibi corporis detrimentum adferat, pericliteturq́;, ſibi enim curæ fore, ut continuò, quod naſceretur, è medio tollatur. Hoc itaq; pacto, ad tempus uſque pariundi deducens mulierem, ubi illam parientem ſenſit, miſit qui parturienti aßiderent, eamq́; aßeruarent. His autem imperat, ſi fœmina naſceretur, eam mulieribus traderent: ſi mas, eum ad ſe deferrent. Accidit autem, ut mulier, ipſo cum Principibus cœnante, marem pareret. At miniſtri aderant, qui ad eum infantem deportarunt, Quem ille ſuſcipiens traditur dixiſſe: Rex natus eſt nobis ò Spartiatæ, ac deinde, cum regio in ſolio reclinauiſſet, Charilaum nominauiſſe, quoniam, qui aderant, hilares omnes eſſent, admirantes illi quidem, tum eius animi magnitudinem, tum iuſtitiam. In hoc iam ſpeculo ſe contemplentur Chriſtiani Principes, qui crudeles cũ Amulio fratribus imperia præripere, & ut principatibus ſpolient, eos captos, euirare, emaſculare, eunuchare, caſtrare, aut in carceres perpetuos impingere, non uerecundantur. Quare quid barbarius, uel magis Turcicum eſſe poterit, non uideo.

ITEM, Zethus & Amphion Reges Thebarum, fratres, propter ſtudiorum diuerſitatem, ad diſcor-

discordiam prolapsi fuerunt: Alter enim Musices, alter tenebatur uenationis amore. Amphion igitur ne fratrē abalienaret, Musica relicta, se quoq; contulit ad uenationē. Sic causa concordiæ Princeps Non sua laudabit studia, aut fraterna reprehēdet,

Hor.1.epi. 18.

Nec quum uenari uolet ille, poëmata panget.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi dißiluit, donec suspecta seucro
Conticuit lyra, fraternis ceßisse putatur
Moribus Amphion.

Plu. in ap.

ITEM, Inter Xerxen Darij filium, & Arimenem fratrem de regno erat contentio. Itaque quum Xerxes intellexisset fratrem ex Bactrianorū regione descendere, misit illi munera, & ijs, quibus ea mandarat perferenda, iußit, ut ipsius uerbis illi dicerent: His in præsentia te honorat frater tuus Xerxes, quòd si rex fuerit declaratus, eris apud eum omnium primus. Hac humanitate delinitus Arimenes, contentionem remisit, ac fratri regnum adepto, protinus adorationis honorem exhibuit, eiq; diadema imposuit. Xerxes autem illi proximum abs se locum dedit. Ita Principes amicorum irritatorum animos, humanitate magis, quàm rigida seueritate poterunt sibi reconciliare: Contentio enim melius soluitur blandis uerbis, ac benignitate quàm morum asperitate.

Gen.32.33.

ITEM, Iacob audiens iratum fratrem Esau

eum quadringentis uiris uenturum, munera, quibus fratrem placaret, præmisit. Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius. Currens itaq; Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringensq; collum eius, & exosculans, fleuit. Quorum pietatis exempla Christianus Princeps, sibi meritò proposuerit imitanda, reuoluens diligenter, quàm gloriosum, quàm bonum ac iucundum ac res insuperabilis sit, habitare fratres in unum. Vnde Scilurus Scytha octoginta liberos masculos habens, cum esset moriturus, fasciculum iaculorum singulis porrexit, iußitq; rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quòd uideretur impoßibile, ipse singula iacula exemit, atq; ita facilè confregit omnia, filios admonens his uerbis: Si concordes eritis, ualidi inuictiq; manebitis: contrà, si dißidijs distrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles. Psal. 132. Eras. 5. apo.

Hinc & illa grauis Macedonum Regis Philippi ad filios inter sese pugnantes oratio: Quoties, inquit, ego audientibus uobis detestatus exempla fraternarum discordiarum, horrendos euentus eorum retuli? quibus stirpem suam, domos, regna funditus euertissent? Meliora quoq; exempla parte altera posui, sociabilem consortionem, inter binos Lacedæmoniorũ reges salutarem per multa secula ipsis patriæq;, eandem ciuitatem, posteaquam mos Liu. li. 10. bell. Mac.

sibi

sibi cuiq; rapiendi tyrannidem exortus sit, emersam. Iam hos Eumenem, Attalumq; fratres à quàm exiguis rebus, propè ut puderet regij nominis, mihi, Antiocho, & cuilibet Regum huius ætatis, nullare magis, quàm fraterna unanimitate regnum æquaße.

DE IVNIORVM PRINcipum erga præceptores suos, atque uiros eruditos amore.



Erspicuum est, hominem è corpore, animoq; constare, et primas animi partes, secundas corporis esse. Cum aūt Præceptores sint animorum parentes, non aliter eos, atque parentes ipsos honorabit Princeps. Certè cum præceptores fidi, discipulos non inferiore, quàm liberos parentes studio complectantur, ac sumant ante omnia parentum animos. Quintilianus non immeritò discipulos monet, ut præceptores suos nō minus, quàm ipsa studia ament, credantq; parentes non corporum, sed animorum eße. Et Aristoteles inquit: Magistris, dijs, ac parentibus nō potest reddi æquiualens. Hinc illud Satyrici:

Cic. 1. Tus. quæst.

Quin. li. 2 ca. 2. et 10.

Ethic. 9.

Iuue. sa. 7.

Dij maiorū umbris, tenuē ac sine pōdere terrā,
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum uer;
Qui præceptores sancti uoluere parentis
Eße loco.

Hinc

Hinc M. Antoninus Philosophus Imperator Proculum Siccensem, & Frontonem Corneliũ praeceptores suos summis affecit honoribus. Illũ enim usque ad proconsulatum prouexit: huic statuam, parem'Dijs honorem, in Senatu petijt. Iuli. Cap.

ITEM, Rex Alexander praeceptorem suum Aristotelem, cui puer formandus fuerat traditus, summa ueneratione prosequebatur, dicens, se illi nõ minus, quàm patri debere, quòd à patre uiuendi, à praeceptore bene uiuendi initium accepisset. Plut. in uit.

Idem cum ad Lampsacenae urbis excidium summo ferretur studio, progreßumq; extra moenia Anaximenem praeceptorem suum uidisset, quia manifestum erat futurum, ut preces suas irae eius opponeret, non facturum se, quod petißet, iurauit. Tunc Anaximenes: Peto, inquit, ut Lampsacum diruas. Haec Praeceptoris sagacitas oppidum nobile, destinatum exitio subtraxit. Val. lib. 7. cap. 3.

Moris antiqui fuit, eos qui uel singulorum laudes, uel urbium scripserant, aut honoribus, aut pecunijs ornare: nostris uerò temporibus, ut alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exoleuit. Olim Augustus fouit Virgilium. Charus Archias Mario atque Lucullis. Horatium Mecoenas enutriuit. Tibullum Messala dilexit. Papinium Domitianus aureo palladio coronauit. Ausonium Gratianus consulatu decorauit. Pli. iu. li. 3. epist. ult.

Cura Ducum fuerant olim, Regumq; Poëtæ,
Præmiaq; antiqui magna tulere chori,
Sanctaq; maiestas, & erat uenerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.

P. & L. Scipiones clarissimi Imperatores Q. Ennium tanto sunt honore prosecuti, ut in suorum monumentis ei statuam Romæ extra portam Capenam, erigi curauerint. Tum honos artes aluit, tum Principes eruditis uiris Hermiones (ut aiunt) uice fuerunt. Et iam nostro seculo sint Mecœnates, non deerunt porrò Marones. Sed alicubi magis in parasitos ac palpones munera uideas profundi, quàm in doctos beneficia conferri.

Diog. li. 4 Alexander magnam pecuniæ summã misit Xenocrati Chalcedonio. Hic sublatis solum tribus minis Atticis, reliquum remisit, dicens: Illi opus esse pluribus, qui plures enutriret. Sed iam rarò tanta præmia mittuntur, ut eorum pars cum laude queat remitti.

Er. 4. ap. IDEM Anaxarcho philosopho iusserat dare, quantumcunq; ille postularet, quumq; Quæstor audita postulatione turbatus Alexandro indicasset, Philosophum petere centum talenta: Rectè, inquit, facit, sciens se amicum habere, qui tantum dare & possit, & uelit. Hic dubites, utrum potius admirari oporteat, regiam ne liberalitatem in donando, an Philosophi improbitatem in postulando.

IDEM

IDEM homines etiam mediocris eruditionis non reiecit. Nam cum Cherylo poëta (cuius, ut ait Porphyrio, tantũ septem inuenta sunt insignia carmina) pactus erat, ut pro unoquoq; bono uersu Philippicum acciperet aureum, pro malo colaphum:

Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Cherylus, incultis qui uersibus, & malè natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos. Ho.2.ep.1

ITEM, Pompeius ille magnus, in bonarum literarum professores liberalis fuit. Nam cum Rhodi adeßet, professores omnes audire curauit, & praeceptori cuiq; talentum dedit. Eadem Athenis circa Philosophos egit. Id si modò Principum aliquis faceret, dedecus uulgò putaretur, & ab aulicis suis rideretur. Plu. in uita Pompeij.

Similiter Augustus Cæsar in precio doctos habuit, cui descendenti de palatio, solebat honorificum aliquod epigramma porrigere Græculus. Id quum frustra sæpe fecisset, rursumque eum id facturum uidisset Augustus, breue manu sua in charta exarauit Græcum epigramma, pergenti deinde ad se obuiã misit: Ille legendo laudare, mirari tam uoce, tam uultu: quumque acceßisset ad sellam, demissa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit, quos Principi daret. Adiectus hic sermo: Μὴ κατὰ τὴν τύχην σέβασε, εἰ πλέον εἶχον. Mac. Sat. lib.2.ca.4

πλέον ἐδίδουν: Non secundum fortunam tuam Auguste, si plus haberem, plus darem. Secuto omnium risu, dispensatorem Cæsar uocauit, & sestertia centum millia Græculo numerari iußit. Ergo si Principes Ethnici, diuina munera literas, & earum cultores, & laudibus, & præmijs exornare non dubitarunt, multo magis id facere Christiani debent Principes, cum uideant, nullam sine bonis literis Remp. feliciter administrari, uel consistere posse.

DE PRINCIPVM ERGA subditos & patriam amore.

Erasm. in prin. instit.



Ristoteles prodidit seruum, uiuã esse domini portionem, si modò is uerus sit dominus. Est autem amicitia parti cum toto, & utilitas utriq; ex altero. Quòd si uerum id est inter herum & mancipium, de lapide (ut aiunt) emptum, quanto magis inter plebem Christianam, & Principem Christianum? qui magis clemẽter, non secus ac bonus Paterfamiliâs (ut dixi) suam familiam, subditos regere, quàm inhumaniter, aut Sicula immanius aula tractare debet, intelligẽs nullum animal arte maiore tractandum, quàm hominem, nulli magis parcendum. Quid enim stultius quàm in iumentis quidem & canibus erubescere,

Sen. de cle.

iram

iram exercere, peßimam conditionem ſub homine eſſe. Vt igitur bonorum eſt medicorum, adhibere pharmaca, patienter ægrotos ferre, non crudeliter raptare, non ſpoliare, non occidere: ita bonorum, quibus tradita populi totius cura, Principum eſt, clementer cum ſuis agere, non ſæuire, non expilare, non rapere. Quippe Regis propria laus eſt clementia, cumq; plurimum poßit, nulli tamen uelle nocere, ac ſolum aculeo carere, ſeq; totum in populi ſui commoditates impendere, adeò, ut Niloxenus ille ſapiens rogatus, quid eſſet utilißimum, reſponderit: Rex, Id eſſe proprium ueri Principis, indicans, ut quantum in ipſo ſit, nemini noceat, proſit omnibus, ſitq; magis optimus, quàm maximus. Eſt autem ſumma bonitas in rege, abſtinentia à pecunijs, & poſſeßionibus ſubditorum. Ariſtot. de princi. reg.

Eleganter prodidit Xenophon, cætera animalia duabus rebus potißimum adduci ad obtemperandum, cibo, ſi quod fuerit abiectius: aut delinimento, ſi generoſius, uelut equus: & plagis, ſi contumacius, uelut aſinus. At hominem, quum ſit animal generoſißimum, non tam minis ac ſupplicijs cogi, quàm beneuolentia, & præmijs ad officium inuitari oportere. In Oecono.

Bonus igitur Princeps ubique pauperum ſubditorum reſpectum habebit, non truculenter eos uexabit, aut moleſtijs afficiet: ſed libenter ſuis reddi-

tibus, atque prouentibus annuis contentus, illorum magis utilitatem, quàm proprium commodum quæret. Domitianus Imperator olim nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo bona ciuium, uiuorum ac mortuorum usquequaque, quolibet & accusatore, & crimine corripiebantur. Satis erat obiici qualecunque factum, dictumque aduersus maiestatem Principis, confiscabantur alienißimæ hæreditates, uel existente uno, qui diceret, se audisse ex defuncto, quum uiueret: hæredem sibi Cæsarem esse. At quis modò tam barbarus, aut Busiride quouis immanior, putauerit honestum, illius nebulonis exemplum imitari? illius inquam, quem morte fœda consumptum, contumeliosißimo & acerbißimo acclamationum genere lacerandum, cuius imagines, ac titulos eradendos, cuius denique memoriam abolendam, Senatus Populusq; Romanus existimarit. Atqui, si neceßitas aliquando flagitauerit, subditos asperis innouationibus molestari, uel exactionibus diuexari, tum boni Principis erit, uices pauperum dolere, afflictis omni arte succurrere, & breuiter: omnia summo cum iudicio facere, nihil temere, uel tyrannicè. Quemadmodum fidus ac doctus medicus non adhibet sectionem aut ustionem, si malagmate, aut potione tolli malum poßit, nec unquam ad illa descendit, nisi morbo coactus: ita Princeps omnia tentabit reme-

dia.

Sueton. in Cæsarib.

Ex Erasm.

dia, priusquam ad summam pauperum perniciem ueniat atq; calamitates. Atqui sunt, qui subditos omnes non curant, nec faciunt unius aßis, sed eos solum in precio habent, quorum opera in popinis, in uenatu, in domesticis utuntur ministerijs, cũ sæpenumero nulli minus sint usui. Verum Princeps uniuersos ciues, ex æquo suos ducens, amore prosequetur. Quorum si quis omnino delectus sit, eum sibi proximum & coniunctißimum habebit, qui uir sit optimus, qui patriæ, qui Reip. amantißimus. Atqui tyrannidem sapit, & sycophanticũ est, ita tractare plebem, ut immanem aliquam beluam solent bestiarij. Et qui suos eatenus curant, quatenus expedit proprijs commoditatibus, ij nõ alio ciues suos loco habent, quàm quo uulgus hominũ equos & asinos. Porrò cum propria quidem bonorum Principum laus sit, benignitas ac beneficentia, qua tandem fronte Principis uocabulum sibi uendicant, quibus omnium consiliorum summa huc tendit, ut cunctorum incommodo, suis consulant rationibus. In hoc igitur erit ingeniosus ac uigilans Princeps, quo pacto poßit de omnibus bene mereri, ciuiumq; omniũ, quod tutißimum munimentum est, fauorem sibi conciliare. Quæ res non est tantum in dando sita: Alios iuuabit liberalitate, alios gratia & fauore prosequetur, nonnullos autoritate subleuabit alijs ingenio proderit, alios consilijs promouebit.

Et breuiter, hoc erit animo, ut eum diem sibi perijsse putet, quo non beneficio suo, subditorũ aliquem adiuuerit, & infeliciter exactum, quo pauperibus oneri fuerit, ut cum diuo Iob dicere reformidet: Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent: Si fructus eius comedi absq; pecunia, et animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Notabit Princeps illud Sancti Hieronymi dictum: Alij ædificent ecclesias, uestiant parietes, columnarum moles aduehant, earumq; deaurent capita, precioso ornatu & gemmis deaurata, distinguant altaria: Sed tibi sit aliud propositum, scilicet: Christum uestire in pauperibus, pascere in esurientibus. Hoc Christiani Principis officium, pauperes fouere, protegere, atque diligere, non perdere. Sed hic Princeps sibi non palpetur, dicens: Hæc ad Episcopos pertinent, non ad me: Imò ad te, si modò Christianus es. Si Christianus non es, nihil ad te pertinent. Ad honesti regulam temetipsum exige, hinc te æstima, securus, quicquid uulgus Principum factitet. Si nemo fuerit, quem uincas, ipse certato tecum, quandoquidem istud est certamen omnium pulcherrimum, & uerè inuicto Principe dignum, si quoties nitatur seipso melior euadere. Melior autem euadet, qui beluina omni barbarie abiecta, charitatem, ac pietatem

Iob 31.

Hie. ep. 88.

Ex Erasm.

pietatem in ſubditos ſuos indies exercuerit, qui plebem ſuam amore (quem principem, ad beneuolentiam coniungendam Cicero uocat) aßiduo proſecutus fuerit, qui deniq; , ſi res poposcerit, pro ſubditorum ac patriæ ſalute grauißima pericula adire, imò mortem oppetere non dubitarit. Nullum eſt enim tantum periculum, quod ſapiens, pro ſalute patriæ uitandum arbitrabitur, ſed omnia Reipub. cauſſa ſuſcipienda putabit. Sæpe ipſe ſecum loquetur: Non mihi ſoli, ſed etiam atq; adeo multò potius natus ſum patriæ. Vita quæ fato debetur, ſaluti patriæ potißimum perſoluenda: Aluit hæc me: Tutè atq; honeſtè perduxit uſque ad hanc ætatem. Muniuit meas rationes bonis legibus, optimus moribus, honeſtißimis diſciplinis. Quid eſt quòd à me ei perſolui poßit ſatis, unde hæc accepta ſunt? Vnde Thraſybulus, cum moliretur exigua manu ciuitatem Athenienſium à triginta tyrannorum dominatu liberare, cuidam è conſcijs dicenti: Quantas gratias tibi debebunt Athenæ, per te libertatem conſecutæ: Dij faxint, inquit ut quantas ipſe illis debeo, uidear retuliſſe. Significans neminem parem patriæ referre gratiam, etiam ſi uitam impendat, poſſe.

Cic. de ami

Ci. ad Her

Er. 6. apo.

Otho Saluius cum uideret aut deponendum imperium, aut magna ciuium ſtrage tuendum, ſtatuerat ſponte mori, & amicis, & militibus hortan-

tibus, ne tam citò de belli euentu desperaret, negauit sibi suam uitam esse tanti, ut hac de caussa bellum ciuile nasceretur. Sic ne in discrimen ciues adducerentur, obijt morte uoluntaria, tricesimo & octauo ætatis anno, nonagesimo & quinto imperij die. Quis non miretur hunc animum in Principe Ethnico?

Liui. lib. 8. ab urbe.

Sic Publius Decius pater, Consul bello Latino, collega Manlio Torquato, positis apud Veserim amnium castris, cum utrique Consuli somnio obuenisset, eos uictores futuros, quorum dux in prælio cecidisset, cum collato cum collega somnio conuenisset, ut cuius cornu in acie laboraret, dijs se Manibus uoueret, inclinante sua parte, se & hostes per Valerium Pontificem dijs Manibus deuouit, ac protinus concitato equo, in medium hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem petens, irrupit, factaq; ingenti strage, plurimis telis obrutus, supercorruit, ex cuius uulneribus & sanguine uictoria emersit.

Liui, li. 10.

Patris exemplum imitatus P. Decius in bello Samnitico, ubi inclinante cornu, aduocato M. Liuio Pontifice, hastæ insistens, & solemnia uerba respondens, se & hostes dijs Manibus deuouit, impetu in hostes facto, uictoriam suis, morte sua reliquit.

Item patriæ caussa uitam impẽdit M. Curtius.

Cum

Cum enim in mediam partem fori, uasto ac repentino hiatu terra subsideret, responsumq; esset, ea re illum tantum modo compleri posse, qua Populus Ro. plurimum ualeret. Curtius & animi & generis nobilissimus adolescens, interpretatus urbem Romanam uirtute, armisq; præcipuè excellere, militaribus insignibus ornatus, equum conscendit, eumq; uehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit, continuò terra pristinum habitum recuperauit. Val. li. 5. cap. 6.

Sic claræ mortes pro patria oppetitæ, non solum gloriosæ, sed etiam beatæ uideri olim solitæ. Repetunt autores ab Erichteo, cuius etiam filiæ cupidè mortem expetiuerunt pro uita ciuium, Codrum qui se in medios immisit hostes, famulari ueste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio, quòd oraculum erat datum, si Rex interfectus esset, uictrices Athenas fore. Menecheus uerò non prætermittitur, qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem. Iphigenia Aulidæ duci se immolandam iubet, ut hostium sanguis eliciatur suo. Cic. 1. Tus. quæst.

Quapropter cum beneuolentia sit amicitiæ fons à natura constitutus, & custos eadem fidelis ad imperiorum perpetuitatem existat, non inuitè bonus Princeps, beneuolentiam in subditos suos magis, quàm tyrannidē exercere studebit, ac res Ci. in. Læ. & 2. offi.

ſuas omnes conferre, ſolius in utilitatem patriæ, pro qua etiam mori glorioſißimum Ethnici duxerint.

QVOMODO PRINCEPS à ſubditis ſuis beneuolentiam contrahere poſſit,



Eneuolentiam à ſuis colliget Princeps, ſi non plus ſatis ad rem attentus, magis Reip. commodis, quàm priuato luxui ſtuduerit. Si non faſtuoſus (ut dicitur) Maximus, ſibi plus æquo ſemper arrogarit. Si non præter modũ (in ferro quod aiunt) Celinis uiribus ſuis confiſus, aut opulentia rerum ſuffultus, ferociuerit, ſed munificentiam, comitatem, patriæ charitatem, omnibusq́; commodandi facilitatem aßiduò præ ſe tulerit, Et breuiter, ſi, non uulgari ſubditos omnes amore complexus fuerit, ac uicißim ab illis, ſe magis redamari, quàm timeri contenderit. Quòd ſi redamant delphines amantem, ut fera belua iuuenis amabilis deſiderio tabuiſſe, exanimataq́; legatur, quanto magis homines, amantem Principem, ac dominum clementem atque pium, non ſolum amore mutuo, ſed omnibus etiam officiorum generibus proſequentur. At in Principum inueniuntur numero, qui cupiunt à ſuis amari, ſed non amat uicißim

Gell. lib. 7. cap. 8.

Er. in pan. ad Phi. re.

uicißim ipſe, quo nihil ſtultius eſt. Cæterum tu, ſi uis amari, ama. Sed quæ hæc uoluptas, metui magis quàm amari uelle? An illud Laberij notißimum non audiſti? Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. Hoc ille dixerat in Iulium Cæſarem, quanto id in alios illo & minores, ſed formidabiliores rectius dici poteſt. Neſcio quidem cur tam multi cupiunt timeri potius, quàm amari. Nemo gratis metuitur, unà & metuit: & periculoſius eſt uni multos metuere, quàm multis unum. Nonne ſatius multò eſt, quòd nullus te metuat, & tu nullũ, quàm quòd te multi metuant, & tu multos? Segregari enim iſta nequeunt, ſemperq́; metus metu quæritur. Poſcis huius dicti cauſſam? Illa profectò eſt, quam Ouidius Naſo ait: Quia quem metuit quiſq;, perire cupit. Illud dictũ eſt ab Ennio: Quem metuunt, inquit, oderunt. Quem quiſq; odit, perijſſe cupit. Vt igitur metus periculoſus, ſic ecõtrà Principis erga ſubditos amor ſalutare propugnaculũ: & ut ille fugiendus, ita modis omnibus hic captandus. Ad Iuſt. Cæ

DE SVBDITORVM OFFICIJS, atq; in dominos amore.

QVemadmodum charitatem in ſubditos exercere Domini debent, & eadem uia ſibi ciues ſuos adiungere, qua Deus ſibi conciliat uniuerſos,

ſcientes,

scientes, quòd & ipsorum Dominus in cœlis sit,
Ephe.6. qui personas non respiciat. Ita minimi atque subditi, obedire debent ijs, qui Domini sunt iuxta carnem, cum timore ac tremore, cum simplicitate cordis sui, tanquam Christo, non ad oculum seruientes, aut obsequijs ad oculum exhibitis, uelut hominibus placere studentes: sed tanquam serui Christi,
Colloss.3. facientes quæ uult Deus, ex animo cum beneuolentia, seruientes Domino, & non hominibus: illud scientes, quòd unusquisque, quod fecerit boni,
Dialo.li:1. dial.94. hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber. Insyncera igitur studia procul absint, ac fucatus amor, ne uerum sit, quod Petrarcha dixit: Serenum hybernum, aura æstiua, quies maris, Lunæ status, amor populi, paria hæc si conferantur, mobilitatis ultimo palmam do. Absit item perfidia, & iniqua de mutandis Dominis consilia, ne quod olim Aesopico asino contigit, eueniat, qui seruiens olitori cuidã, cum multum comederet, & parum laboraret, Iouem exorauit, ut alium dominum sibi mutaret. Itaque Iupiter mandat, ut figulo ueneat. Apud quem asinus cùm laboraret, in deportando lutum, lateres, tegulas, & huiusmodi, secundo Iouem precatur, ut alio deseruiat domino. Iupiter iterum mandat, ut Coriario uenundetur. Cui asinus multo cum labore, & pauco cibo seruiens: Heu me miserum cum gemitu, ait, qui domi-

nes omittens meliores, ad deteriorem perueni, apud quem, ut uideo, corium etiam meum post mortem cruciabitur.

DE PRINCIPVM ERga fideles ministros, & amicos amore.



Væ prouerbiales sententiæ: Nusquam tuta fides, Et Nemini fidas, nisi cum quo modium salis absumpseris, documẽto possunt esse, quid spei Princeps, in amicitiæ suæ uulgares adfectatores, quos palpones appellare poterimus, collocare debeat: contrà, quantum eos diligere, quos longo rerum usu probatos cognouerit, ac fideles intellexerit. Certè quemadmodum illos fauore tenui prosequetur, sic hos quàm plena manu promouens, consilijs atq; rebus iuuabit, & ut Bias Prienæus inquit, horum uitam, suam putabit gloriam. Diog. li. 1. Huc illa, quæ sacris in literis memoriæ prodita legimus referuntur: Ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit similis illi. Vinum nouum amicus nouus: Veterescat, & cum suauitate bibas illud. ITEM: Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti Eccle. 9.

contra

contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum uitæ, & immortalitas, & qui metuunt Deum, inuenient illum. Qui timet Deum æquè habebit amiciciam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius. ITEM: Seruus sensatus sit tibi

Prou.27. dilectus, quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. ITEM: A-

Eccles.7. micum tuum, & amicum patris tui ne deseras. Has & similes scripturæ sententias licet Ethnici non legerint, nec fortaßis audierint, tamen si dos ministros atque amicos, & beneficijs & honoribus afficiendos esse, non solum crediderunt, sed rebus ipsis comprobarunt.

Darius Xerxis Regis pater, cum aperuisset

Plu. in apo prægrande malum punicum, & quidem ab eo sciscitaretur, cuius rei tantum numerum habere optaret, quantus illic esset granorum? respondit: Zopyrorũ. Is erat uir bonus, ac Dario fidus amicus, Significans Regi nihil prius, aut charius esse debere, probis ac fidis amicis, qualis Zopyrus, Qui

Er.5.apo. sibi nares & aures aliquando præcidit, itaq; dißimulans quis esset, ad Babilonios trãsfugit, fingẽs se à Dario crudelißimè tractatũ. Babylonij persuasi cõmiserunt illi præfecturam. Ille nactus occasionẽ, Dario ciuitatem tradidit. Postea Darius sæpenumero dicere solebat: Se malle unum Zopyrũ integrum, quàm centum Babylonas capere.

ITEM: Arcesilaus Rex, Apellem Chium, cum

ægro-

ægrotantem,& egentem cognouiſſet, reuiſit, & pecuniam adferens,& aßidens proximo. Hic,inquit,nihil eſt,præter Empedoclis elementa, uidelicet hæc: Ignemq; & aquam,terramq; & ſpæras ætheris alti. Ac ne cubas quidem ſatis commodè,ſimulq; mouens illius ceruical, clanculum pecuniam ſubiecit. Quam ſimul atq; reperiſſet anicula, quæ inſeruiebat ægrotanti, & admirans quid eſſet,Apelli retuliſſet,ridens ille: Arceſilai, inquit, hoc furtum eſt. Plu. de diſ. adul. et ami.

ITEM: Alexander Macedonum Rex quodam tempore Darij mulieres inuiſit,unà cum Hephæſtione. Hunc cũ eſſet eodem ornatu, quo Rex corpore etiam maior, Syngambris Darij mater pro Rege adorauit. Eadem cum ex nutibus aſtantium cognouiſſet errorem ſuum, perturbata denuo ſalutauit Alexandrum. Tum Alexander: Nihil eſt,ò mater,quòd turberis. Nam & hic Alexander eſt. Sentiens ut amicus (iuxta prouerbium) alter ipſe eſt,ita Hephæſtionem alterum Alexandrum eſſe. Er. 4. apo.

IDEM, Excellentißimis opibus Darij contuſis, æſtu & itineris feruore in Cilicia percalefactus, Cydno, qui aquæ liquore conſpicuus Tharſum interfluit,corpus ſuum immerſit, ſubitò deinde ex nimio hauſtu,rigore obſtupefactis neruis,ac torpore hebetatis artubus, maxima cum exanima Vale. li. 3. cap. ult.

tione totius exercitus, in oppidum castris propinquum defertur, Iacebat æger Tarsi, mq; ualetudine eius aduersa, instantis uictoriæ spes fluctuabat. Itaque conuocati medici, attentißimo consilio salutis remedia circumspiciebant. Qui cum ad unã potionem sententiam direxissent, atq; eam Philippus medicus suis manibus temperatam Alexãdro, erat autem ipsius comes & amicus, porexisset, à Parmenione missæ literæ superuenerunt, admonentes, ut Rex insidias Philippi, perinde ac pecunia corrupti à Dario, caueret. Quas cum legisset, sine ulla cunctatione medicamentũ hausit, ac tunc legendas Philippo tradidit, plus amico fido, quàm literis proditorijs credens. Quare cum ministros fidos, & amicos, ut maximo usui, & ormamento existentes agnouerint, atque beneficijs affecerint Ethnici, iure bono Princeps Christianus omnes fortunas suis audebit concredere, fidis illorum ministerijs, atque uigilantia tutißimus futurus. Sic in exercitu, quum Philippus Macedonum Rex, multo tempore dormiuisset, experrectus: Tutò, inquit, dormiui, uigilauit enim Antipater. Subindicans non esse regium indulgere somno, præsertim in bello, sed tamen hoc interdum absque periculo fieri, si Rex habeat fidum ac uigilantem præfectum.

Er. 4. ap.

DE

DE PRINCIPVM ERga uicinos amore.



MElior est, inquit Salomon, uicinus propinquus, quã frater longinquus. Prou. 18.
Etenim ut prouerbio dicitur: Non sunt amici, amici qui degũt procul. ut rectè Chremes Terentianus in propinqua amicitiæ parte ponit Vicinitatem. Et Plu. in ap.
non abs re Themistocles, cum prædium uenderet, iusserit præconem hoc addere: ὅτι καὶ ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας, id est, quòd uicinos etiam haberet bonos, quòd uicinorum commendatione futurum esset longè uendibilius. Atrox enim pestis est uicinus malus, contrà bonus maxima cõmoditas. Nec Hesio. li. 1.
tantum inter priuatos uicinos hæ sententiæ locum Agricultu.
habent, uerum etiam experimentis obseruatũ est, populos à uicinis subuersos. Quemadmodum Aetolis, & Acarnanibus euenit, qui se mutuis cladibus euerterunt, inter sese finitimi. Er. in. pro.
ITEM Carthaginiensibus & Byontinis, quarum Historiarum meminerunt Hesiodi interpretes. Proinde bonus ac sapiens Princeps operam dabit, ut cum omnibus pacem habeat, sed præcipue tamen cum finitimis atq; uicinis. Hos consultißimum fuerit omni fauoris, & officiorum genere prosequi, cũ Er. in. pri.
his nunquam bello dißidere, sed arctioribus amicitiæ uinculis alligari, cum plurimum nocere que- institu.

aut infensi, amici prodesse, & sine quorum mutuo commertio, ne durare quidem posit Resp. Et facile coit, & cohæret amicicia inter eos, quos lingua communis, regionum propinquitas, ingeniorum ac morum similitudo conciliat.

QVIBVSNAM OFFICIA, & munera publica tutò possint & utiliter committi.



Vòd si nemo rerum nauticarũ imperitis clauum, quòd quatuor uectorum, aut paucarum mertiũ sit periculum, soleat cõmittere, quanto magis Princeps, eum qui morũ integritate, atq; rerum peritia præfulgeat, deligere debet, cui Rempub. regendam committat, cui denique tot hominum capita credat. Inprimis igitur opera danda, ut magistratus creentur, non qui fœneratores, percußores, raptores, quos Homerus appellat δημοβόρους, populi deuoratores sint: sed qui morum integritate, atque rerum (ut dixi) peritia præcellant. Hinc sapiens illud Isocratis dictum: Nemine utare malo uiro, ad obeunda ministeria. Quæ enim ille deliquerit, eorum in te culpa transferetur. Idem: Negocijs quæ per te non geruntur, uiros eiusmodi præfice, tanquam omnium, quæ illi commiserint, culpa tibi sit imputanda

Iso. ad Dæmonic. & Nicocl. re.

imputanda. Certè non modò Princeps in se ipso sanctimoniam exhibebit, uerum eandem etiam in officialibus suis requiret, haud quaquam ignoraturus, sibi non tantum ab omni uiciorum contagione abstinendũ, sed alienam quoq; culpam præstandam esse. Nihil omnino putabit interesse, utrum dicatur: Princeps isthuc fecit, an, Principis munus gerens. Etenim iuxtà turpe, quid agat is, cui uicem tuam delegaris, uel nescire, uel negligere. Vnde rectè monet Agapetus, inquiens: Cum à Deo tibi concreditum sit regnum, caue ne aliquo utaris ex prauis, ad rerum administrationes. Quæ enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddet Deo is, qui peccandi facultatem ipsis indulserit. Magna igitur, & diligenti cum perscrutatione, magistratuum promotiones fiant. Porrò cum præcipua Reipub. felicitas in hoc sita sit, ut purè creentur magistratus, & purè mandentur officia, duæ potißimum res Principi non incommodæ fuerint obseruatu. Er. in pan. ad Philip.

PRIMO, Ante omnia Principi curandum, ut ijs magistratus mandet, eosq; asciscat, non qui plurimo emant, non qui improbißimè ambiant, non qui cognatione coniunctiores, non qui ad illius mores, aut adfectus cupiditatesq; maximè sint accommodi, sed qui moribus sint integerrimis, & ad functionem mandati muneris aptißimi. Cæterum ubi Er. in princip. instit.

Princeps unum hoc agi permittit, ut quàm plurimo uendantur officia, quid tandem ab emptoribus officiarijs expectet, nisi ut itidem reuendant, & quomodocunque damnum suum sarciant, & cauponentur in administrando, quemadmodum negociatione sunt consecuti. Vnde rectè Plutarchus: Non tanquam ad nundinas, inquit, & lucella eundum est ijs, qui sibi gubernacula Reip. committi uolunt. Quemadmodum Stratoclem illum, & Dromoclidem accepimus solitos esse, sese mutuò ad messem auream inuitare. Sic enim ioco tribunal, & munerum publicorum administrationes appellare consueuerunt. Et prudenter Aristoteles admonuit, Super omnia cauendum esse, ne ex magistratibus lucra proueniant ijs, qui eas gerunt, alioqui geminum incommodum hinc sequi. Nam primum hac ratione fieri, ut auarißimus quisque, & corruptißimus ambiat, imò occupet, & inuadat magistratum, & populus duplici discrucietur molestia, tum quòd ab honoribus excluditur, tum quòd lucro priuatur. Quorum immemor Vespasianus pater Cæsarum auarißimus, qui sui simillimos, hoc est, rapacißimos quosque solebat promouere, sed mox ditatos condemnare. Vnde dictus est Officiarios suos habere pro spongijs, quòd ueluti spongias, & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. Atqui Princeps Christianus

Plu. in pol.

Ari. pol. 5

Er. 6. apo.

ſtianus inexplebile Cæſaris iſtius Ethnici ſtudium habendi, & exemplum turpiſimum minus imitabitur, illud perpendens: Quòd auaricia ſit radix omnium malorum, quæ ad quoduis maleficium perducit hominem. Ad Tim. 6 Quæ cui dominatur, eum ſubiectum omnibus malis demonſtrat. Ci. 2. Rhet. Quia de auaricia mala omnia oriuntur, & peccatorum ſpinæ producuntur. August. de libe. arbi. Caput igitur ſit in omni procuratione negocij, & muneris publici, ut auariciæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Cic. 2. offi. Quippe habere quæſtui Rempub. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo ædidit, Spartam nulla alia re, niſi auaricia perituram, id uidetur non ſolum Lacedemonijs, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. Iam non parua nonnullis in locis calamitas exauditur publica. Et quidam per ſe boni Principes, in magnum odium publicum ueniunt, quòd nimium licere patiuntur ijs, quos auaros officijs publicis præfecerunt, uel in eos fauore, uel amore nimis inauſpicato præſtricti. Val. lib. 2. cap. 1. Olim apud antiquos Ethnicos, qui curiæ limen intrabant, abiecta priuata charitate, publicam induebant. Olim Neruæ Coccei bonitas & ſtudiũ in Remp. maximè apparuit. Ex Dione Caßio. Nã licet propinquos & cognatos plurimos haberet, publicæ

tamen utilitati atque saluti societatem saguinis postposuit. Olim Cleon ille, posteaquam Reip. administrationem accipere destinasset, testatus est, se iam omnium amicitiarum uincula uelle soluere, quòd amici plerumq; obstent, ne liceat ubiq; rectum tenere clauum. Et hodie Princeps officio suo rem dignißimam fecerit, si in mandandis publicis officijs, charitatem publicam induerit. Quod ubi non fit, sæpenumero contingit, ut negligente, aut etiam conuiuente ad officiariorũ malefacta Principe, sceleratißimi homines, sub prætextu Principis tyrannidem exerceant in plebem, & dum uidentur illius agere negocium, cum eius nomini, tũ rebus publicis peßimè consulunt. Quapropter Theopompus interroganti, quo pacto quis regnũ tutò poßit tueri, sapienter respondens: Si, inquit, amicis concedat iustam libertatem, pro uiribus interim aduigilans, ne subditi afficiantur iniuria. Multis Principibus exitio fuit, quòd amicis nihil non permitterent, ciues iniuria adfectos negligerent. Hic temperantia adhibenda est, ut Princeps nec amicos alienet tyrannica sæuicia, nec patiatur illos regia familiaritate abuti, ad quiduis audendum præter ius aduersus plebeios, qui nimium irritati sæpe Reges excusserunt. Amicos quidem in honoris culmen euehere, & muneribus augere poterit Princeps, sed citra pauperũ subditorũ per-

Er. 6. apo.

Er. in prim institu.

Plu. in ap.

nicem

niciem, ac Rerumpub. iacturam, illos interim admonendo: Multis opibus præstantius esse populi præconium, quod adipisci quiuerint, si ex publicis administrationibus abierint, non ditiores, sed gloria honestiores. Deinde permittendo, ut iuxta Platonis sententiam, aurum poßideant, sed extrinsecus, hoc est, facultates nullis aspersas labeculis, omni peste uacuas, quas nulla inuidia notare, nec sordes ullæ contaminare queant. Isoc. ad Dæmonicum. Plu. in pol.

Illud in primis in gubernatione publica seruandum, ut habeatur discrimen inter uiros utiles Reipublicæ, & suo uiuentes abdomini. Non perperam Lysander, interroganti Persæ, quam Rempub. maximè probaret: Eam, inquit, in qua fortibus uiris, ac meticulosis, congrua redduntur utrisq;. Sensit uirtute redimitos præmijs inuitandos, ignauos atque malos ignominia potius, quàm honore afficiendos. Era. 1. ap.

Philippus Macedoniæ Rex, olim ubi resciuit Alexandrum filium queri, quòd pater ex pluribus fœminis gigneret liberos, sic illum allocutus est: Ergo quum plures habeas regni competitores, da operam, ut honestus ac probus euadas, ut non per me, sed per teipsum regnum obtinuiße uidearis. Vir prudentia uerè regia præditus, non consolatus est filium, sed metum illius auxit, quo magis extimularet ad uirtutem; Indicans illi, non aliter speran- Eras. 4. apo.

dum paternum (olim enim à populo Reges eligebā tur, non ut hodie receptum, nascebantur) regnum, nisi se succeßione dignum præberet. Nec tam magnum esse, regnum adipisci, quàm regnum promeruisse. Consimili modo Princeps ijs, qui pro dignitatibus atque officijs publicis, sursum (ut aiunt) ac deorsum cursitant, atque sudantes certatim iter ad ea competitores affectant, respondere poterit, nēpe omnibus illa proposita, sed uirtute tantum ambientibus, non gratia, non largitionibus, non fauore nitentibus: cum uirtute ambire oporteat, nō fautoribus. In quorum spem opimam, non aulica duntaxat familia, sed omnes, quos uniuersa Principis ditio complexa fuerit, honestiores, erigi debent, ut omnes ex æquo, ad pulcherrimum uirtutis certamen, atque præmia solicitentur, tametsi Principes olim eos potißimum, qui eruditione sana conspicui florebant, adsciscere, ijsq; gubernacula Reî publicæ committere solebant. Quod iam uidetur exoleuisse. Nam nonnullis in locis, uiros eruditos, ut Mysorum (quod aiunt) extremos contemni uideas, & eos eligi atque ornari, qui cornua tollere, cristas erigere, pocula grandia uno impetu potenter ebibere, qui oris infrenis beluæ ferocire, Nanphracton tueri, centones farcire, ampullas sumere, sesquipedalia uerba proferre. Qui deniq; gloriosi Thrasones atque Gigantes magnifico uerborum

rum apparatu sua iactare, atque eadem per Sacramenta, per elementa, per uulnera quinque confirmare nouerunt. Quorum electores taxat Abstemius. Canis, inquit, molossus cognoscens se lupo, cũ quo maximas exercebat inimicitias, imparem: statuit aliquem sibi socium adsciscere, ut mutuo auxilio lupum superaret. Videns autem asinum lupo uocaliorem, maiorem, clitellisq; uelut thorace armatum, magnasq; pilas podice cum magno tonitru emittentem, ratus est eum strenuum esse bellatorem. Quare contracta societate, lupum ad pugnam prouocauit. Sed ubi ad primum lupi conspectum asinum fugientem uidit, nihilq; aliud, quàm inconditos clamores, & magnos uentris crepitus edentem, ipse quoque fugiens, socium in ipsa pugna deseruit, pabulum lupo, uulturibusque futurum. Fabula indicat, stultos esse, qui hominum uirtutem, ex uerborum ampullositate, & corporis proceritate dijudicant. At quidam inquiunt: Inutilis et incommodus est Oratorum ac Poëtarũ grex, militiæ piger & malus. Atqui utilis est urbi, asperitatis & inuidiæ corrector, & iræ, Rectè facta refert, &c. Non inficias eo, quosdam, sed leuioris literaturæ uiros, Principis gratia prouectos ad magistratum, longè & auariores, et ambitiosiores idiotis euasisse, qui quum in re admodũ leuicula & negocijs tenuibus plebem, aliquo uel scripto, uel

consilio debebant adiuuare, non erubuerunt dicere: Scitote uulgus indoctum, ac gens rustica, me uobis inseruire gratis non uelle. Nam mihi multo pluris studia mea constiterunt, quàm ut alicui gratis impertire poßim. Ego magnam Parisijs impensam, ac sumptum studiorum gratia feci, maiorem Erfordiæ, maximam Coloniæ, ubi non procul abfuit, quin in Iuris Licentiatum fuissem promotus. Restabit igitur, ut studiorum fructu meorum usuri, pecunias quàm plena manu numeretis, ut quæ olim insumpsi, queam resarcire. Sed hæc & consimilia sunt eorũ, qui quum bonas literas uix à limine salutarint, falsa hominum opinione docti, nullam solidam uirtutis literariæ frugem sunt consecuti.

Ex Dione Caßio.

Proinde sagax Princeps, libenter eos, qui uera & eruditione, & morum castitate reliquis prælucent, studebit promouere. Sic Imperator Traianus Nerua, bonos & studiosos uiros honoribus & dignitate auxit. Et Alexander Seuerus, dicebat illos potißimum promouendos, qui per se Rempublicam gerere possent, & qui magis inuiti capesserent oblata, quàm affectarent, & ambirent negata. Plato enim nullum imperio gerendo censuit idoneum, nisi qui coactus & inuitus susciperet imperium. Vbi ergo sunt, qui commoditatis priuatæ causa, non amore Rerumpublicarum, ad magistratus indesinenter adspirant? Qui Principi suam (non aliter

Ael. Lam.

Erasm. in prin. instit.

aliter atq; parturienti Suculæ lupus Aesopicus) operam strennuè pollicentur, non illius amore, sed sui.

SECVNDO: Non impigre suos, quibus officia mandabit Princeps, adhortabitur ad iustitiæ studia, deterrebit ab auaritiæ criminibus. Sic Agesilaus Rex aduersus inexplebilem pecuniarum famem, quo uicio pleriq; laborant, amicos admonere consueuit, ne tam pecunijs, quàm fortitudine, ac uirtute studerent ditescere. Sic Flauius Domitianus, omnes circa se largißimè prosecutus, nihil prius aut acrius monuit, quàm ne quid sordidè facerent. Era.1.apo. Sueton.in Cæsaribus.

Deinde curabit Princeps, ut actio sit malè gesti muneris, quemadmodum antiquis erat actio repetundarum, & animaduersio sit in coniunctos seuerißima. Cuius rei gratia Cæsar Augustus amicos suos ita magnos & potentes in ciuitate uoluit esse, ut pari tamen iure essent, quo cæteri, legibusq; iudiciarijs tenerentur. Præclara res est regnum, ubi suo fungitur officio Princeps, & Magistratus rerum suarum satagunt. At turpißima rerum confusio, ubi Princeps suum agit negocium, & Magistratus nihil aliud, quàm compilant populum, in hos ut animaduertat, studium Principis summum esse debet. Epaminundas Thebanorum Dux, cuidam egeno mandauit, ut à quodam ex amicis ipsius peteret talentum. Petijt, & accepit: amico percontanti, cur Erasm. in prin. instit. Ex Sueto.

ti, cur id iußisset, Quoniam, inquit, ille, quum uir sit probus inopia premitur. Tu uerò diues es, multa de publico depeculatus. Et Adrianus Imperator, quos pauperes & innocentes uidit, sponte ditauit. Quos uerò calliditate ditatos conspexerat, odio habuit. Iure bono Christianus Princeps & eos, qui per fas atque nefas in magistratu ditescere nituntur, odiße, atque multam dicendo, res ablatas in pauperum, unde prius raptæ fuerunt, usum poterit referre. Memnerit non frustra scriptum: Qui iniuria afficit pauperem, ut ditescat ipse, is dabit ditioribus, & egebit ipse. Item, qui aceruat ex animo iniustè, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Doceat Officiarios, Temesæum, ut aiunt, Genium adfuturum, & euenturum id, quod Abstemuco Prætori, qui prouinciam, cui præfuerat, expilauerat, repetundarum damnatus fuerat. Cumq; egre ablata restitueret, dicebat quidam è prouincialibus: Hic noster Prætor mulieres imitatur, Quæ foetus concipientes mira uoluptate adficiuntur: cum autem eos emittunt, incredibili dolore torquentur. Item quod illi, qui auarus ingentem aureorum aceruum malè partum congeßerat, & iam moriturus interrogarat sacculum nummorum (quem agenti animam sibi iußerat afferri) quibus uoluptatem esset allaturus. Cui sacculus: Hæredibus, inquit, tuis, qui nummos à te tanto sudore quæsitos

Ael. Spart.

Pro. 22.

Eccesi. 24

Ex Abste. fabulis.

quæsitos in scortis & conuiuijs profundent, & dæmonibus, qui animam tuam æternis supplicijs mancipabunt.

AN PRINCIPES MVTARE debeāt cultus impios cessantib. aut pro hibentibus Episcopis, aut superioribus dominis.



Piscopis rerum suarum minimè satagentibus, aut Ecclesiæ doctoribus falsa docentibus, boni Principes debent tollere impios cultus, impulsi rationibus ut certißimis ita firmißimis octo. Ex Philip. Melant. in Epit. phil. moralis.

Quarum prima ducitur ab urgente confeßionis neceßitate. Omnibus enim sine discrimine mandatum est, ut credant Euangelio, & id confiteantur, siue accedat autoritas Episcoporum, & aliorum, siue aduersetur. Sic enim scriptum: Corde credit*ur ad iustitiam, ore fit confeßio ad salutem.* Rom. 10.

ITEM: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illū coram patre meo, qui in cœlis est. Quisquis autem negauerit, negabo eum coram patre cœlesti.* ITEM: *Credidi, & ideo locutus sum. Et nos credimus, ideo & loquimur.* ITEM: *Vt potentiam annuncietis, qui uocant nos ex tenebris in admirabilem suā lucem.* ITEM: Mat. 10. Psal. 115. 2. Co. 4.

In

Psal. 110. In conueniendo Reges & populos in unum, ut seruiant Domino. ITEM: Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Psal. 50.

Porrò confeßio est, palàm ostendere, quòd non consentias idololatriæ, & hoc ipsum genus doctrinæ quod amplecteris, alijs impertire. Item, tollere blasphemias externas apud omnes, quibus præes, ut paterfamiliâs debet tollere blasphemias in sua familia, multo magis Princeps in sua ditione, cui præest. Nam qui non impertit rectam doctrinam, item qui blasphemias externas non tollit apud eos, quibus præest, is non confitetur, sed uidetur consentire cũ blasphemis. Ergo Princeps debet mutare impios cultus, & non deterreri Episcoporum, aut superioris domini iudicijs, iuxta illud: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Item: Si quis aliud Euangelium prædicauerit, ἀνάθημα sit. Item: Mat. 10. Qui amauerit patrem, aut matrem ultra me, nõ est me dignus. Hic nõ dubium est, mandatum communicandæ doctrinæ simpliciter, necessarium eße, & partem esse confeßionis, sicut dicit Christus: Sic lu- Mat. 5. ceat lux uestra coram hominibus, ut uideãt uestra bona opera, glorificantes patrem uestrum, qui est in cœlis. Et Sergius proconsul, non solum audiebat Paulum, sed uolebat eum audiri in tota prouincia.

SECVNDA: à præceptis specialiter ad eos, qui præsunt pertinentibus, quibus iubentur, ut obtem-

temperent Euangelio, & propagari sinant. Etenim nominatim praecepit: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, exultate ei cum tremore. Osculamini filiũ, ne quãdo irascatur dominus. ITEM: Aperite portas Principes uestras, & eleuamini portae mundi, ut introeat Rex gloriae. ITEM: In conueniendo populos in unum, & Reges, ut seruiant domino. ITEM: Reges terrae, & omnes populi &c. laudent nomen domini. ITEM: Et erunt reges nutritores tui, & reginae nutrices. Id est, Principes & Resp. debent adiuuare defendere ministeriũ Euangelij, & docentibus uictum curare. TERTIA ratio sumpta est ab officio magistratus. Magistratus est custos primae & secundae tabulae legis, quod ad externam disciplinã attinet, hoc est, prohibere externa scelera, & punire sontes debet, & proponere bona exempla. Manifestum est autem in primo & secundo praecepto prohiberi idololatriam, & blasphemias tollere, & curare, ut pia doctrina, & pij cultus proponantur. Et si magistratus non mutat corda, nec habet ministerium spiritus, tamen habet suum officium externae disciplinae conseruandae etiam in ijs, quae ad primam tabulam pertinent. Confirmat igitur maiorem Paulus, cum inquit: Lex est iniustis posita, impijs, prophanis, & blasphemis, scilicet cohercendis: Illustre exem

Psalm. 2. Psalm. 23. Psal. 148. Esa. 49. 1. Tim. 1.

plum est Regis Ethnici Nabochodonosor, qui edi-
ctum proposuit, ne quis dicat blasphemiam contra
deū Israël. Et lex proposita de blasphemis interfi-
ciendis Leui 24. Rectè igitur Cōstantinus, Valen
tinianus, et Theodosius, qui cultū idolorū legibus
prohibuerūt, et capitalem pœnā instituerūt in eos,
si qui palàm sacrificarent. Hæ leges hodie extant
in Codice. Theodosius etiā dirui ipsa idolorū tem
pla iußit, ne uidelicet, quod antea cōtigerat, manen
tibus templis post ipsum restituerentur sacrificia
impia. Querebātur Donatistæ, se à magistratibus
puniri, cū causa esset Ecclesiastica, sed Augustinus
respondet, id rectè fieri, & hæc decreta & exem-
pla piorum Imperatorum allegat. Quare manife-
stum est, ad magistratus officium pertinere, ut ab-
oleat impios cultus, & malos doctores. Quòd si
non fecerint, expectabunt eadem, quæ olim regibus
impijs acciderunt, Regibus Iuda atque Israël nu-
tritoribus idololatriæ. Propter Solomonis idolo-
latriam regnum Israël distractum est. Quæ pœnæ
magnitudo meritò omnes deterrere ab idololatria
debebat. Multi item Reges in Samaria propter im
pios cultus interfecti sunt, abductæ decem tribus
in exilium, & pene prorsus deletæ sunt. Quales
autem pœnæ nunc impendent, pro impijs cultibus,
quum illi genti non pepercerit Deus, cui amplißi-
mas promißiones de regno dederat. E contrà lau

dantur

Trip. hist. lib. 8. ca. 11 et 9. ca. 32.

Lib. 2. contra Pelagi. ca. 92.

stantur & ornantur uictorijs, & alijs beneficijs Reges, qui sustulerunt idola, ut Asa, Iosaphat, Ezechias, Iosias. Item, Iehu, qui sustulit totum cultum Baal, quem Achab addiderat supra priorem idololatriam, quæ antea instituta fuerat à Ieroboam, in Samaria. Exempla leguntur in libris Regum, & Paralipomenis. Sciant itaq; Magistratus se haud dubiè pœnas Deo daturos esse, si non aboleant impios cultus. Extant comminationes seueriſsimæ in primo & secundo præcepto. Et primo Regum secundo dicitur: Glorificantes me glorificabo, & contemnentes me reddam contemptos. Hæ comminationes nequaquam sunt inanes aut irritæ.

QVARTA Ratio sumpta ab exemplo parentum. Magistratus in externa disciplina debet omnia officia subditis, quæ debet paterfamiliâs. Certum est autem, patremfamiliâs debere hoc officium liberis, ut curet eos rectè institui, & prohibeat impios cultus: Ergo idem debet Magistratus. Minorem confirmat Paulus ad Ephesios sexto: Patres educate filios in disciplina, & eruditione Domini. Duas res complectitur, eruditionem Domini, id est, uerbum Dei, quia præcipit, ut parentes tradant liberis doctrinam Euangelij: deinde addit de disciplina, quæ significat assuefactionem, qua arcentur à peccatis per doctrinam, minas, & castigationem.

QVINTA Ratio ab officio communi omnium membrorum in Ecclesia. Cessantibus episcopis aut si ipsi episcopi falsa doceant, reliqua Ecclesia debet malos pastores ab officio remouere, et in quolibet cœtu præcipua membra cæteris præire debent, & iuuare alios, ut emendetur Ecclesia. Principes & cæteri magistratus, debent esse præcipua membra Ecclesiæ: Ergo necesse est illos hanc emendationem inchoare, & adiuuare. Maior est manifesta, Nam hæc præcepta pertinent ad totam Ecclesiam, & singula membra. Cauete à pseudoprophetis. ITEM, Priore Corinth. 5. Auferte malum ex uobisipsis. ITEM: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit &c. Præcipit singulis, ut defensores impiorum cultuum, & impiæ doctrinæ execremur, tanquam excommunicatos & maledictos. Hoc cum sit uerißimum, Ecclesia remotis atque repulsis istis debet eruditos et pios pastores eligere. Sicut Antiochiæ Ecclesia Episcopum Paulum Samosatenum propter impium dogma excommunicauit, qui cum nollet discedere ex episcopi domo, et retineret episcopi facultates, haberetque suam factionem, quæ eũ tuebatur, sanior pars Ecclesiæ impetrauit ab Ethnico Imperatore Aureliano, ut magistratuũ imperio cogeretur relinquere episcopi domũ et facultates. Ita quãdocunq; constat doctrinã esse impiã, nihil dubiũ est, quin sanior

Mat. 7.

Ad Gal. 1.

Eccl. histo. lib. 7.

pars

pars Ecclesiæ debeat malos pastores remouere,& abolere impios cultus. Et hāc emendationē præcipuè adiuuare debēt magistratus, tanquam potiora membra Ecclesiæ. SEXTA, Auitanda societate persecutionis. Non licet esse medium, sicut quidam imaginantur: Sed necesse est, aut coniunctū esse cū persecutoribus, aut cū uera Ecclesia. At præsertim Principibus & magistratibus hoc accidit, ut necessariò persecutoribus Regibus aut obtemperent, aut aduersentur. Inter hæc non est mediū: Ergo qui nō uolunt se polluere societate persecutionis, apertè se cōiungant cū uera Ecclesia. Huc pertinent sententiæ plurimæ in scripturis, quæ prohibent societatē hostiū ueritatis, Psal. 35. Odi ecclesiam malignantiū, & cum impijs nō sedebo, Lauabo manus meas inter innocentes, et circundabo altare tuum domine. Psal. 138. Perfecto odio oderam illos. 2. Para. 19. Impio præbes auxiliū, ideo iram merebaris. Pro. 24. Erue eos, qui ducunt ad mortē, etc. 3. Reg. 18. ait Elias: Vsquequo claudicatis utroq; humero 1. Ioan. 3. In hoc cognouimus dilectionem, quia ille animam suā pro nobis posuit, & nos debemus pro fratrib. animas ponere: Ergo omnes apertè profiteri necesse est, & oēs ueræ Ecclesiæ debēt defensionē, cuius dißimulatio parit scandala, et pœnas accersit. SEPTIMA: Ex iure naturali. Finis societatis humanæ proprius et præcipuus est,

ut Deus innotescat. Magistratus est custos societatis humanæ: Ergo multo magis custos illius præcipuus finis esse debet. Quia in omni actione proprius finis principaliter expetendus, et tuendus est, ut medico in medendo sanitas præcipuè expetenda et tuenda est: ergo et in gubernatione societatis proprius finis societatis principaliter gubernatori expetēdus est. Errāt igitur magistratus, qui diuellūt gubernationē à fine, et se tantū pacis ac uentris custodes esse existimāt. Aliud habent maius officium, uidelicet defensionē totius legis primæ et secūdæ tabulæ, quod ad externā disciplinā attinet. Propter hoc cœleste munus impertit eis deus societatem sui nominis, inquiens: Ego dixi, dij estis. i. delecti diuinitus ad cōseruandā uerā religionem, et abolendam idololatriā, ad cōseruationem iustitiæ, cōiugiorū, pacis &c. Deut. 17. Deus regem custodem facit legis, et doctrinæ religionis. Et in lib. Sapientiæ traditur initiò hoc præceptū: Diligite iustitiā, qui iudicatis terrā, quærite deum &c. At si tantū Principes custodes uentris et caporū faciemus, quid differrent ab armentarijs, cū magistratus institutus sit, nō tantū ad quærenda & curāda uentris bona, sed magis ut deus in societate innotescat, atq; ut æterna bona quærātur. Vnde rectè Cōstantinus idolorum templa claudi iußit, multaq; in ecclesia mutauit, licet Maxentius et Licinius propter id ingentia bella aduersus eū mouerint. At multi iā, quod india

gnißimũ Heroico animo, deterriti metu, ignauia, aut etiã spe certarũ utilitatũ, prodũt religionem. Cũ Cassander peteret ab Atheniensib. ut Alexandrum referrent inter deos, quod cũ pleriq; detestarentur, Demades suasit, ut fieret, ne uidelicet bellũ eis inferretur, ac inquit: Videte ne terrã amittatis, dũ coelo iniuriã fieri prohibetis. Ita nũc multi coelo iniuriã facere malũt, quàm suscipere uel laborẽ, uel periculũ propter ueritatis defensionem. Sed hi ignaui Principes nequaquã digni sunt illa appellatione: Ego dixi, dij estis. OCTAVA, A grauißimis cõminationib. Væ homini, qui est autor aut cõfirmator scãdali. Væ homini, per quem uenit offendiculum. Principes, qui nõ mutãt abusus, sunt autores horribiliũ scandalorum. Quare nõ dubiũ est eis deum grauißimè irasci. Cõsiderent, quãta cõtumelia deus afficiatur in defensiõe idololatriæ. Quot milia animarũ seducãtur, ac pereãt, præcipuè culpa principũ, qui impediunt, quo minus purã Euãgelij doctrinam populus audiat. Confirmatur furor aduersariorũ, qui sunt pertinaciores et sæuiores exemplis principũ. Cõfirmantur et libidines. Sic aũt inquit deus apud Ezechielem de omnibus gubernatoribus, cap. 34. Ecce ego ipse super pastores, & requirã gregem meũ de manu eorum. Et Amos. 6. Væ uobis optimates &c. Quòd aũt nobis scandala obijciũtur, q; uidelicet aliqui abutantur libertate, aut alia.

Val. lib. 7. cap. 2.

Mat. 18.

Ex ore tuo te iudico

Hæc non accidunt doctrinæ, aut Principum culpa, Si doctores & Principes rectè faciunt suum officium, ut inquit Ezechiel, extra culpam sunt.

AN PRINCEPS AVAROS & iniquos Officiarios statim à munerum publicorum functionibus deturbare debeat.



Rouerbijs duobus antiquis: Delibera diu, &: Festina lentè, Princeps admonetur, ut nihil præcipitanter agat, nec pœnitendum aliquid, per temeritatem faciat, neq; per socordiam quicquam effectu uel honestum, uel utile prætereat, sed maturitatem ac moderationē ex uigilantia & lenitudine temperatam strenuè seruet. Proinde si lotos in hiantes, hoc est, in officiarios rapaces inciderit, diem illis dicet, & ut pauloantè proditum, irrogabit multam, non autem protinus ab officijs remouebit, idq; duas potißimū ob rationes. PRIOR: Quoniā anceps electionis euentus, et ambiguus sortis exitus, adeò ut dignitas eum, qui prius omniū integerrimus apparuerit, immutare, & magistratus alium uirum ostendere poßit, ut iuxta Prouerbium: Mali thripes mali sint ipes. Quare si uarijs Officiariorum iniurijs exasperati subditi, forsitan urserint, ut ab officijs iniqui

qui

qui moueantur : tum Princeps Pacuuium illum Calaninum poterit imitari. Qui ad Campanos olim sui Magistratus osores, atque hostes, ita fertur locutus: Senatores odistis, & Senatum omnino nõ uultis habere. Atqui Senatus habendus est. Itaque duæ res simul agendæ sunt uobis, ut & ueterem Senatum tollatis, & nouum cooptetis. Citari singulos senatores iubebo, de quorum capite uos consulam, Quod de quoq; censueritis, fiet: sed prius in eius locum uirum fortem ac strennuum nouum senatorem cooptabitis, quàm de noxio supplicium sumatur. Inde consedit, & nominibus in urnam coniectis, citari, quod primum sorte nomen excidit, ipsumq; è curia produci iussit. Vbi auditum est nomen, Malum & improbum pro se quisq; clamare, & supplicio dignũ. Tum Pacuuius: uideo, quæ sententia de hoc sit data: eijcitur pro malo & improbo, bonum Senatorem, & iustum eligite. Primo silentium erat inopia potioris subijciundi, Deinde, cum aliqui omissa uerecundia quempiam nominassent, multo maior extemplò clamor oriebatur, quum alij negarent nosse, alij nunc probra, nunc humilitatem sordidamq; inopiam, & pudendæ artis aut quæstus genus obijcerent: hoc multò magis, in secundo, ac tertio citato senatore est factum, ut ipsius pœnitere homines appareret quem autẽ in eius substituerent locum, deesse, quia

Liui: lib. 3. se. bel. pun.

nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud, quàm ad audienda probra nominatos, & multò humiliores, obscurioresq; cæteri erant eis, qui primi memoriæ occurebant. Ita dilabi homines, notissimum quodq; malum maximè tolerabile dicentes esse, hoc est, notissimam rem (ut prouerbio dicitur) malum optimum esse. Atqui si uarijs Officiariorũ iniurijs exasperati subditi, forsitan (ut dixi) urserint, ut ab officijs iniqui moueantur, Tum fuerit consultissimum sententiæ Aristotelis acquiescere, sic dicentis: Si Princeps aliquem à potestate sibi tradita, deponere uelit, gradatim hoc debet facere, & non simul auferre totam potestatem.

Ari. pol. 5.

ALTERA. Quoniam metuendum ne noui, quos in eiectorum locum substituerit, atque suffecerit, longè uel auariores uel iniquiores, plus expilando damni pauperibus, quàm ueteres sint illaturi, quòd longo usu iam impleti partius sanguinem subditorum bibere, at noui, quos fames habendi premit, non aliter utque muscæ media confectæ, macilenti profundius soleant aculeos figere. Vnde Samios olim populi Rectorem auaricia nobilem perdere uolentes, Aesopus hac fabula compescuit: Vulpes, inquit, fluuium transiens, in lacunam quandam est prolapsa. Vnde cum exire non posset, tenaci limo retenta, muscarum affligebatur aculeis. Quod Herinaceus conspicatus, misericordia

motus

motus est, interrogauitq́; an uellet, ut ab ea muscas abigeret. At illa abnuit, dicens: Hæ meo sanguine iam plenæ, paruam mihi possunt inferre molestiam: si autem has abegeris, aliæ famelicæ super uenient, quæ quicquid mihi adhuc superest sanguinis exhaurient. Ita uerbis moti Samij, ab incœpto destitere. Hac ratione adductus Tyberius Cæsar, diuturnos magistratus dabat. Vnde (ut refert Iosephus) sub eo, per uiginti annorum spacia, per duos tantum præsides, Gratum scilicet & Pilatum est gubernata Iudæa. Etenim non parcit populis regnum breue, ut inquit Statius.

Prædictis subnectere collibuit, quod nuper ex Gerhardo Nouimago sene uenerando accepi memorabile Ducis Gelriensis Caroli exemplum: Qui cum in oppido Tillenwerde rogaret olim quandam uiraginem Cauponam, an dignus uideretur pro cuius salute Deum orarent subditi, Respondit ipsa, se iugiter orare, ueritam, ne mortuo Duce, Dux longe deterior succederet. Cōsultius fore, ut malus à malis proauis, atq; auis progenitus regnet, quàm peior atq; truculentior.

QVID IN MAGISTRAtibus auari & iniqui soleant Officiarij cogitare uel facere.



D luculentam publici muneris functionem à Principe gratioso uocati, rerum gubernatores iniqui, nunquam aut rarißimè præcogitant, aut animos componunt ad ea, quorum D. Paulus admonuit, inquiens: Quæstus est magnus pietas, cum

1. Timo. 6 animo sua sorte contento. Nihil intulimus in mundum, nec efferre quicquam poßumus. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Cæterum qui uolunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Sed auari potius animo reuoluere, simul ac factis exprimere solent Germanicum illud uetus prouerbium:

Agricol. in pro. ger.

Wer reich wil werden / můß sein seel eyn weil auff den rück setzen: vnd wañ er reich worden ist / wider herab nemen.

Hoc est:

Qui cupit ut fuluo sibi mantica turgeat auro,
Laxaq; prælargas arca flagellet opes:
Hic animam ad tempus palo suspendet ab alto,
Sed referet, factus ditior, inde suam.

Item: Herren dienst erbet nicht.

Officia Principum non sunt hæreditaria. Quid igitur faciemus, si Domini dispensationem à nobis

abstule-

abstulerint. Fodere non ualemus, mendicare erubescimus. Consultißimum erit, ut nobis faciamus amicos ex iniquitatis mammona, id est, diuitijs iniquitate prouenientibus, ut gratia Principum destitutis, sint qui nos in sua tabernacula recipiant. Quærendæ sunt opes. Lucæ 16.

Mille talēta rotundentur, totidē altera porrò, Ho.1.ep.6
Tertia succedāt, & quæ pars quadret aceruū.
Scilicet uxorem cum dote, fidemq́; & amicos,
Et genus, & formam, regina pecunia donat.
Et benè nummatum decorat suadela Venusq́;.
O pulchra Lauerna.
Da nobis fallere, da iustosq́; sanctos uideri Idē 1.e.16
Noctē peccatis, & fraudibus obijce nubē. Quid?
Vnde habeas nemo quærit, sed oportet habere
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet Iuue.sa.3
Quæstio, quot pascit seruos, quot poßidet agri
Iugera, quā multa, magnaq́; paropside cœnat?
Quantum quisq́; sua nummorū continet arca,
Tantum habet & fidei.

Facessant, qui nobis illud occinunt Adagium: Nec omnia, nec paßim, nec ab omnibus. Illud applausibile magis arripiamus. Lucrum pudori præstat, &: Lucri bonus odor è re qualibet.

Ergo paretur Iu.sa.14.
Altera uilla tibi, cum rus non sufficit unum,
Si melior uicina seges, mercaberis hanc, &
Arbusta,

Arbusta, & densa montem qui canet oliua,
Quorum si precio dominus non uincitur ullo,
Nocte boues macri, lassoq; famelica collo
Armenta ad uirides tua dimittantur aristas,
Nec prius inde domũ, quã tota noualia sæuos
In uentres abeant, ut credas falcibus actum.
Sed qui sermones, quæ fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc, uilis tunicã mihi malo lupini,
Quàm si me toto laudet uicinia pago.
Ho.1.se.2. Eleuo: si populus me sibilet, at mihi plaudo
Plin.li.7. Ipse domi, simul ac nummos contẽplor in arca.
cap.46. Quondam ab amplißimo terrarum rege Gyge consultus Apollo, pronunciauit Aglauum Prophodium beatißimum in terris. Hic sorte sua contentus, in angustißimo Arcadiæ, sed annuis uictibus sufficiens prædium colebat, ex eo nunquam egressus. Sed iam paucos ille beatos iudicauerit, maxime deos istos ollares, qui suos intra terminos se minus continent, sed egreßi aßiduò meditantur quo iure uel iniuria ditescentes adijciant aceruis suis indies plura, atque pauperum sudore per imposturas maximè Iudaicas pinguescant, atque adeo ut uerißimum illud in magistratu suo germanicum prouerbium faciant. Es ist keyn Ampt so kleyn/es ist henckens werdt. Hoc est, Nulla muneris publici functio tam exiguæ commoditatis est, in qua non poßit cõmitti crimẽ expiandum suspendio.

pendio. In caussa est, auri sacra fames, quæ plerisq; iusticiæ obliuionē inducit, ac prorsum insanos reddit, illud fixum in pectore uersantes: Qui multa rapuerit, & pauca suffragatoribus dederit, saluus erit. Cuius sententiæ uim, cum malis artibus ditatus olim quidam impleuisset, ab officio deturbabatur. Priuatus iam messe tenus propria uiuens, omnem mouit lapidem, quo pristinam in magistratus sui dignitatem restitui posset. Ad id, aureos etiam, ut aiunt, montes suffragatoribus est pollicitus. Sed hianti lupo responsum fuit, frustra laborare eum, repetito officio nunquam perfuncturum. Nam id si consecutus esset, furari tanta, ut non modo factas largitionibus impensas resarcire, sed etiam multò maiora præmia, & impietatis spolia consequi posset, cum uariæ sint in publicis functionibus uiæ & rationes, quibus facile queat iniquus homo, maximas ad diuitias, bonorumq; (ut aiunt) glomos peruenire, ut qui Treßis Agaso, primò lineo indutus amictu uenerit ad magistratum, una, qua tota ut Codri domus composita, rheda uectus, breuiore temporis curriculo, strennus ita rem augere, & constabilire, nidoq; pennas maiores extendere poßit, ut multis iumentis ac curribus habeat opus, ad transportandam, si res poposcerit, supellectilem, artibus uarijs con gestam. Quod si alia nulla citò ditandi foret

ârs, ſatis magna tamen eſſet, Neminem prorſus ad mittere, Neminem audire, nemini fauere, nemi nem deniq; iuuare, niſi pecuniã numerarit, aut mũ nera tulerit. Id olim mihi noto pauperi cuidam ac cidit, quem uacuum potens ac diues quidam uir diu noluit audire, nedum ſuppetias ferre. Sed cum pauperculum nummis, quos magnæ reculæ famili aris corraſerat iactura onuſtum animaduertiſſet, libenter admiſit: ſed accepta pecunia miſerum ſpe lactauit inani, nimirum quòd aduerſa pars, unde maior fortaſſe lucri ſpes, ditior eminuerat. Hac ea dem arte uſus Abſtemicus ille rabula, quem ruſti cus quidam, grauil ite implicitus, acceſſerat, ut eo patrono ſeſe explicaret. At ille negocijs alijs impe ditus, renunciari iubet, ſe non poſſe nunc illi uaca re. Quare abiret aliàs rediturus. Ruſticus, qui hu ic, ut ueteri fidoq; amico, plurimum fidebat, plu ries rediens, nunquam admiſſus eſt. Tandem hœ dum adhuc lactentem, ac pinguem ſecum deferens, ante ædes iuriſperiti ſtabat, & hœdum uellicans, illum balare cogebat. Ianitor, qui ex præcepto Heri dona portantes ſtatim admittere ſolebat, au dita hœdi uoce, ianuam ilico aperiens, hominem introire iubet. Tunc ruſticus ad hœdum conuer ſus: Gratias, inquit, ago, hœdule mi, quòd tam fa ciles mihi has effeciſti fores. Cuius farinæ locu pletes officiarij ſunt illi, quorum multiplices pro pter

Ex Abſte. fabulis.

pter insidias dixit Diogenes aurum pallere, causſam palloris illius rogatus. Hi diuites aut iniqui, aut (quod aiunt) iniquorum hæredes. Nunquam enim uiri æqui citò diuites euaſerunt. Diog. li. 6.

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν.

Et iuſti nunquam pauperes, tempore breuiore peruenerunt eò, ut præpotentibus dominis egentibus, abundarent ipſi. Id ſi uiſum fuerit alicubi contigiſſe, tum Germanico, quod Agricola prodit in aula Saxoniæ Ducis Alberti natum, prouerbio locus erit: Wilt du gelt haben/ so werd ein Rendtmeyster oder eyn Schösser/ so hast du sein gnůg. Menander.

Hoc eſt.

Tempore ſi paruo cupias diteſcere, pernix
Quæſturæ ut grandi præficiare, ſtude.

Sed hæc omnia, nullo modo quis ſuſpicetur eſſe dicta de bonis atq; iuſtis Quæſtoribus, Præfectis, atque alijs officiarijs, Quos iudico digniſſimos, ut opima laborum ac uirtutis ſuæ præmia conſecuti, & honoribus, & fortunæ donis augeantur: ita tamen, ne plus æquo locupletatis ipſis, Principes redigantur ad inopiam Quod Germanicus ille prouerbiorum Doctor nō admittit, inquiens: Mann sol der Herren geniessen/ das sie auch beim brot bleiben. Hoc eſt:

Vtendum eſt opibus domini, uel Principis ære,

Sic tamen ut saties digna supersit hero.

Atqui de rerum moderatoribus auaris & iniquis, qui neque homines, neq; deos timentes, illud aßiduò sonant, meditãtur ac faciunt. O ciues ciues quærenda pecunia primum est, Virtus post nummos. Hor. in ep. *Item quibus semper in ore est, illud auaris usurpatum prouerbium germanicum:* Gelt hat keyn hůffschlag. *Hoc est, Nulla pecuniarũ uestigia. Quo significant summum bonum, pecunias quibuscunq; artibus partas esse, cum scilicet fraudes clandestinas Principi non prodens, in arca lateat abscondita iniquitatis mammona. De ijs inquã auaris, ut illa bono iure dici, sic cantilena germanica Suueitzeri sequens poterit cantari:*

Es ist der lauff/so mann sicht drauff/
  In aller welt gemeyne/
Voll hinderlist/die welt ietzt ist/
  Auff tugent acht mann kleyne.
Het ich nur gelt/ich wer eyn Helt/
  Vnd vorzogen auff erden.
Nun solchs man melt/dem gelt nach stelt/
  Wie kans doch erger werden?
Gelt ist die klag/daruon ich sag/
  Gelt gelt ist nur der handel/
Wie man bei nacht/vnd auch bei tag/
  Dem gelte nach mag wandeln.
Het ich nur gelt/in diser welt/
  Nach gelt steht mein begeren/

Mann

Mann rüwet nicht/nach gelt man ficht/
Wie kans doch erger werden?
Mañ leufft/mañ rent/mañ reit/mañ spregt
Nach gelt stehn all ir sinnen/
Jn regen/schnee/auff land vnd see/
Wie mann mag gelt gewinnen.
Mann leßt nit ab/biß in das grab/
Gelt gelt ist nur ir leben/
Gel ist ir Gott/in aller nót/
Wer kan doch nun frum̃ werden.

Hoc est carmine Phalæcio redditum:

Cunctis pulsa locis oberrat exul
Virtus, insidijs referta terra est.
Qui nummos habet, ac opes, probatur
Solus nobilis, integer, beatus,
Sic peruersius ut nihil uideri,
Et nil poßit iniquius putari.
Heu friget pietatis omnis ardor.
Ipsum quæstio prima, sola uota
Sunt aurum, rapido diesq; noctes
Quæsitum studio, trahit quod omnes
Per dumeta, per æquor, & per ignes:
Alpinasq; niues, gelu, uel imbres.
Aes, æs nauibus & petunt quadrigis
Cuncti, nulla quies, sopor nec ullus.
Quod uitæ spacium per omne durat,
Auri sola libidinem resoluit
Mors, agger miseros replet sepulchri,

Quorum nummus adest DEVS: tenebris
Sed tantis poterit quis ire tutus?

DD SECRETIS PRINCIpum negocijs, & arcanis rebus gerendis.



Dio. li. 1. *Ittacus ille Mitylenæus, homo sapiens: Quod facere, inquit, instituis, noli prædicare, Nā si facere nequiueris, ridebere. Quo Principes admonentur, ut arcanis grauioribus gerendis rebus nullos uiros rimarum plenos adhibeant, idq́; non solum ut iocus & irrisio, ex inauspicato rerum euulgatarum euentu suborta, sed magis ut atrocia, quæ res arduas & arcanas in uulgus temerè sparsas comitari solent*

Plu. in apo *Reip. pericula, deuitentur. Olim Rex Lycurgus apud Lacedæmonios ad conuiuia ingredientes, instituit, ut qui natu esset maximus, singulis fores ostenderet dicens: Per has nullus egrediatur sermo. Admonens nihil effutiendum, si quid liberius dictum esset in conuiuio. Quod si rebus in leuioribus commodum fuit obseruatu, quanto magis seruandum in arduis: unde ut maiora rerum dispendia profluere possunt, sic maior adhibēda cautio.*

Er. 4. apo *Quare Magnus Alexander, cum Epistolam à matre missam, arcana continentem legisset, & eandem*

dem Hephæstioni legendam tradidisset, annulum signatorium è digito detractum, ori illius appressit, admonens hoc gestu, ut arcana contineret. Et Cæcilius Metellus, Tribuno cuidam è iunioribus percontanti: Quid esset facturus: Si eius rei, inquit, scirem mihi tunicam esse consciam, exutam in ignem coniecissem. Ergo quum taciturnitas optimum, ac tutißimum sit, administrandarum rerum uinculum. Et, Eximia uirtus, præstare silentia rebus, At contrà grauior culpa tacenda loqui, Princeps cauebit, ne (quod Periander Mytilenæus admonuit) inter loquenduum secreta pronunciet, sed potius curet, ut in Dicasterijs suis, & penetralibus aulæ reddatur Harpocrates. Qui deus apud ueteres pingebatur ita, ut digito admoto ori, silentium indicaret. Qualis & apud Romanos dea Angerona. Quanta autem ex rebus arcanis proditis sæpenumero pericula suscitentur, non ignorabat Pompeius. Hinc à Genthio Rege interceptus, cum Senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ digitum cremandum prebuit eaq; patientia desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excußit.

Plu. & Pli. de uir. illu.

Val. li. 2. cap. 1.

Diog. li. 2.

Val. li. 3. cap. 3.

Atqui ut Principis est secreta non facile alicui concredere, ita nemo prudens facile studuerit indagine consequi Principum arcana, cum maxima linguæ sit omnium maximè uolubilis incontinen

Er.6.apo. tia, ut Chilō Lacedæmonius, rogatus quid esset difficile, meritò responderit: arcanum reticere. Hinc Philippides poeta comicus Lisymacho Regi cum primis charus, ac familiaris: Cui cū Lysimachus offerret liberalitatē suam, diceretq́; Quid uis tibi impartiā rerū mearū? Quodcunq; uoles, inquit, modo ne arcani quippiam. Significans simul periculosum nosse magnatum arcana, quorum si quid effutias, actū est de capite. Recte igitur Horatius:

Er.8.apo.

Arcanum neq; tu scrutaberis ullius unquam,
Commissumq; tegas, & uino tortus, & ira.

Rectè item Euripides opprobranti cuidā oris graueolentiam. Multa nimirū, inquit, in illo occulta computruerunt. Significans se posse arcana continere. Solent autē res in occulto congestæ cōputrescere. Malè Thallus ille, cui Cæsar Augustus, quòd pro epistola prodita denarios quingētos accepisset, crura effregit. Vtinam in Principū aulis non sint, consimiles Thalli, qui literis secretis euulgandis, & clandestinis epistolis nomine Principū effictis, & illorum annulo signatis, lucrū faciant prægrande: Quod proditorū est. Et susurrones reuelant arcanū. At qui fideli sunt animo, res tegūt. Dignum memoratu Xenocratis Chalcedonensis dictum. Qui cum in conuiuio cæteris multa garrientibus, solus nihil diceret: interroganti, cur unus omniū sileret: Quoniā, inquit, locutū fuisse pœnituit aliquan

Suet. in Cæ.

Pro. 11.

Er. 7. apo.

it aliquando, siluisse nunquam. Rectè igitur Cato: virtutem primam esse puta, cõpescere linguã,
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

DE PAVPERVM QVERElas audiendi facilitate, atq; benigna adflictorum audientia.



Aximũ populi sui, quod inexpugnabile regnorum, ut dixi, munimentum est, fauorem atq; beneuolentiam, sibi Princeps conciliauerit, ubi subditorũ querelas omnium benignè simul ac clementer audire non fuerit grauatus. Quod filius Dauidis Absolon animaduertẽs, mane consurgere, & iuxta introitũ regiæ portæ stare solebat, & omnem uirum, qui habuit negocium, ut ueniret ad Regis iudicium, uocabat ad se, clementerq; audiebat. Quod licet syncero minus animo fecerit, tamen quia comiter audierat adeuntium desideria, potenter effecit, ut uniuersus Israel, à patre & Rege Dauide deficientes, sese Regem uno ore declararent, ac toto corde sequerentur. Sic Solomon clementer audiendo, iusteq; iudicando, summam ab hominibus gratiam iniuit. Sic Daniel Susannæ caussam audiendo, iustamq; sententiam dicendo, magnus in conspectu populi factus est. Et hoc proprium est Principis offi-

2. Reg. 15.
3. Reg. 5.
Daniel. 13.

Pro.30. cium, suis omnibus aures præbere clementes, mulatis in iudicio, & omnibus orphanis patrocinari, abiectum & inopem iudicare, nemini denique se difficilem exhibere. Hinc Græcum illud: ἄρχων ἄκουε, καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως. Hoc est Princeps æqua, & iniqua pariter audias. Quod qui fastu superbo turgidus non facit, & iniquus & infelix est. Cognoscit enim iustus pauperum caussas, Im-
Pro.29. pius autem non aduertit animũ ad dijudicandum. Regis sedes, qui uerè iudicat pauperes, perpetuò fortunata erit. Qui obstruit aurem pauperum cla
Pro.21. mori, clamabit ipse uicißim, nec exaudietur. Ideo diues ille rogans, nõ exauditur in tormentis, quia
Aug. in Ho de diuite: rogantem pauperem non audiuit in terris. Quare facilis aditu sis indigentibus, ob uim supernæ illi-
Aga. ad Iust us potestatis, atque aperias aures his, qui à paupertate obsidentur, ut inuenias Dei auditum ad apertum. Quales enim erga nostros fuerimus conseruos, talem circa nos reperiemus dominum. Hæc audiant ac meditentur Principes, quos caute Marpesia duriores miserabilis pauperum clamor nihil mouet, qui suos adflictos subditos, non pluris quàm canes aut equos æstimantes, audire minus dignantur. Qui negocijs sæpe uanissimis distracti, caussas inopum ad officiarios reijciunt, eos aliquando, qui & auari & immites, non quærunt pauperũ, sed priuatã utilitatẽ, Quo

facto

facto prophano Domini pauperibus malè consulunt, & egregiè contemnunt. Quod qui faciunt, conuicium eorum conditori faciunt.

Ethnici quondam homines, Christianis nonnullis longè clementiores sese leguntur exhibuiße, & pauperum querelas libenter audijsse. Octauius Augustus Imperator, ius dixit aßiduè, & in noctem nonnunquam, si parũ corpore ualeret, lectica pro tribunali collocata, uel etiam domi cubans. Dixit autem ius non diligentia modò summa, sed & lenitate. Sue. in Ce.

ITEM, Seuerus Alexander causas plurimas audiuit, Accusatos à prouincialibus iudices, probatis rebus grauiter puniuit. Ael. Spar.

ITEM, Maximum populi amorem sibi conciliauit P. Crassus, qui ut decreta redderet, eadem qua quis apud tribunal eius postulauerat lingua, Græcam in quinque diuisam genera comprehendit. Val. lib. 8. cap. 7.

ITEM, Mithrydates Rex Ponti, oriundus à septem Persis, duarum & uiginti gentium, quæ sub regno suo erant, ore loqui perdidicit, ut omnibus iura dicere, & suos sine interprete alloqui posset.

ITEM, Flauius Vespasianus pater, licet auarißimus fuerit, tamen libenter causis audiendis interfuit. Qui cum uehementer angeretur uiciatis intestinis, nihilo secius imperatorijs muneribus fungebatur, adeò ut lecto decumbens audiret legatio-

nes. Et amicis hortantibus, ut sibi parceret, respon dit: Imperatorem stantem mori oportere, hoc est, in causis audiendis, rebusq; componendis strenuum & erectum, usque ad extremum uitæ momentum es se oportere. Dignißimum memoratu Principis apo phthegma. Sed ut Ethnici summis eos Imperato res laudibus euexerunt, qui rerum suarum satage re, clementerq; subditos audire solebant, ita repre hensionibus acerrimis dignißimos iudicarunt eos, quorum intolerabilis status, tyrannica responsa, su perbæ aures, contumeliosa dicta, difficiles aditus, quibus excessisse Demetrium tradunt. Nam inter alia, quæ de illo referuntur, Legati Atheniensium, qui omnes Græciæ populos gratia apud Demetriũ anteibant, duos annos frustra terendo tempus, secu ti sunt uestigia Regis, & diuturna mora fatigati, rebus infectis domum redierunt: cuius Ethnici uesti gijs Christiani quidam Principes insistunt, qui su perbo fastui nimium inseruientes, aut occupationi bus parũ frugiferis districti, nõ admittunt subditos, nec exaudire dignantur adflictos, maximas diffi cultates itinerum emensos, & easdem rebus infectis coactos remetiri, non parua rei familiaris, atq; tem poris iactura.

Plu. in uita Demetrij.

IDEM Demetrius quodam tempore palàm e dixit, sese omnes suos benignè ac comiter auditu rum, itaque cũctis supplices libellos, diligenter scri

ptos

ptos certatim offerentibus, liberaliter accepit, & in chlamydis sinũ reposuit. Cum autem suarũ quisque petitionum expeditionem sitienter expectaret, ad fluuium nomine Axium perueniens, aperta chlamyde, libellos omnes proiecit in flumen. Qua ex re uehementer exacerbati, abalienatiq; sunt animi Macedonum. Et hoc ipsum Christiani quidam imitantur, qui post multam cautionem, ac laboris euitationem, libellos pauperum supplices accipiunt, at delicati nimis non dignantur legere. Laborem igitur officij sui subterfugientes, non in flumen proijciunt, sed in cloacam. Aut in cuiusdam proprio quæstui magis, quàm saluti pauperũ studentis sinum. Similis in Hieronymo Syracusanorũ tyranno cõtemptus omniũ hominum fuit execrabilis. Nec unquam probatũ fuit uiris sapientibus Persarũ regum institutum, qui domi abditi uitam exigebant, omniaq; regni negocia reijciebant in cõsiliarios et officiarios. Et hac una uia studebant à suis magnifieri, quòd nunquam conspicerentur, & rarißimè sui copiam facerent populo. Quòd si quando prodibant, nihil aliud quàm fastum barbaricum, & opes immodicas, populi malo partas ostentabant. Reliquum æui, aut lusibus, aut furiosis expeditionibus trãsigebant, perinde quasi deesset, quod pacis temporibus agat egregius Princeps, cum tanta semper pateat pulcherrimorum facinorum seges, si

Beroal. de opt. statu.

Erasmus in prin. instit.

modò

Plu. in uit. modò adsit Principe dignus animus. Sed ut ad Demetrium reuertar, animum Regis peruersum una fregit ac correxit anicula: Quæ cum illum rogasset, ut se audiret, & respondente eo, sibi ocium non esse, tum anus alta uoce ad illum conuersa: Ne etiam regas, inquit. Hæc uerba reuoluta animo, ac mente repetita, hominem compulerunt, ut omnibus post habitis rebus, benignum se cunctis accedentibus, facilemq; præberet, atque initio ab anicula sumpto, multos dies audiendo, respondendoq; consumeret. Sic in Euangelio iudicem iniquum, qui neque deos,
Luc. 16. neque homines reueritus, uidua pertraxit ad audiendum. Consimili quondam ratione transeuntem
Ex Dione Cassio. Adrianum Cæsarem mulier rogauit, ut se audiret. Cui quum ille respondisset: Ocium mihi non est. Illa deinde clamans, ait: Noli ergo imperare.

ITEM: Anui cuidam paupercula Philippum
Era. 4. ap. Macedoniæ Regem appellanti, ut causam ipsius cognosceret, quum hac flagitatione frequenter obstreperet illi, respondit sibi non esse ocium. Cumq; anus inclamasset: Proinde ne Rex quidem esse uelis. Philippus admiratus aniculæ liberam uocem, non illi solum præbuit aures, uerum etiam alios audiuit. Quum igitur Ethnici uel sua sponte, uel aliorum instinctu clementer & benignè subditos audierunt, non inuiti Principes Christiani, sunt idem multo uberius facturi. Ne propheticum illud dici posit:

Prin-

Principes tui infideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa uiduæ non ingreditur ad illos, propter hoc ait dominus: Ego conuertam manum meã ante te, & ad purum excoquam scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum &c.

DE LVXV ET COMESsationibus aulicis.



Arsimonia apud ueteres, et uictus atque cœnarum tenuitas, non domestica solum obseruatione ac disciplina, sed duplici quoq; animaduersione, legumq́; complurium sanctionibus custodita est. Intelligebant enim pluri mum malorum nasci ex luxu & profusione. Sumptuarijs igitur legibus occurrerunt, creatis in hoc Censoribus, qui immodica impendia in conuiuijs, in uestitu, aut in ædificijs cohiberent. Certè nostro hoccine seculo legibus sumptuarijs, atque Censoribus acerrimis opus haberemus, quorum grauitate perdita rerum profusio, nimius uestimentorum cultus, luxuria turpis, & sumptuosæ comeßationes, quæ non solum in aulis ferme iam omnibus, sed ubique locorum prædominantur, compescerentur. Et tempus esset, quo sat nobis esse deberemus existima re

Gell lib. 2. cap. 23.

Erasm. in prin. instit.

re, quòd uoluntatem gentium patrauerimus, uersati in omni luxus genere, in fastu, in lasciuijs, concupiscentijs, uinolentijs, comessationibus, & compotationibus. Quæ teterrimæ pestes, si tam licenter grassari non cessauerint, maxima Rebusp. damna procul dubio sunt importaturæ. Atqui metuendum est, ne non tantas uulgò radices egerint, ut difficiles uideantur euulsu, utq; illud dici possit, quod olim prolatum à Catone seniore. Qui cum apud po-

Plu. in ap. pulum in prodigalitatem, & immodicos sumptus inueheretur: Quàm difficile (inquit) est uerba facere uentri, aures non habenti? Significans honestas

Per. sat. 4. rationes difficulter ab ijs admitti, qui uentres faciunt in penem quicquid sibi uenit amarum, Et puteal multa cauti uibice flagellant. Idem Cato se mirari dicebat, quomodo salua ciuitas esse posit, in qua pluris quàm bos uendatur piscis. Iam nemo miratur, perditum iri Respub. in quibus ad summum luxus excreuit, & ubi magis illa iuuant, quæ pluris emũtur. Apud Ethnicos olim in multo maiore precio, quàm apud plerosq; modò Christianos habita fuit mediocritas atq; frugalitas.

Iuue. sa. 11. Dentatus Curius paruo quæ legerat horto,
Ipse focis breuibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit calidæ sapiat quid uulua popinæ.

Hic est ille Curius, qui Legatis Samnitum aurum

offe-

offerentibus, cum ipse in foco rapa torreret: Malo, inquit, hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare.

ITEM: Agesilaus ille magnus Lacedæmoniorum Rex, nulla in re melius habebat, quàm hi, quibuscum uiuebat. A saturitate & crapula in totum abstinebat. Somno uerò sic utebatur, non ut ille dominaretur, sed ut seruiret negocijs. Aduersus æstũ & frigus sic erat instructus, ut quatuor anni temporibus unicis tantum uestibus uteretur. Cæterum cum in tentorijs inter milites ageret, uelut unus quilibet è numero, nihilo meliorem culcitram habebat quàm cæteri, illud aßiduò habens in ore: Principis esse, non mollicie, delitijsue, sed temperantia, ac fortitudine priuatis hominibus antecellere. O uerè regiam uocem. Era. 1. ap.

ITEM, Diuus Aurelianus Imperator uestem holosericam neque ipse in uestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio bracteato serico uteretur, ille respondit: Absit, ut auro fila pensentur. Idem habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neq; in argentum mitteretur, dicens: Multum auri eße in rerum natura, sed per uarias bractearum, filorum, et liquationum usus perire, quod non item in poculis, quæ admittebat, aureis fieret.

Quod

Quod hodie ferè nullus uidetur perpendere, cũ tamen intelligat, quantum auri pereat in ferculis, in uestibus sericis, in lignis, in lapidibus, atq; in alijs mille rebus inauratis, idq; inutili nimis studio, et malorum irritamento.

ITEM: Alexander Seuerus Imperator uestes sericas ipse raras habuit, holosericas nunquam induit, subsericam nunquam donauit. Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri, dicens: Si lintei idcirco sunt, ut nihil asperum habeant, quid opus est purpura? In linea aurum autem mitti, etiam dementiam iudicabat, cum asperitati adderetur rigor.

Ael. Lam.

ITEM, Didius Iulianus Imperator tantæ parsimoniæ fuisse perhibetur, ut per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret, si quis ei fortè misißet. Sæpe autem nulla existente religione, oleribus, leguminibusq; contentus, sine carne cœnaret. Atqui cõuiuia iam nulla celebrantur, nisi quæ pingui ferina, simul ac piscibus omnigenis luxuriosa, superbiant, & fastuosa ferculorum opiparorũ infinito numero renideant, nemo grauitatis uel autoritatis alicuius approbatur, nisi qui plenas preciosis uarijs uestimentorum exoticorum generibus arcas omnes habuerit. Nemo denique bonus ac celebris habetur, nisi qui luxu prodigioso nobilem se fecerit. Hinc est, quòd annonæ tanta caritas ingrauescat

Ael. Spar.

uescat indies, & ubique rerum inopia maior impen deat omnibus, qui degeneres à sanctis proauorũ suo rum moribus non cessant deerrare. Illi sorte sua contenti, nihil ambitiose, nihil sumptuose, nihil superbè, nihil deniq; luxuriose faciebant: & ideo bo no iure diuites, omni copia rerum abũdabant. Iam contrà facientes, & luxu uesano perditos, ipsa bo na, si uelit, Fortuna fortunare, non potest. Illi quo nobiliores, quo ditiores, quo fuerunt potentiores; eo magis humiles, modestos atque temperantes sese gessisse prædicantur. Sed in alijs frugalitas aut mũ dicies uel inopiæ tribui potest, uel parsimoniæ, si quis iniquius interpretetur. Erasmus in prin. instit.

At eadem in Principe nihil aliud esse potest, quàm temperantiæ documentum, cum his rebus mo dicè utitur, cui quantum libet, tantum suppetit. Illi optimum condimentum sal arbitrabantur, peregrinis nunquam delitijs fracti. Iam insaniunt homines, tot aromatum tam carorum species coëmendo, capsasq; omnes implendo pipere, zinzibere, saccaro, cynamomo, harundinis melle, nucibus myristicis, cariophylis, & id genus alijs. Illi poculentis, ut ita loquar, & esculentis, quæ solum natale tulit, cõ tenti uixerunt: Iam aliqui longo desiderio tabesce rent Heroës, nisi plurimis subditorum, uel aggrauationibus, uel molestijs aduectum posiderent, & fortiter biberent peregrina uina, Alsaticum, Ne-

caricum, Rheticum, Maluaticum, Maßicum, & similia. Ad hæc emorerentur, nisi omnes omnium piscatorum, aucupum, fartorum, cupedinariorum, atque exterorum pharmacopolarum opes haberent, ac certatim abligurirent. Illi non alias, nisi quas oues patriæ produxerant, aut quas uicini parauerant, uestes corporibus suis aptabant, peregrinas non induebant: Iam nemo est, qui non uestes subsericas, undulatas, damascenas, & acupictas gerat, qui non serica uillosa portet, qui non purpuratus, & inauratus incedat, ut iam plurimos uideas, non modò scribas aulicos, quæstores, secretarios, uigilum, castrorum, fabrorum, prætoriorumq; præfectos, sed etiam plebeios ac priuatos homines, ornatu multo preciosiore, quàm olim Comites, uel Principes, effulgere. Multo item plura, tapetum, metallorum, & gemmarum, poculorumque argenteorum ac aureorum genera, summo precio comparata, poßidere. Breuiter, tantam rerum cariorum exoticarum copiam, ad nihil ferè aliud, quàm ad uanarum mundi pomparum, atque luxus genera conducentem esse confirmant, ut bona pars neglecta iacens, situ canescat, uel à tineis & blattis arrodatur, penitusq; ad nihilum redigatur, maximè in potentum nonnullorum Heroum aulis, ubi superbus unicus nepotum apparatus omnes proauorum splendentiores ornatus, multis parasangis iudicetur

tur exuperare. Hinc est, quòd unus illorum egregias basilicas, operosa templa, speciosa monasteria, & utilia Reipub. monumenta sine subditorum aggrauationibus potuerunt extruere, quæ iam cõplures, subditorũ facultatibus adiuti, uix possent.

Illustrißimus olim piæ memoriæ Princeps D. Henricus Lantgrauius, non ut modò plerique, fastuoso luxu diffluebat, qui nigra plerunque lanea ueste contentus, in pileo gestare solebat argenteum siphunculum, qui duabus, quarum receptaculum fuerat, pennis gallinaceis exornatus, uidebatur Heroi maximo maximum ornamentum. At iam uideas puellam plebeiam, cuius unicum reticulum, uel redimiculum, multo pluris constet, quàm Principis illius summus omnis constiterit ornatus capitis. Et reperiuntur multi plebeij, qui profestis iam diebus multo nitidiores atque comptiores, quàm festis ille, soleant ambulare, & si fuerit oportunitas ostentandi, bis, ter, aut quater habitus preciosos mutare. O pauperiem superbam, odiosam coram Deo & hominibus.

D. Henricus Lantgrauius.

Ecclesi. 25.

ITEM, Generosus olim piæ recordationis Comes, D. Philippus, Comes in Catzenelbogen, eximius Christianæ frugalitatis amator fuit. Qui in arce sua Hadamaria, contentus simplici, sed mundo rerum apparatu, faginis patinis, ligneis coclearibus, tornatilibus poculis, & quernis candelabris

usus. Illud autem, quo solebat ipse uti, candelabrum ab alijs discretum, in summitate ferreos duos candiculos, aut fistulas, quibus candelæ superimponebantur, habens: Iam ferè nemo ciuis est, qui non fastiditis ligneis supellectilibus, argento uel auro, prandeat, atq; cœnet, multo lautior, quàm ille uixerit, ambitiosior denique multo triumphet indies. Sed

Prouc. 21. redigitur ad inopiam, qui amat gaudia, & quisquis amat uinum, & pinguedinem, non ditescet. Quod quidem uerißimum esse, uel hoc præsens exemplum documento fuerit. Frugalis ille Comes omnia granaria frumentis, promptuaria penoribus, apothecas uinis, arcas deniqui argento atque auro plenißimas habebat. Vnde quidam cum illo pactus se nummum aureum daturum, si pecuniam, & aureum thesaurum sibi uidere liceret. Comes non solum uidendi sed etiam quantum unico raptu posset, auferendi potestatem obtulit, & statim ad arcam duxit hominem, inquiens: Ex pacto iam rape, quantum potes. Auidus prædæ manum thesauro protinus iniecit, sed lupus hiãs spe frustratus abijt, nullo cum fructu, maiore autem cum digitorum atque unguium detrimento. Erant autem aurei nummi ita confertim ex ordine concinnati, ligneoq; malleo compacti, ut inde nihil poterat eximi. Atqui nostro iam seculo, quo peregrina luxuria defluxit in Germaniam, nihil pecuniarum remanet, uniuersam

uersam enim auferunt œnopolæ, gemmarij, popino nes, nuguendi, mercatores, atque Phrygiones exteri.

ITEM: Prædicti Comitis filia, piæ memoriæ domina Anna illustrißimi Hessorū Principis paulo antè dicti D. Henrici Lantgrauij &c. uxor, nunquam purpurata, uel quisquiliata inceßit, sed simplicibus uestimentis laneis nigris usa, & quod uiuentes adhuc aliquot Marpurgenses uidêre ciues, humilimis calyptris, uulgaribus peplis, & inemptis capitalibus ornamentis. Iam ferè nulla pauperis uxor est, quæ non illam omni uestimentorum genere superet. Nulla ferè est, quæ non pepla gerat, lato triplici limbo aureo distincta, moniliaq; auro rigida. Paucæ iam uiros quiescere sinunt, nisi porcis, bobus, aut frumentis diuenditis, emant superbis uxoribus, cestos aureas, scapularia uel amicula serico uilloso fimbriata, crocotas denique bissinas, roseas, uiolaceas, aut prasinas. Ita miseri nos id modò nostris in uxoribus tolerare cogimur, quod olim in filia sua Iulia ægerrimè tulit Augustus Cæsar, ad quem licentiore habitu ueniens illa, patris tacentis oculos offenderat, Mutauit cultus sui postera die morem, & lætum patrem affectata seueritate complexa est. At ille qui pridie dolorem suum continuerat, gaudium suum continere non potuit. Et quantum ait in filia Augusti pro

Macr. Sat. li. 2. ca. 5.

babilior est hic cultus, quibus significauit: Principum liberos ante omnia decere modestiam. Ridiculos esse, qui se magni habendos credunt apud suos, si strepitu, cultu, luxuque sese quàm maximè ostentent. Quis enim magnum putat, Principem auro, aut gemmis ornatum, cui norunt omnes, tantum esse, quantum uult? Et interim, quid aliud ostentat, quàm calamitatem suorum ciuium, suo dispendio alentium hunc luxum. Denique quid aliud prodit hac ratione suis, nisi seminarium scelerum omnium. Documento sit Hieronymus ille Syracusanorum tyrannus, cuius superbum apparatum, habitumq; conuenientes sequebantur mores, contemptus omnium hominum, superbæ aures, contumeliosa dicta, aditus, non alienis modò, sed tutoribus etiam difficiles, libidines nouæ, & inhumana crudelitas. Quorum criminum euitandorum gratia, nō pauci apud proauos nostros Christiani Principes modestiam potius ac frugalitatem, quàm spurcum luxum amplecti maluerunt. In quorum numero piæ recordationis Dux Gelriæ D. Arnoldus, Caroli auus, claruit, qui nimios aulæ strepitus odio prosecutus, nunquam sericam uestem induit, semper usus lanea Londina. Tandem acceperat sericam uillosam, à Domino Philippo Duce Burgundionum dono missam unam, hanc nihil admiratus, quum semel atque iterum toto induisset anno, sese

Erasm. in prin. insti.

Liu. li. 4. sec. bel. pu.

Ex colloq. Ger. No.

numma

minimè suspexit, nusquam ostentauit, sed potius ludibrio, quasi dißimilem sibi redditum, solitus fuit habere.

ITEM: Piæ memoriæ Dux primus Cliuensis, Dominus Arnoldus in uehementer acerbum apparatus superbi, ac peregrini luxus odium peruenerat. Simplicem igitur, ac modestam in aulis uiuendi rationem à filio D. Ioanne, eius nominis Duce Cliuensi primo seruari uoluit. Sed hic in Gallijs aliquot annos uitam exigens, patriam dedidicit, ac superbiorẽ exteræ gentis consuetudinem assumpsit. Quare quum à Nauarorum nobilißima familia duxisset uxorem, statuit in patriam redire, sed apparatu & equitatu Gallico instructus. Aduentantem filium, & peregrino luxu tumidum uidens, ad hæc plurimorum insuetas campanellas, atque tintinabula mulorum audiens Dominus Pater excanduit, inquiens sua dialecto: Da kompt Hennicken mit den bellen. Hoc est, filius meus Ioannes uenit cum tintinabulis, quibus exprobrauit illi peregrini, quem affectauerat, luxus uanitatem. Hoc ipso senis Principis dicto, ut prouerbio celeberrimo filius sæpenumero solebat uti, ac secum iocari, confessus Dominum patrem uera dixisse: nempe ridiculum esse, si quis Principum frugalitatem patriam, cum luxu peregrino non erubuerit permutare.

Plura summorum Principum & modestia & frugalitate conspicuorum exempla iam recensere supersedeo, nihil ambigens, quin in multis adhuc aulis sint auitarum historiarum experientia clari uiri, à quibus Princeps si quis fuerit studiosus, poterit accipere, & intelligere, iam longè maiorem, quàm fuerit unquam in Germania, luxum: & multo plures inutiles opum profusiones esse, non in patriæ, uel Reipublicæ commoditatem cedentes, sed in uanam gloriæ breuioris ostentationem: Diogenes olim Dionysiaca certamina, quæ Athenis in honorem Bacchi magnis impendijs pompaq; celebrabantur, appellabat magna stultorum miracula. Dij boni, quo nomine, si ueniret hodie, uocaret, tot pomparum, tot ludorum, tot equiriorum, tot apparatuum, tot denique profusionum genera, ea potißimũ quæ maximis impendijs, ac subditorum molestijs facta, nihil prorsum utilitatis adferunt, sed Rempublicam grauant, & abeuntia uanißimam, uix trium aut quatuor dierum famam sui relinquunt,

Eras.3.ap.

Quæ conspicatus Ecclesiastes dubio procul exclamaret: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas. Et Cicero: Stultorum plena sunt omnia. Nato Augustißimo Cæsare Carolo Gandaui, maxima fuit operosæ structuræ tabulatio, quæ longum aulicæ põpæ transitũ, et ueluti porticum à turre Bellefort, ad S.

Eccl.12.

Cic.4.epi. famil.

Joannis ædem præbuit, maximis impendijs erecta. Hanc in aëre supra domos ciuitatis omnes libratam, funes nautici, cucuminibus fastigiorum urbis alligati, tenaciter asseruabant. Quod ut immensi laboris ac precij, sic horarum paucarum, & exiguæ publicæ commoditatis opificium, si uidissent olim, forsitan insigne profusionis & ostentationis argumentũ uocassent Ethnici, Qui magnos sumptus in Reip. utilitatem minimè collocatos prodigalitatem interpretabantur. Prodigos enim uocabant, qui epulis, uisceràtionibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, uenationumq́; apparatu pecunias profundebant in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam sint relicturi omnino. At illæ impensæ meliores sunt, ut muri, naualia, portus, aquarum ductus, omniaq́; quæ ad usum Reip. pertinent. Quæ reuoluens animo Cæsar Augustus, Romam multis modis ornauit, & communiuit. Vnde non sine caussa gloriari, & dicere solebat: Romam latericiam accepi, marmoream relinquo. Nihil Principi magnificentius, quàm si ditionem quam accepit, reddat statu meliorẽ. Certè Laconicum illud prouerbium dignum habetur, quod omnibus Principum insignibus asscribatur: σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει. id est, Spartã sortitus es, hanc orna. Cuius memor Ap. Claudius Cæcus Brundusiũ strauit lapidibus, unde illa Appi

Cic. 2. offi.

Suetoni. in Cæsarib.

e dicta. Aquam Anienem in urbem induxit.

Pli. 10. epi ITEM: Traianus Imperator pecunias dedit, ad magnum necessariũ opus, quo ciuitatis Amastrianorum, flumen pestilens odore teterrimo, emendaretur. ITEM: M. Antonius Philosophus fa-

Iul. Capit. mis tempore frumentum ex urbe donauit prouincialibus, scenicas donationes temperauit. Vias etiam urbis, atq; itinerũ diligentissimè curauit. Rei frumentariæ grauiter prouidit. ITEM: Antoninus Pius Imperator multas ciuitates adiuuit pecunia, ut opera uel noua facerent, uel uetera restituerent. ITEM: Per plurimas ciuitates opera Seueri imperatoris insignia fuerunt. Magnum illud in

Ael. Spar. ciuitate eius, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ uicio temporũ labebantur, instaurauit, nusquam propè suo nomine adscripto, seruatis tamẽ ubiq; titulis conditorum. At hodie quã comparia cõsilia Principum aliquot Christianorũ sint consilijs Ethnicorum, reputare possumus. Multa pro iuuandis & exornandis Rebusp. fecerũt Ethnici. Et quidã Christiani multa, subditos onerando & iugiter affligendo faciunt, pro sola fastus & auli-

Ex. Iul. Ca ci luxus conseruatione. Olim Alexander Seuerus Rhetoribus, Grãmaticis, Medicis, Mathematicis, Architectis salaria instituit, & auditoria decreuit, & discipulos cum annonis pauperum, filios modo ingenuos dari iussit. Etiam in prouincijs

Orato-

oratoribus forensibus, multum detulit, plerisq; etiam annonas dedit, quos constitisset gratis agere.

ITEM, Antonius Pius, Rhetoribus & Philosophis per omnes prouincias, & honores, & salaria detulit. At nostro seculo fortasse plures reperiri possunt, qui mille aureos, commeßationibus, & inani luxu profundere malint, quàm decem in honestarum disciplinarũ usus conferre. Pauci iam qui datis stipendijs, idoneos pauperũ filios curant institui. Pauci qui iurisperitos fouent, ut gratuitò subditis inseruiant, in hoc, ne miserorum facultates forensium auaricia rabularum absorbeat.

Sed spes & ratio studiorum in Principe nostro
Solus enim tristes hac tempestate camœnas — Iuue. sa. 7.
Respexit, claræ cum desertis Aganipes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.

Illustrißimus enim Hessorum Princeps Philippus &c. optimarũ literarum studiorumq; amore flagrans, constituit in urbe sua Marpurgo Gymnasium, &, ut ita dicã, Asylum doctrinarum, quo literarum candidati se recipiant, patefecit. Bonarum artium professoribus salaria, filijs pauperum idoneis stipẽdia decreuit. Cuius Principis exẽplũ imitaturi, hoc imprimis curabũt, ut ingenia studijs apta foueantur, non pro fauore aulico stipendia, citra delectum ineptis conferantur. Nam solet aliquando fieri, ut diuites ac præpotentes, gratia

Principum

Principum adiuti, profligatis pauperibus obtineant omnia, cum tamen prouerbio Germanico non frustra dicatur: Reicher / grosser / weiser leut kinder geraten selten.

Hoc est,

Pignora magnatum, locupletum uel sapientū,
Virtutis nitidæ præmia rara ferunt.

Quod uel unus Ciceronis filius confirmauerit, qui potentißimi simul ac doctißimi patris filius, in maximum euasit nebulonem, & ebriosum ganeonem, inquam, qui solo patris uel tacentis aspectu, doctus ac sobrius euasisse debuerat.

Exdi a. pe. trar.

QVA VIA PRINCIPI CENSUS & annui redditus ita sufficere queant, ut nullam uel occasionem, uel necessitatem habeat, à subditis pecunias extorquendi, aut nouis populū aggrauationibus diuexandi.



Ntonius Heliogabulus imperator luxuriosißimè uixit, ad imitationem Apitij comedere solitus fuit calcanea camelorum, cristas uiuis gallinis demptas, linguas pauonum

num, & lusciniarum. Vna die mißus omnes sola fasianorum carne strui uoluit, alia de pullis solis, alia de struthionibus, alea de piscibus delicatißimis. Alia de alijs. Aßidua celebrauit conuiuia, Sæpius argentum omne, quod habuit in conuiuio, omnemq; ornatum poculorum dedit conuiuis. Semper aut inter flores sedit, aut inter odores praeciosos. Amabat sibi præcia rerum maiora dici, earũ rerum, quæ mensæ parabantur, orexim conuiuij hanc esse asserens. Canes iecinoribus anserum pauit. Habuit gemmata uehicula, & aurata, contemptis argentatis, & eburatis, & æratis. Primus holoserica ueste usus, linteamen lotum nunquam attigit, mendicos dicens, qui linteis lotis uterentur. Vsus & aurea omni tunica, habuit in calceamentis gemmas, & quidem sculptas, quod risum omnibus mouit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum uideri in gemmis, quæ pedibus adhærebant. Solido argento factos habuit lectos, & triclinares & cubiculares. Onus uentris auro excepit, & myrrhinis, & onychinis minxit. Per singulas urbes præfectos urbis lenones facere uoluit, & ut essent in urbe XIIII. Et fecisset, si uixisset, promoturus omnes turpißimos, & ultimæ professionis homines. Sed breuior uita contigit, quæ si longior illi fuisset, uniuersum imperium tantis profusionibus par esse non potuisset. Turpi autem morte Ael. Lamp.

morte consumpto Heliogabulo, Aurelius Alexan-
den Seuerus imperium accepit, & protinus om-
nes à Rep. & à ministerijs atque muneribus remo
uit, quos impurus ille Heliogabulus ex genere ho-
minum turpißimo prouexerat. Palatium suum
atq; comitatum omnem purgauit, abiectis ex au-
lico ministerio cunctis obscœnis, & infamibus, ne
Remp. annonis grauaret, dicens: Malum pupil-
lum eße Imperatorem, qui ex uisceribus prouin-
cialibus, homines non neceßarios, nec Reipub.
utiles pasceret. Gemmas tulit de calciamentis &
uestibus, quibus usus fuerat Heliogabulus. Veste
alba, nec aurata, penulis togisq; cõmunibus usus.
Vnde factum, ut quæ rerum copia, luxu perditum
defecißet Heliogabulum, affatim Alexandro sup-
peteret, frugali solius beneficio parsimoniæ, quæ
magnum (ut aiunt) uectigal. Et hodie certè, ad in-
opiam redigi poterunt, ac simul impelli, ut mul-
tum à subditis emungant, atque indies extorque-
ant, qui fuerint Heliogabulum imitati, aut Nero-
nem teterrimum Cæsarem, qui prælautos & ma-
gnificos iudicabat eos, qui pecunijs abuterentur,
ac deperderent. Quod cum fecißet ipse, pecu-
nijs destitutus & exhaustus, calumnijs atque ra-
pinis intendit animum. Contrà qui frugalis Alex-
andri uestigijs institerint, rerum copia nunquam
destituentur. Optimè enim augetur Principis
censu-

Ex Sueton.

tensus, cõtractis impendijs, Nã cõmodißima augen- Er. in prin
di uectigalis ratio, si Princeps sumptus superua- institut.
cuos amputauerit, si ministeria ociosa reiecerit, si
bella & his similimas peregrinationes uitauerit,
si officiorum rapacitatem cohibuerit, & si magis
studeat rectè administrandæ ditioni suæ, quã pro-
pagandæ. Huius rei gratia, ita memoratus Cæsar Ael. Lamp.
Seuerus aulicum ministerium in id contraxit, ut
essent tot homines, in singulis officijs, quot neces-
sitas postularat. Et Antonius Pius Imperator, sa- Iul. Capit.
laria multis subtraxit, quos ociosos & inutiles
uidebat accipere, dicens: Nihil esse stolidius, imò
crudelius, quàm si Rempub. ij arroderent, qui ni-
hil in eam suo labore conferrent. Et Iulianus Im-
perator Eunuchos, coquos, tonsores eiecit è pala- Er. 2. apo.
tio. Rogatus quam ob caussam, Negauit sibi opus
esse eunuchis, quum uxor decessisset, nec opus esse
coquis, quod simplicißimis cibis uteretur. De ton-
soribus dixit, unum multis sufficere. Quippe cen-
sus & prouentus annui, satis copiosi durabunt,
atque sufficient in ijs aulis, in quibus prædictorum
eorumq; similium Cæsarum & Heroum exem-
pla, Domini, memores illius, Magnum uectigal
parsimonia, fuerint imitati, hoc est, ubi turpi ho-
minum sentina repurgauerint aulas, & ociosos
atque inutiles expulerint uentres, quos non iniu-
ria uitæ Charybdes appellare solebat Socrates,
quòd

quòd omnia uorarent, nec satiarentur unquã. Charybdis tantum ea sorbet, quæ mari uehuntur, & reuomit tandem quod absorbuit. At Lurconum uentribus nec aër, nec terra, nec flumina, nec maria sufficiunt, quin & domos & agros totos absorbent, nec reuomunt. ITEM, Fiscus non facile, nec citò nimis exhaurietur, ubi seruata fuerit aurea mediocritas, ubi largitionibus nihil expensum chartis lusorijs nihil profusum, inutilibus magis quàm necessarijs apparatibus atq; structuris nihil exhaustum, commessationibus assiduis nihil decoctum, Turpi deniq; rerum abusu, nihil uecorditer absumptum, idq; non solum in aula, sed etiam extra. Nec parum utilitatis sibi repositum in frugalitate subditorum Princeps existimabit. Certè ut florens Principis fortuna subditos iuuare, sic beata subditorum frugalitas, quam à uorace luxus Charybde cõseruauit adsertrix Parsimonia, laboranti Principi multum prodesse potest. Prudenter igitur fecerit Heros Christianus si uesanum luxus usum, aula sua primum, deinde finibus suæ ditionis omnibus exploserit, atq; potenter eiecerit, optimò frugalitatis exemplo suis omnibus præeundo. Ante paucos annos fuerunt, qui cum uiderent nimiam subditorum luxuriem in alimonijs, & corporum ornamentis, dixere: Certam inituri sumus rationem, qua prorsus istam fastuosam tollemus ex

Er. 5. apo.

superantiam. Vulgo enim ita pecunias extorquebimus, ut superbia uix habeat, quo nates cōtegat. Sed ista ratio fallax est, Nam ea subditos ad insaniam citius redegerit, quàm ad frugalitatis normam reuocauerit: Id alia faciundum erat uia: nempe legibus, sed ijs tantū, quæ Reip. utiles, & quas ante omnia bonis ipsi conditores, earumq́; adsertores exemplis exprimant, aut confirment. Ridiculæ leges sunt & inutiles, quas ipsi conditores, cum suis domesticis rident, & fastuosi transgrediuntur. Quid enim prodest foris esse strennuum, si domi malè uiuitur? Expugnentur licet urbes, corripiantur gentes, Regnis manus inijciantur, nisi foro, & curiæ officium, ac uerecundia sua constiterit, partarum rerum cœlo numerus æquatus, sedem stabilem non habebit. Tyberius Cæsar ut parsimoniam publicam exemplo suo iuuaret, solennibus ipse cœnis pridiana sæpe ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumq́; aprum. Modestissimus olim Imperator P. Scipio, quam exercuit ipse, requisiuit in alijs frugalitatem. Is Censor creatus adolescenti cuidā equum ademit, quòd eo tempore, quo Carthago oppugnabatur, splendidè cœnatus, libum in urbis similitudinem figuratum, cui Carthagini nomen indiderat, conuiuis diripiendum proposuisset. Iuuene uerò caussam sciscitante, cur equo priuatus esset, quoniam inquit Scipio

Val. lib. 2. cap. 4.

Sue. in Cæ.

Er. 5. apo.

me prior Carthaginem diripuisti. Lycurgus pe-
Plut. in ui. regrinos omnes eijciendos statuit, qui non eam,
Agidis. quàm ipse frugaliter instituerat, uiuendi normam & institutum seruare uellent, non sanè corporibus illorum hostis existens, sed uiuendi eorum morem reformidans, ne ciuibus suis permisti, eos quoque luxuriæ & diuitiarum inficerent cupiditate.
Plu. in ap. Idem Lycurgus ciues suos ad temperatiorem uiuendi rationem traducere, eosq; uirtutis & honesti studiosos reddere conatus, quibusdam percontantibus, quam ob caussam statuisset, ut ad ædium culmen imponendum, fabri securi uterentur, ad fores uerò addendas sola serra, nec ullo alio instrumento. Vt, inquit, ciues mediocritatem seruent in omnibus, quæ ad ædes inferunt, neque quicquam habeant earum rerum, quæ apud alios sunt admirationi. Videbatur enim indecorum, si per ostium rude ac uile, suppellex inferretur exotica, precio chara, arte operosa. Id ne fieret ipsæ quodammodo fores admonebant. Hinc aiunt accidisse, quòd Leotychidas primus apud Lacones Rex cum cœnaret apud quendam, cerneretq; tectum sumptuoso apparatu factum, ac lacunaribus ornatum, rogabat hospitem, num ligna apud eos quadrata nascerentur: adeo luxum esse putabat, naturam artificio corrumpere. At quid hodie Leontychidas diceret, si non in ligneis ædificijs so-

lum,

tum, sed in omnibus rebus tantum uideret luxum, quantus tempore uix fuerit ullo. Paucißimi iam secum habitant, ut norint quàm restet parua supellex. Iam plebeios nobilibus, nobiles comitibus, Comites Principibus, Principes Regibus ac Cæsaribus uideas æquatos omni luxus genere. Iam uulgo cerdonum pauperiorum filios habituum ac conuiuiorum apparatu uideas multò sumptuosiore luxuriari, quàm Heroas annuis redditibus ditißimos. Quæ uiuendi licentia gignit ferociam, ac magistratus contemptum. Sed Principem decet ambitionem & sumptus, quibus alitus irritatusq; animus atrocior & ferocior fit, omni studio de ciuitatibus procul depellere atq; eijcere: quod si minus efficere poterit, ab ijs abhorreat eos declinet, ijs deniq; refragetur pro uiribus, qui talia expetunt, atq; perniciosißimè student. Rectè igitur Isocrates: Ne negligas, inquit, priuatorum domos, existimans & eos, qui sua profundũt, de tuo depẽdere, atq; decoquere: & qui industria rem augent, tibi diuitias parare. Omnia enim ciuium bona æqui Principis sunt propria. Quod cũ ita sit, iure bono Princeps insaniam decoctorum compescuerit, promulgatis in id salutaribus Reipublicæ legibus. At hic protinus homines insulsi, cum Duronio illo Tribuno plebis dicerent: Freni nobis iniecti sunt. Alligati & constricti

Plu. in pol.

Iso. ad Nicoclen re.

Val. lib. 2. cap. 4.

9 Księżne prawo ...

sumus amaro seruitutis uinculo. Lex lata est, quæ nos frugi esse iubet. Quid? non licebit nobis cum facultatibus nostris, quod libeat, facere? Abrogemus istud horridæ uetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus est libertate, si uolentibus luxu perire non licet. Sed ut M. Antonius & L. Flaccus indicta multa senatu mouerunt istum Duronium, ita supplicijs afficiendi, qui bonas de coërcendis sumptibus conuiuiorum, atque rerum luxuria latas leges, uel contemnere, uel abrogare nituntur.

ITEM: Principis facultates augebuntur, si non prægrandi nimis equitatus apparatu studuerit exundare. Equorum enim nimia copia, facultatum ac reddituum gignit inopiam. Frugalis igitur Princeps Christianus, quod Iudæorũ Rex facere iussus, non temerè multiplicauerit equos.

Deut. 17.

ITEM: Principes euadent ditiores, si panno, quem in ditionibus suis, optimi subditorum artifices præparant, contenti, non in exoticas uestes tantum pecuniarum profuderint, imitati Cæsarem Augustum, qui ueste non temere alia quàm domestica usus est, ab uxore, & sorore, & filia, neptibusq; confecta. Togis neq; restrictis, neq; fusis, Clauo nec lato, nec angusto. Præterea si patriam annonam ac prouentus amplexi, non tantis impendijs, per maria, per terras irritamenta uoluptatis

Ex Sueto.

tatis quæsiuerint. In eos, id qui faciunt, inuehitur Seneca, inquiens: Dij istos deæq; perdant, quorum luxuria tam inuidiosi imperij fines transcendit. Vltra Phasim capere uolunt, quod ambitiosam popinam instruat: nec piget à Parthis aues petere. Vndique conuehunt omnia uota fastidienti gulæ. Quod dissolutus delitijs stomachus uix admittat, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt ut edant, edunt ut uomant: epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. O miserabiles, quorum palatum, nisi ad preciosos cibos non excitatur. Preciosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi facit. Alioquin si ad sanam illi mentem placeat reuerti, quid opus est tot artibus uentri seruientibus? quid mereatur his, quid uastatione syluarum? quid profundi perscrutatione? paßim iacent alimenta, quæ rerum natura locis omnibus disposuit. Sed hic uelut cæci transeunt, & omnes regiones peruagantur, maria traijciunt, & cum famem exiguo cibo poßint sedare, magno irritant. Se. in con. ad Albi.

POSTREMO redditus Principum annui non citò nimis deficient, nec quotannis uelut inter digitos dilabentur, si peregrinationibus longinquis maximos sumptus requirētibus abstinuerint, difficiles expeditiones non obierint, nec graues Peregrinatio

denique comitatus assumpserint. Quare Antoni-
Ail. Capit. us Pius Imperator imprimis celebratur. Qui resi-
debat in urbe, unde nuncios medius, ut pote citius
posset accipere: nec ullas expeditiones obijt, di-
cens, grauem prouincialibus esse comitatum Prin-
cipis, etiam nimis parci. Et rex apum, qui nunquã
procul auolat, & alas, quàm pro corporis porti-
one minores habet, Principem bonum admonet, ut
intra regni sui terminos uersetur, & minimis im-
pendijs negocia Reipublicæ maxima procuret.
Plut. lib. 2. Cuius ut admoneretur Pelopidas, cum conuiuia
Symposia. cum ducibus collegis agitaret, in fine conuiuij sole-
bat acetum bibere. Percontantibus num id condu-
ceret ad sanitatem: Nescio, inquit, Illud scio bo-
num esse ad hoc, uti quis meminerit domesticæ diæ-
tæ, siue domesticorum negociorum. Sentiens mix-
tum lauticijs acorem atq; amariciem admonere
Principem in medijs gaudijs triumphantem, fruga-
litatis atq; officij sui.

DE LAVTO PRIN-
cipis uictu.



Sen. ep. 21. Væ rere quemadmodum post satu-
ritatem quoq; esuriant, quemad-
modum non impleant (cum natura
non delectari, sed eum impleri ue-
lit) uentrem, sed farciant. Item
sapores

sapores atq; odores nosse, Mensas opiparas uenerari, aurea uasa admirari, ad pocula deniq; gemmata stupere, fortium Heroum non est, sed eorum, qui damnosis stomachum sarcinis onerare, & nimis ambitiosi, maximam in humana gloria spem collocare solent. Quondam Ethnici Duces gloriosi, ut Curius, Quintius Seranus, Cato Censorius, aliiq; complures, parcè, sobriè atq; asperè uiuentes, hostium nobilißimorum domini facti sunt. Iam splendidorum ferculorum, atq; magnificorum apparatuum admiratores teterrimæ uoluptatis mancipia fiunt. Augustus olim Cæsar, qui fortasse paululum te lautior esse potuerat, cibi, sic enim de illo traditur, minimi fuit & uulgaris ferè. Sileo, quibus uesci solitus, ne quasi rusticanus paterfamilias contemptui tibi sit, inter Phasianos, & ficedulas, ac pauones tuos, illius Principis secundinus panis, & caseus bubalus, & minuti pisciculi rideantur. At quanto melius fasiani isti uestri, & mensarum decus eximiũ, & gulæ summa felicitas, apud Colchon semper, & Phasidem latuissent, quàm huc ad corrumpendum orbem nostrum, & irritandas illecebras aduolassent. Quanto fuit honestior ætas illa, de qua Naso ait:

Petr. 1. di. 28.

Suet. in Cæ.

Piscis adhuc illis populis sine fraude natabat,
Ostreàq; in conchis tuta fuere suis.
Nec Latium norat, quam præbet Ionia diues,

Oui. in Fas.

Nec quæ Pygmæo sanguine gaudet auis.

Sed dicat aliquis Heroum: lautissimè ab infan-
Ex dia. Pe- tia sum educatus, lautissimo igitur uictu frui, ua-
trar. rijsq; delitijs oblectari soleo. Multum tibi hoc ui-
detur: parum est, eritq; mox nihil. An ideo magis
tibi, quàm duro agricolæ uermes parcent, an cibo
molliore uescentur auidius? Non iocor tecum, nec
te terreo. Scis, & si fortè dissimulas, te illi conui-
uio præparatam escam, & iam fortè cœnæ tem-
pus instare: certè autem longius abesse iam non
posse. Nam & breuis est lux, famelicíq; conuiuæ,
1. Cor. 6. & quæ mensam instruit, mors impigra: quid tibi
nunc lauticiæ istæ profuturæ sint, uideris. Porrò
cum escæ uentri destinatæ sint, & uenter escis: De
us autem hunc, & illas abolebit, non debet ab esca
rum mollicie uel suauitate, Principis animus, ut
uentris seruus capi, atque effœminari. Rectè Se-
Epist. lib. neca: Esurio, inquit, edendum est. Vtrum hic pa-
penult. nis sit plebeius, an similagineus, ad naturam ni-
hil pertinet. Illa uentrem non delectari uult, sed
impleri. Sitio, Vtrum hæc aqua sit ex lacu proxi-
mo excepta, an uinum, ad naturam nihil pertinet.
Illa hoc unum iubet, sitim extingui. Vtrum sit au-
reum poculũ, an crystallinum, an tyberinus calix,
an manus concaua, nihil refert. Finem omnium re
rum specta, & superuacua deuites. Quicquid na-
turam excedit, scias precarium esse necessarium.

DE

DE BENEFICENTIA Principis atq; liberalitate.



Ionyſius ſenior Corinthiorum legatis ad ſe miſsis, donaria, prout mos eſt, obtulit, quæ cum illi negarent ſe accepturos, eo quòd lex eſſet apud ipſos, uetans ne legatione fungentes munera acciperent à Principe: Rem, inquit, abſurdam facitis, qui quod unum bonum habet tyrannis, hoc tollitis, dum docetis etiam beneficium, à Tyrannis accipere, periculoſum eſſe. Et Q. Fabius Maximus dicebat, abſurdum uideri, ſi quum equos & canes uenaticos familiaritate ciboq; cicuremus, potius quàm catenis aut uerberibus, homines feroces animo, non humanitate ac beneficijs nobis conciliemus, ſed aſperiores in illos ſimus, quàm agricolæ ſunt in caprificos, ac malos ſyluestres, & oleaſtros, qui has non protinus excidunt, ſed inſitione docent miteſcere. Ergo cum Tyrannos ſe muneribus commendare, & potentiæ inuidiam munificentia lenire: Præterea cum feras beſtias mulceri beneficio conſideret Princeps, ipſe benignitate atque liberalitate magis hominum animos ſibi conciliare, quàm aſperitate atque tyrannide ſtudebit abalienare. Quod Auguſtus conſueuit facere. Qui de ſeipſo ſcripſit hæc: Liberalitas mea me ad cœlos euchet. Sicut autem nulla uirtus, ama

Plu. in apo.

Eraſ. 5. ap.

Herodi. de opt. statu.

bilior est liberalitate, ita nullum planè uitium odiosius, tetriusq; est auaritia, in Principibus & Remp. gubernantibus. Habere enim quæstui Remp. ut inquit uerißimè Tullius, non modò turpe est, sed sceleratum etiam ac nefarium. Idem non minus uerè, quàm eleganter tradit: Amorem multitudinis cō moueri ipsa fama, & opinione liberalitatis. Auidius Caßius dicere solebat: Auaritiam in Imperatore esse acerbißimum malum. Habeat igitur bonus Princeps in ore promptum, & in pectore conditum uerbum illud Traiani. Qui fiscum Principis scitißimè lienem uocabat. Nam ut liene crescente, reliqui artus ac membra tabescunt, ita fisco Principis turgente, ciuitatis corpus, unà cum membris lāguescit, & intermoritur. Vt lien modicus uegetat in corpore membra, & auget robur, sic fiscus Principis moderatus nec exuberans, causa est bonæ ualetudinis in corpore ciuitatis.

Philostratus lib. 5.

Vespasianus rogauit Apollonium Thyanæum (quem antiquitas ut diuinum, imò ut deum admirata est) ut ipsum doceret, quæcunq; bonum Principem facere oporteat. Cui Apollonius: Diuitias (inquit) magni æstima, non quæ in occulto repositæ iacent, quid enim hæ ab harenæ cumulo differunt? nec ea, quæ ex collatione tributorum, à gementibus hominibus proueniunt: Atrum enim, sordidumq; putandum est aurum, quod ex lachrymis oritur. Diuitijs autē opti-

mè

mè supra omnes Reges uteris, si cum egentibus eas communicaueris. Bonus igitur Princeps connitetur imitari Deum, qui quum sit in omnes beneficus, ipse nec eget ullius officio, nec requirit beneficium: ita uerè magni Principis est, et æterni Principis imaginem referentis, uel gratis bene mereri de omnibus, nullo uel emolumenti, uel gloriæ respectu. Vnde rectè Seneca: Officium liberalitatis est, omni petenti dare, deos imitari: Si deos imitaris, da etiam ingratis. Nam & sceleratis sol oritur, & pyratis maria patent. Dij rerum omniũ optimi autores, ignorantibus beneficia dare incipiunt, ingratis perseuerant: non cessant dij beneficia congerere, unam sortiti intentionem, scilicet prodesse. Imitemur illos, demus etiam, si multa in irritum data sint. Etenim multa perdenda sunt, ut semel bene ponas, quasi dicat: Non est curandum, si multa perdantur, dummodo aliquid bene detur. Quia uno bene posito beneficio, multorum amissorum damna solatur. Smicythus olim Nicanorem deferebat apud Regem Macedoniæ Philippum, quòd sine fine de ipso malè loqueretur, quumq; suaderent amici, ut hominem accersi iuberet, deque eo supplicium sumeret, Philippus Rex ita respondit: Nicanor non est Macedonum peßimus, uidendum est igitur, necubi nos cessemus in officio. Vt igitur cognouit uehementer adflictum inopia, & tamen

Sen. de beneficijs.

Ex Plutar.

tamen à Rege neglectũ fuisse, iußit donum aliquod ad illum deferri. Hoc facto, quum rursus Smicythus diceret regi: Nicanorem apud omnes sine fine prædicare laudes ipsius. Videtis igitur, inquit, in nobis esse situm, ut bene aut malè audiamus. Immane quantum absunt ab huius Principis ingenio, qui nunquam uidentur sibi satis laudari, cum nihil faciunt laudandum, nec student munificentia, & beneficijs sibi conciliare beneuolentiam hominum, sed metui malunt, quàm amari: cumq; sæpenumero faciant detestanda, idq; palàm, tamen perijt, quisquis ausus est hiscere. Redamatus, & uera laude prædicatus olim Cyrus Persarum Rex, inter cæteros beneficus ac liberalis, adeò ut dictitare soleret, se thesauros habere diuitiarum, amicos, quos donationibus diuites opulentosq; efficiebat, dicere solitus: Consimilia eße opera pastorũ atque Regum. Nam sicut pastorem decet præstare, ut pecora habeat læta, & succulenta: ita Regem par est, ciues & subditos facere felices, & opulentos, non quotidianis exactionibus infortunatos & inopes. Huic Cyro Regum munificentißimo dixit olim Crœsus fore, ut immodica donans pauper fieret, cum posset domi recondere thesauros ingentes. Cui Cyrus: Quantam, inquit, pecuniæ summam putas me in hodiernum potuisse colligere, si aurum nulli dono dedissem, ex quo tempore in imperio sum? Crœsus in

Beroal. de opt. statu.

finitum

finitum quendam numerum respondit. Tūc Cyrus: Tibi (inquit) ostendam maiores me pecunias poßidere. Mitte quempiam ex tuis, cum nuncio meo. Mox conuersus ad Hystaspam: I Histaspa, inquit, ad amicos meos, dic indigere me auro. Roga, ut mihi suggerant affatim pecuniam, præscribeq́; quantum quisq́; amicorum mihi uelit contribuere. Iuit ille, petijt, conscripsit, et maiorem pecuniæ summam supputauit, quàm duxerat Crœsus futuram in thesauris, si ea conseruaßet: Vbi hoc patuit: Vides ne inquit Cyrus, ò Crœse, mihi thesauros esse. Nam dum amicos diuites reddo, hos mihi thesauros comparo, & longè quidem fideliores, quàm si ipse domi defodissem.

IDEM aiebat se pecunias ob id desiderare, ut amicis subueniret, eosq́; sibi adstringeret: Diuitiæ enim erogatæ faciunt amicos plurimos. Prouc. 19.

Munera, crede mihi, placant homines'q; deosq́;,
Flectitur iratus Iuppiter ipse datis. Oui. 3. art.

Terrenarum quidem opum instabiles diuitiæ, fluuiorum imitantur cursum. Modicum enim adfluunt his, qui habere se eas arbitrantur: mox uerò refluentes ad alios accedunt. Atque solus beneficentiæ thesaurus stabilis est poßidentibus eum. Bonarum enim actionum meritum ad autores retorquetur. Quod intelligentes haud grauatim deberent Principes ab omnibus sordibus, atque iniurijs deterreri, ad Aga. ad Iu.

vi, ad clarißimam autem uirtutem liberalitatem in flammari, quæ subditos reddit deuotos, fideles, obnoxios, qua immortales efficiuntur, quæ deniq; tanti momenti est, ut poßit Princeps, obtentu liberalitatis obumbrare crimina, tantum non enormia, & hac una laude pensare. Rectè igitur Cleobulus dicebat, amicos beneficijs fouendos, ut amiciores essent, inimicos autem faciendos amicos. Cuius rei

Era. ap. 5. gratia Scipio minor (quia annis quinquaginta quatuor, quibus uixit, nihil emit, nihil uendidit, nihil ædificauit) Polybij secutus præcepta, dabat operam, ne quando è foro rediret domum, priusquam sibi quocunque modo, quempiam eorum, in quos incidißet, familiarem & amicum reddidißet, sentiens nullam esse homini poßeßionem meliorem. Et Princeps Christianus hoc animo erit, ut eum diem sibi periyße putet, quo non beneficio suo iuuerit aliquem. Hinc T. Vespasianus Flauij filius, quum quadam die in cœna recordatus fuißet, nulli illa die se quicquam præstitiße, dixit amicis: Hodie di-

Eutr. lib. 7 em perdidi. Et Alexander Seuerus Imperator cogitare solebat secum, & descriptũ habere, cui quid

Ael. Lam. præstitißet. Et si quos sciret, uel nihil petisse, uel non multum, unde sumptus suos augerent, habere, uocabat eos, & dicebat: Quid est, cur nihil petis? an me tibi uis fieri debitorem? Pete, ne priuatus de me queraris. Et rex Persarum Artaxerxes,

Xerxis filius cognomento Longimanus, quòd alteram manum longiorem haberet, dicere solet: Regalius eße addere, quàm adimere, sentiens Principe dignius eße, honorem & opes eorum, quibus imperat, augere potius quàm imminuere.

ITEM, Ptolomæus Lagi filius, qui plerunq; apud amicos & cœnare solebat, & dormire, quòd si quando illos uicißim acciperet cœna, amicorũ rebus utebatur, commodato sumens ab illis pocula, aulæa, & mensas. Ipse uerò sibi non parabat plura, quàm exigeret neceßitas. Sed regalius eße dicebat ditare, quàm diuitem eße. Era. 5. ap.

ITEM, Dionysius senior, cum ad filiũ ingressus conspexißet uasculorum aureorum & argenteorum magnam uim, exclamans: Non est (inquit) in te regius animus, qui his poculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris. Sentiens absque ciuium beneuolentia regnum nec parari, nec teneri poße. Beneuolentiam uerò maximè conciliari munificentia. At iuuenis rerum imperitus, putabat eße felicius habere argentũ & aurum, quàm amicos. Nõ abs re fictis poëtarũ fabulis proditũ est, deos nusquam accedere solitos, nisi magno quopiã bono eorũ, à quibus excipiebantur. Quibus significabãt heroas ditißimos et potentißimos ubique debere miseris & humilibus apparere, cum prõpto iuuandi atq; protegendi studio. Hinc bene- Ex Plutar. Erasmus in prin. instit.

factores

factores Principes Ethnici Deos appellabant. Antiquitas enim nihil aliud existimabat deũ esse, quàm prodesse mortalibus. Hinc Virgilius Augustũ Cæsarem, deum suum uocabat, Et frugum, uini, legum autores, & quicunq; ad uitæ commoditatem aliquid attulißent, eos pro Dijs habebat antiquitas. Adeò, ut & beluas quasdam pro numinibus coluerit, uelut apud Aegyptios Ciconiam, apud Romanos Anserem. Atqui quum aduentante Principe ciues si quid est elegantius in supellectili, abscondũt, filias insigni forma recludunt, adolescentes ablegant, opes dißimulant, ac modis omnibus contrahunt sese, nonne re ipsa satis indicant, quam de eo habeant opinionem, quum id faciunt, quod facerẽt, non apparente Deo, sed adueniente hoste, aut prædone, aut cacodæmone, cũ ad Principis aduentum ijs timent, quæ illius officij fuerat tueri, si quis fortè insidias, aut uim pararet. Ab alijs timent insidias, ab illo uim quoque, cum alius queritur se pulsatum, alius abductam uirginem, alius stupratã uxorem, alius negatam mercedulam. Papæ, quantum hic aduentus abest ab illa Deorum imagine, cum ciuitatum, ut est quæq; florentißima, ita maximè suspectum habet Principem, quum ad Principis aduentum sceleratiores exiliunt, optimus quisque, et cordatißimus cauet & contrahitur, ut nihil loquantur, certè factis prædicant, quam habeant de Principe

cipe

cipe opinionem. At respōdeat aliquis: Non poßum meorum omnium continere manus. Ego quod in me est, præsto. Fac intelligant tui, id te uehementer, et ex animo uelle: dispeream, ni continebunt. Et ita demum populo fidem facies, hæc inuito te fieri, si non patieris impunè fieri. Fortaßis Ethnico Principi satis erat in suos esse benignum, in extraneos iustum modò. At Christiani Principis est, nullũ pro extero ducere, nisi qui sit alienus à Christi sacramentis, ac ne hos quidem iniurijs laceßere. Suos quidem ciues in primis agnoscere, cæterum de omnibus benemereri, de quibus poßit. Porrò præclara quidem uirtus, ac maximum Principis ornamentum est liberalitas, quam duæ comites sequuntur: Humanitas atque Clementia. Sed hanc tam generosam dominam cum suis pedißequis frequentiorem aliquando reperias in priuatorum hominum bonorum ædibus, quàm in magnis Principum aulis, ubi multæ bonorum querimoniæ, quòd inibi sit æquitatis parua ratio. Longè plura beneficia conferri dicuntur in homines nihili, parasitos & adulatores, quàm in fidos amicos, aut ueteres bonos ministros. Suo qui fideliter officio multos annos functi, negliguntur: in sydera tolluntur, ac locupletes efficiuntur aßentatores noui, qui ad Principum adfectus se poterunt accommodare, qui bolum è faucibus bonorum eripere, & si qua clarior fortuna

Vale. li. 5. cap. 1.

probis adfulserit, eam turbare solent. Inueniuntur etiam Principes, qui uerbis ualde dapsiles atque liberales sunt, magnifica dando promissa, sed parcissimi atque tardissimi ad uerba rebus comprobanda, ut illud iure dici queat:

Pollicitis diues quibet esse potest. Aut:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Laude digniores existunt, qui promittunt ita, ut statim ex animo uelint praestitum iri, & quod receperint, certò seruatum. Sed bonum illud promissionis semen, plerumque cadit inter spinas, & emarcet. Hoc est, ijs officium exequendi saepenumero mandatur, & totus fortunae melioris euentus in eos reijcitur, qui nodum in scirpo quaerentes impediunt, aut quicquid commoditatis alij cessurum erat, in se deriuant auarissimi, ut longè consultius fuerit, Principem nihil polliceri, nisi praestiterit ipse, aut compertum habuerit, redditum iri, quod receperit, ne sint qui meritò suspicentur, Principem id ore liberali promittere, quod tamen antè iusserit, aut decreuerit, non reddi. Sunt qui feruntur suis quaestoribus dixisse: Multis promissurus multa sum ego, tuum erit nihil expendere. Sic Vespasianus iunior Imperator, quum admone-

Eutr. li. 7. retur ab amicis, quòd plura polliceretur interpellantibus, quàm praestare posset, uicium diluit, inquiens: Non oportet quenquam à Caesaris collo-

quio

quio tristem discedere. Et Dionysius olim senior egregium quendam Cytharœdum, magnificis pro missis ad se pellexit, iubens, ut quàm optimè caneret, Nam quo scitius caneret, hoc plus laturum præmij. Quum ille per dies aliquot accuratè cecinisset, nec quicquam daret Rex, cœpit flagitare mercedem. Tum Dionysius asseuerat se mercedem, quam pollicitus erat, bona fide soluisse: Quî, inquit ille, ne nummus quidem mihi datus est. At dedi, inquit Dionysius, uoluptatem pro uoluptate. Neque enim ego te minus delectaui spe, quàm tu me cantu. Sic multis in aulis complures, operis suis fidelioribus dominos delectant, & uicißim Charetis (ut aiunt) pollicitationibus in spem erecti, ab illis oblectantur, sed incassum. Atqui nubes & uentus ipsißimus sine pluuia is est, qui gloriatur pollicendo, & nihil præstat. Sunt omnium deterrimi, qui non modò nihil uiris dignis pollicentur, aut præstant, sed cũ incommodo Reip. summo, per noua tributa, sordidosq; indies quæstus ditescere student. In quorum numero damnatus est meritò C. Caligula Cæsar impurus, qui nullum rerum usum aut hominum genus omisit, cui non tributi aliquid imponeret. Certũ statutũq; exigebat pro edulijs, quæ tota urbe uenirent, pro gerulorum diurnis quæstibus. Item ex aleæ lusu, & capturis prostitutarum, quantum quæq; uno concubitu mereret.

Eutr. lib. 7

Plu. in apo.

Nouißimè prophanus nebulo tanta contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, ut sæpe super immensos aureorum aceruos, patentißimo diffusos loco, & nudis pedibus spaciatus, & toto corpore aliquandiu sit uolutatus, ut habetur in Suetonio.

QVOMODO ET QVID Princeps debeat elargiri.

Sen. de beneficijs.



Onaturus aliquid Princeps, considerabit facultates & uires suas, simul ac dignitatem respiciet, ne aut plus elargiatur, quàm poßit, aut minus, quàm par sit. Aestimabit item personam eius, cui dabit. Quædã enim minora sunt, quàm ut exire à magnis uiris debeant: quædam accipiente maiora sunt. Vtriusque itaque personam conferet secum inter illa, quæ donabit, nunquid an danti graue sit, an paucũ. Nunquid rursum, qui accepturus est, aut fastidiat, aut non capiat. Vrbem cuidam Alexander donabat uesanus, & qui nihil animo, nisi grande concepit. Dum ille, cui donabatur, seipsum mensus, tanti muneris inuidiam refugisset, dicens: non conuenire fortunæ suæ. Non quæro, inquit, quid accipere deceat, sed quid me dare. Animosa uox uidetur, & cum regia sit, est stultißima. Nihil enim per se quenquam decet. Refert

fert quid, cur, quando, quare, ubi, & cætera, sine quibus facti ratio non constabit. Tumidißimum animal, si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habetur dignitatum ac personarum proportio. Et cum sit ubiq; uirtutis modus, æquè peccat, quod excedit, quàm quod deficit. Ab Antigono Cynicus petijt talentum. Respondit plus esse, quàm quod Cynicus petere deberet. Repulsus petijt denariũ. Respondit minus esse, quàm quod regem deceret dare. Turpißima est eiusmodi cauillatio. Inuenit, quomodo neutrũ daret. In denario Regem: in talento Cynicum respexit, cum potuisset & denarium tanquam Cynico dare, & talentum tanquam Rex. Aristoteles olim rogatus, quidnam citò consenesceret: Gratia, inquit. Eam igitur sæpius, ne situ squalescat, iterabit, & uelut expoliet Princeps, in omni beneficiorum genere se frequenter exercitaturus, sed cum delectu, ne dici poßit illud Diogenis: Qui conspiciens quendam quibuslibet elargientem: Malè, inquit, pereas, qui ex Gratijs, cum sint uirgines, facias scorta. Quare si fuerit efflagitatum, quod inutile, uel inhonestum effectu, negandum erit, aulico quidem, sed decoro more. Docendi sunt aulici quidam mendici, ut Diogenem imitentur. Is solitus est interdum adire statuas, & aliquid ab illis petere. Demirantibus cur id faceret, Vt consuescam, inquit, non commoueri, si quando ab hominibus non

Dio. Laer. lib. 5.

Eras. 8. ap.

impetro, quod peto. Sed hac quidem doctrina opus non habent, qui perfricta fronte sunt, non erubescentes, quælibet à Principibus emendicare: quippe genera beneficiorum sunt multa, sed, ut ingratum est, quod diu inter manus dantis hæsit, ita gratum, quod non tardum, nec inuitò, sed oblatum maturè & hilariter. Dator enim hilaris, & Deo & hominibus dilectus est, prouerbioq; celebratur: Bis dat, qui citò dat. Et Mimus: Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter. Ergo:

Ausonius.

Si bene quid facias, facias citò, nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.
Gratia quæ tarda est, ingrata est, gratia nanq;
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Senec. li. 1. de ben.

Porrò omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tardè dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Itaque duas maximas res perdidit: Tempus & argumentum amicæ uoluntatis. Tardè uelle, nolentis est, Gratißima sunt autem, parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis uerecundia. Perfectum liberalitatis genus est, quum sinistra nescit, quid faciat dextra. Vbi silentio quis tegit opus suum, & neceßitatibus singulorum occultè subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua. Denique perfecta quoq; liberalitas, fide, causa, loco, & tempore commendatur.

Matt. 6.

Malum

Malum est, quod maius facultate. Quare Cicero rectè: Omnino, inquit, meminisse debemus, id quod à nostris hominibus sæpißimè usurpatum, iam in prouerbij consuetudinem uenit: Largitionem fundum non habere. Quo dicto significabant, stulta liberalitate, quantaslibet opes exhauriri, uel effluere potius. Multi patrimonia effundunt, inconsultè largiendo. Quid autem stultius, quàm, quod facis libenter, curare, ne id diutius facere poßis. In ipsa igitur liberalitate modus adhibendus est rerum & personarum. Rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodeße poßimus. Personarum autem, ut primum iustis, deinde peccatoribus, quibus tantum dare prohibemur, non quia homines sunt, sed quòd peccatores. Vnde Carneades increpanti, quòd homini malo dedisset eleemosynam, non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Etiam improbis in neceßitate succurrit uir bonus: Debetur enim hoc officium, si non meritis illius, qui iuuatur, certè naturæ. Et bonus fieri potest, qui malus est. Atqui donare concubinis, histrionibus, adulatoribus, & scortis, ut eorum peccata foueas, uitium est immane, non uirtus. Bis enim peccat, qui peccanti obsequium accommodat. Nullum igitur beneficium uir bonus dabit, quod turpiter peteret. Nec ita dabit egenti, ut egeat ipse, sed ex æqua

Cic. 2. offi.

Era. 7. ap.

2. Cor. 7. bilitate. Non ut alijs relaxatio, datori autem sit angustia.

Amb. 1. officiorum. Nec ulla ratione probatur liberalitas, uel largitas, si quod alter largitur, alteri quis extorqueat, si iniustè quærat, & iniustè dispensandum putat. Erasm. in prin. insti. Sunt enim qui inclementer extorqueant à bonis ciuibus, quod in moriones, delatores, & uoluptatum ministros effundant. Intelligat Respub. ijs potißimum expositam Principis benignitatem, qui publicis commodis maximè consulant. Virtuti præmium sit, non adfectui. Porrò largitati ultra facultates factæ, & in turpe genus hominum erogatæ inest cupiditas rapiendi, ut ad largiendum suppetant copiæ. Ex Seneca Sequuntur enim talem largitionem rapinæ. Quum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur, & maiora odia eorũ assequuntur, quibus ademerunt, quàm fauores eorum quibus dederunt. Erasmus in prin. instit. Est igitur illud beneficij genus maximè sectandum Principi, quod cum nullius incommodo, aut certè, iniuria coniunctum est. Nam alios spoliare, ut dites alios: hos pessundare, ut illos euehas, adeò non est beneficium, ut geminum potius sit maleficium, præsertim si quod indignis ademptum est, ad indignos transferatur.

Sen. de be. Illius ante omnia Princeps admonendus, ut si liberalis uoluerit esse, sit de suo liberalis. Nam liberalis non est, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui

quod

quod alteri donat, ſibi detrahit. Hic grauiter peccant Principes, qui proprijs in bonis parciſsimi, ſed in ijs, quæ ſemel in uſum Eccleſiæ, pijs à maioribus collata ſunt, ualde liberales, atque plus æquo dapſiles exiſtunt, parati donare, quæ minimis impendijs ſuis conſtant. Vnde peſsima durat in aliquibus aulis conſuetudo, ubi uacante aliquo Sacerdotio pinguiore, protinus Scribæ, Venatores, Coci, Fartores atque Piſcatores aulici certatim currunt ad Principem, quo uelut ad certaminis metam, qui primus uenerit, aulico fauore promotus, impetrat facile, quam petit eleemoſynam. Quod tolerabilius foret, ſi benè munera collocari uiderentur, & rerum perſonarumq; reſpectus ullus haberi. Parum abeſt quin à ſcortis alicubi impetrata, conferantur in ſcortorum greges? Quid? quòd aulica plerumque gratia uictrix in homines erogat indignos, quod in digniores erat transfundendum. Et in eum plerumque finem petunt, ut familiam ſuperbius alere, ſupercilium altius tollere, & uberius aulico faſtui fomentum adminiſtrare poſsint. In quorum numero ſunt, quos eleemoſynarum quidem pudet, ſed nihilo minus eccleſiaſtica ſtipendia tamen opima, quotannis in occulto deuorant, multò plus pro priuata, quàm pro Chriſti gloria facientes. Alij iuſtiores uiſi, qui cum liberos tradunt literis imbuendos, non, ut decuerat,

theologicis, sed quæ de pane lucrando sunt, Iuridicis mancipant, ut eleemosynarum beneficijs prouecti, summos ad honores, opes, atq; magnorum Principum amicitias queant aspirare. Verum Iurisprudentiæ studia non improbo, sed in ea solum ecclesiastica bona conferri, non æquum iudico. Certè ut Princeps gladio, sic iuris externi iusticia cogitur uti, cuius peritos, ut poßit habere, stipendia de Fisco numeranda forent, Ecclesiastica autem in solius usum Ecclesiæ diligenter asseruanda. Quid enim cum Iure mundano commercij Christus habet? Qui ait: Regnum meum non est de hoc modo. Et: Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super uos? Qui deniq; cum cognouisset, quòd rapturi, & facturi eum Regem, seceßit in montem. Quapropter animam suam Princeps, in discrimen non adducturus, ut de proprijs suis bonis liberalißimus, ita parcißimus omnium, in donandis ecclesiasticis futurus erit, ac summo studio curaturus, ut in eos eleemosynæ conferantur, qui Ecclesiæ Christianæ, maximo & ornamento, & usui possunt esse, non ex fauore cæco, deuoluantur in eos, qui sacris de rebus, multò peius, quàm Antichristorum prophanißima phalanx, sint merituri.

Lucæ. 10.

Ioan. 6.

DE

DE SACERDOTIORUM Collationibus.



Quemadmodum Plato, nullum imperio gerendo censuit idoneum, nisi qui coactus & inuitus susciperet, ita Princeps nullos aptiores, in quos Sacerdotia conferat, ac rebus ecclesiasticis praeficiat, iudicabit, quàm quos doctos atq; probos nouerit, inuitos oblata suscepturos. Eos imprimis suspectos habens, qui se negocijs ingerunt ambitiosi, qui sua quaerunt, non quae Dei sunt, qui deniq; uoti compotes, uel prece uel precio fieri contendunt. At cum tribus uniuersa regnorum felicitas omnium consistat: accurata iuuentutis institutione, pura Magistratuum electione, & syncera uerbi Domini, rerumq; sacrarum administratione, Christianus Princeps omnem mouebit lapidem, ut decoro singula procedant ordine, singulisq;, non ut priuati coecitas amoris, sed ut uera fides, & non fucata charitas efflagitarint, prospiciatur, maximè negocijs ecclesiasticis, quòd ijs neglectis multò grauius impendeat periculum. Caussa enim sunt ruinae populi, Sacerdotes mali. Quorũ peccatorũ participes fiunt qui mysteria (quod aiunt) portantibus asinis, curã animarum crediderunt, aut ineptos homines exemplaria populi posuerunt. Metuentes igitur Deum

Gregori. in Registro.

Deum Principes, non temere Sacerdotia conferent quibuslibet, sed ijs tantū, qui semetipsos praebuerunt in formam bonorum operum, in doctrinā,
Tith. 1. 2. integritatem, grauitatem, sermonem sanum, irreprehensibilem, ut is qui repugnat, rubore suffundatur, nihil habens, quod de ijs dicat mali. Sed horum immemores multi, beneficia deuoluunt eò, quò gratia traxerit aulica: ut metuendum, ne non pedissequae, calones atq; lixae, facilius aliquando sint ecclesiastica bona, quàm mercedulam priuatam consecuturi. Quod si Princeps arbitretur, à maioribus suis nonnulla malè collocata, curet, ut melius collocentur, nempe solius ad emolumentum Ecclesiae, atq; Christi gloriam, non ad proprium luxū, aut ad effrenem petulci gregis libidinem fouendam: ne, quod diabolo uideri poßit ereptum, id ipsißimis Cerberi faucibus obiectum inueniatur.

Porrò nimis inconsultae Sacerdotiorum collatio-
Cic. de sen. nes, & profanus ecclesiasticae dignitatis neglectus atq; contemptus, maximam quam hodie uidemus, Lernae malorum partem in orbem inuexerunt, Quippe ut maximas Resp. per adulescentulos labefactatas, à senibus sustentatas legimus, ita per probos atq; doctos presbyteros bonis rationibus electos, fuisset Ecclesia sustentata, quam adhuc tot impuris exemplis, adolescentuli sacerdotes mali malo genio uocati, non cessant labefactare.

Breuiter

Breuiter cum prædicare nequeant, nisi qui fuerint missi, Princeps dignos solū, & in uia Domini probatos eliget, ac beneficijs ornabit, non currentes euchet, lupos biantes. Cuius admonetur Clericorum uocabulo, quos ideo dictos legimus, quòd de sorte Domini sint, non fauore hominum. Exemplo sit Iosaphat, qui non proprijs affectibus acquiescens, elegit quoslibet, sed timens Deum, uiros eruditißimos misit, atque sanctißimos, qui populum docerent. 2. Paralip. 17. Isidor. 7. ety. ca. 12.

DE PERPOTATIONIBUS aulicis.



Hoc ætatis humanæ res eò prolapsæ sunt, ut quod apud Ethnicos olim summum dedecus erat, id egregium quasi facinus in quorundam hodie Christianorum politijs, ac magnis Principum aulis celebretur. Strennuè potare, & (quod aiunt) epischytizare, maschalamq; tollere, lurconibus olim crimini maximo dabatur: nunc qui pergræcari, & potu uaccam æquiparare possunt, in magno laudis campo uersari uidentur. Auxere artem uitiorum irritamenta: In poculis libidines celari iunit, ac per obscœnitates bibere: Vnde Iuuenalis ait: Vitreo bibit ille Priapo. At Rex olim Lycurgus, ut in officio, & tem Pli. lib. 33. cap. 1.

pe

Plut. in ui. perantiore uiuendi ratione subditos contineret, Syßitia, hoc est, conuiuia publica, frugalemq; conuiuiorum apparatum instituit, quo simul cœnatum conuenientes, ad communia & ordinata obsonia, ac cibos uulgares, nequaquam domi discumberent, aut super strata, mensasq; magnificè instructas inter opificum & coquorum manus, sub noctem ueluti bestiæ uoraces impinguescerent, atque unà corpora moresq; corrumperent. Ob hoc maximè institutum, locupletes dicuntur aduersus Lycurgum exarsisse, & in eum uniuersi clamoribus, ac tumultu insurrexisse. Idem hodie fortasse contingeret Principi, si uesanam bibendi consuetudinē, institutis melioribus uoluerit seriò corrigere. Philoxenus olim cum in Sicilia fundum ac domum opulentam nactus esset, & animaduertis-

Er. 8. apo. set illius gentis luxum atque crapulam: Per deos, inquit, hæc bona me non perdent, sed ego potiùs illa. Mox ceßit alijs hæreditatem, & è Sicilia abnauigauit. Pauci iam in aulis credunt, homines compotationibus perdi, cum plures crapula, quàm gladio intereant. Quidam fortiter bibendo famam olim merere studuerunt, sed ignominiam potius quàm gloriam consecuti. Vnde iactan-

Er. 3. apo. ti cuidam, quòd multum biberet, nec inebriaretur, rectè Aristippus respondit: Quid magni

Ex Plutar. narras, cum idem faciat mulus? Et Demetrius Phale-

Phaleræus iuuenem intemperantiæ deditum conspicatus. Ecce, inquit, quadratus Mercurius, habens syrma, uentrem, pudenda, & barbam. Sentiens illum non hominem esse, sed statuam, qualis in uijs solet poni Mercurio: hoc illi dißimilem, quòd effeminatorum, atque ebriorum more traheret uestem, quòd deditus esset uentri ac libidini, quodque barbatus esset, cum nihil horum habeat Mercurius. Bonosus Imperator olim bibit quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpe dicebat. Non ut uiuat natus est, sed ut bibat. Hic longo graviq; certamine à Probo superatus, laqueo uitam finiuit. Tunc quidam iocus extitit. Amphoram pendere, non hominem. Nouellus Mediolanensis tres uno potuit impetu congios epotare, unde Tricongius dicebatur, Hoc facientem Tyberius Cæsar, miraculi gratia potuit spectare. Sed is Cæsar, qui simili uitio fuit obnoxius, ut similes habuerint labra (quòd aiunt) lactucas, & eadem ratione crediderint L. Pisonem urbis Romæ curatorem ab eo delectum, quòd biduum, duabusquæ noctibus perpotationem continuasset. Hunc Ethnicum Principem Christiani quidã Heroes imitati, qui magnis potoribus officia mandare, præmijs etiam exornare sunt soliti. E quorum numero quidam aureos in grandis ac pleni poculi fundum demersere nummos, quos

Fla. Vopi.

Pli. li 14. cap. ulti.

uno impetu, qui tuburcinatores illud exhausturi essent, lucrarentur. Qua spe nonnunquam producti uentres, atque uinorum pernicies, ita biberunt, ut crapulam protinus exhalarint, ac in satu
Ex Sueto. ritate spiritum efflauerint. Hoc ipsum quod Ethnicis turpißimum, nonnullis modò uidetur ualde gloriosum. Sed maiori gloria imitarentur Augustum Cæsarem, qui uini parcißimus fuit. Ter non amplius super cœnam bibit, dum in castris esset.
Ex dia. Petrar. Vos ter decies ante cœnam bibitis, & in cœna centies, nec numero quantitas cedit, & castra ipsa uinosiora sunt urbibus. Ille, si sitis urgeret, pro potione perfusum aqua frigida panem, uel lactucula tyrsum, uel succosi pomi morsum, uel frustum cucumeris capiebat: at uos sitim omni lenocinio aucupantes, illam uinis ardentibus, & bibendo aliam sitim parituris, extinguitis, dicam uerius, accenditis. Nec in animum uenit, bibere uos sanguinem terræ, ac uenenum cicutæ, ut Alexandro Ma
Lib. 18. ca. 5. cedoni scripsit Androcides. Quibus si ille præceptis obtemperauisset, profectò amicos in temulentia non interemisset, ut ait Plinius, nec ipse insuper in temulentia periisset. Hæc eadem cibi indifferentis, atque potus parcitas in cunctis ferè claris ducibus, atque Principibut fuit, & in Iulio Cæsare singularis. Quæ quantum uestræ sit præferenda libidini, somnus uester illorum industriæ,

&

& gestarum rerum gloriæ collatus, Indicio est.

Olim Plato, cum in Siciliam profectus, homines ibidem bis præter morem Græciæ, in die satuos fieri conspexisset, reuersus, eam crapulam, pro miraculo suis annunciauit. Quòd si nunc uiueret Plato, non bis, sed ter, aut quater ubique ferè saturos, imò toties quoque cerneret ebrios. Stratonicus olim Citharœdus natione Atheniensis, arte Musica celebris, ad quietē iturus, aßiduò iubebat puerum sibi infundere uinum, non quòd sitiam, inquit, sed ne sitiam. Id in Ethnico, & Cantore, cum bonus (ut aiunt) Cantor bonus sit Cupediarius, non tam turpe, quàm in homine Christiano, & Principe, populorum moderatore. Quare cum uinum ad sitim pellendam, & in iucunditatem etiam creatum sit, nō in ebrietatem, Christianus Princeps in aula sua non facilè tulerit ebriosos Sardanapalos, execrandas uinorū pernicies, Inter quos, ea crapulæ studia, ut ad uinum perdendum nati uideantur. Vinum quidem potatum moderatè, est medicamentum, sed plus iusto sumptū uenenum esse cognoscitur. Iucunditati, non ebrietati creata est uini materia. Per uinolentiam plurimi plurimæq; à sancto pioque proposito excidēre, & sui obliti, amißisq; honoribus profugi uitā ut sumpserunt, finierunt. Innumerabiles namq; iugum dominationis diu recusantesq;, uinolentia in

Ex Plut.

Er. 8. apo.

Eccle. 31

Aug. ad sa. uirgi.

alienum redegit arbitrium. Alexander omnium uictor uino uictus est, Infiniti uerò uino nimio impellente iniusta impiaq; homicidia commiserunt. Quàmplurimæ urbes diu obsessæ, nec captæ, custodibus somno uinoq; sepultis ab hostibus patefactæ sunt, & incendijs concrematæ. At iam feruent ebrietatum ea certamina, ut fratrum optimus habeatur, qui multos dies ac noctes perpotationibus continuarit, & infusa omnia uina, cum poculis ipsis absumpserit. Iam laudatur is qui cum plurimum hauserit, tamen cæteris omnibus cacantibus atq; uomentibus, in hauriendo non respirauerit, non expuerit, nihil ad elidendum in pauimentis sonum ex uino reliquerit, nec se deniq; uomitione, uel altera corporis parte leuauerit. Hos Ethnici, non homines putassent, sed portentosa hominum monstra, canes, & Epicuri de grege porcos risissent, iudicassentq; dignißimos, ut quali uoluptatis magister Apicius interijt, morte succumberent. Hic cum scientiam popinæ professus, disciplinaq; sua sęculum infecisset, tandem ære alieno oppressus, ueneno uitā finiuit. Sed cauti potores aulici bibunt ita, ne contrahant æs alienum, Ludunt enim de alieno corio. Gratißimum igitur illud suprà citatum fortiter bibituris occurrit: Ex alieno tergore lata secantur lora. Item illud Diogenis: Qui rogatus cuiusmodi uinum libentius biberet:

Hora. 1. e.

Ex Senec.

Diog. li. 6.

Alienum

Alienum, inquit. Tolerabilius de potorũ ducibus aulicis supplicium Rex Macedonum Antigonus sumpsit. Qui milites suos uidens thoracibus & galeis indutos pila uel sphæra ludere, delectatus est hoc spectaculo, ac duces illorũ accersi iußit, ut eos coram illis laudaret. Verũ ubi nunciatũ esset, Duces bibere, præfecturas atq; ducatus illorũ militibus dedit, qui sphæra luserant armati, simul & Ducum ignauiam atq; crapulam puniens, & militum strennuitatem honorans. Cuius exemplo si Principes Christiani, criminibus digna supplicia, uirtutibus autẽ meritos honores aßignarent, aulas procul dubio sanctiores haberent. Olim Germani uino prorsum abstinebant, quia uino putabãt eneruari uires. Solus eorum potus fuit humor ex ordeo, aut frumẽto, in quandam uini similitudinem cõpactus. Iam uinum non bibunt, sed se uino obruunt atq; ingurgitant, ultra corporis mensurã, & uentris capacitatem, ad perdenda uina orti. Apud quos si bibere recusaueris, grauem infamiæ atq; odij labem incurres. Quã uesanam bibendi consuetudinem Ethnici non potuerunt in ciuibus ac filijs suis tolerare. Vt Spartiatæ, qui cũ festa sua celebrarent, consueuerũt agrestes homines qui appellabantur Helotæ, quantũ maximè poterant, ad potũ crapulamq; cõpellere, eosq; deinde mero ingurgitatos, in cõuiuia iuuenum adduci iubebant, ut illi cernen

Plut. in ap.

Ex Cõ. Cæ. Ex Corne. Tacito.

Fran. Ire. li. 2. in ger. ex.

Plut. in ui. Demetrij.

tes ebriorum turpitudinem, ebrietatem ueluti rem deformem perhorrescerent. Et Plato solebat temulentiæ deditis præcipere, & consilium dare, ut suos in speculo uultus intuerentur, ut tanquam per oris deformitatem ea uicia fugitarent. Idem admonebat, ut Bacchum temulentum deum, nymphis sobrijs deabus temperemus. Hinc Antiquitas Ioui duas addidit nutrices: Iten & Adrastiam, Iunoni unam, nempe Eubœam, Apollini duas: Orethiam & Corythaliam, Baccho uero plures: quòd hunc Deum addentem cornua suis comitibus oporteat plurimis nympharum mensuris mansuefactū, ac domitum moderatiorem ac mitiorem reddere; significans uino parcius utendum, & multa aqua diluendum esse, ut honestè & sobriè uiui poßit. Id quomodo fieri posset rogatus Anacharsis Scytha, respondit: Sobrius uiues, si turpes ebriorum mores ante oculos tibi posueris. Significans homines ebrietate in maximam corporum ac animorum turpitudinem, cognitu formidabilem prolabi. Est enim ebrietas parens litium, & furoris, mater petulantiæ, deformitatis magistra. Hanc qui habet peccatum non habet, sed ipse peccatum est. Ebrietas est dæmon blandus, uenenum dulce, rabies uoluntaria, illecebra uoluptatis, & pudoris iniuria, quam nullus nouerit Christianus. Ebriosus cum absorbet uinum, absorbetur à uino, abominatur

Plu. in uita Blatonis.

Er. in pro.

Dio. lib. 1.

Ber. de sexalis Serap.

tur

tur à Deo, despicitur ab angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à uirtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab omnibus, Ergo quid turpius ebrioso? cui fœtor in ore, tremor in corpore, qui promit stulta, prodit occulta, cui mens alienatur, facies transformatur, uita maculatur, uirtutes expugnantur. Quid detestabilius ebrietate? Quæ flagitiorum omnium mater, culparum materia, radix criminum, origo uitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium casttiatis, amißio temporis, insania uoluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus uitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Quid? Ebrietas omnium criminum origo, non facit uicia, sed protrahit. Tunc impudicus morbum profitetur ac publicat. Tunc petulans non manum, non linguam continet, Crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido, & uiciosis omne uicium. Nulla enim uirtus, ubi regnat ebrietas. Quæ cum ita sint, Christianus Princeps sobrietatis studiosus, illam teterrimam beluam ex aula sua, quacunq; ratione poterit, eijciet ac profligabit, tres potißimũ proptre caussas.

Innocen. de mise. homi.

Aug. ad sa. uirgi.

Senc. li. 12. epi. 24.

PRIMA: Conseruandæ prosperæ ualetudinis gratia. Quippe ut Sobrietas mentis & sensus, membrorum omnium, corporisquæ tutela est:

Aug. ad sa. uirgines.

ita pernicies horum omnium ebrietas, morbos corporum ac animorum gignens. Vnde Ecclesiasticus: Sanitas, inquit, & animæ & corporis, sobrius est potus. Et Cicero: Tantum, inquit, cibi & potionis adhibendum est, ut reficiantur uires, non opprimantur. Vnde Socratem tanta temperantia fuisse traditum est, ut omnia fere uitæ suæ tempora ualetudine inoffensa uixerit. In illius etiam pestilentiæ uastitate, quæ in bello Peloponnesiaco imprimis ipsam Atheniensium ciuitatem internecino genere morbi depopulata est, is parcendi, moderandique rationibus dicitur, & à uoluptatum labe cauisse, & salubritates corporis retinuisse, ut nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius. Diuus Aurelianus Imperator, Medicum ad se cum ægrotaret, nunquam uocauit, sed ipse se inedia præcipuè curauit. Galenum Philosophum & Medicum proditum est à nonnullis centum quadraginta annos uixisse, tantaquæ in cibo & potu abstinentia usum, ut ad satietatem nunquam biberit uel ederit: unde factum, ut odorificum semper anhelitum spirarit, & Galeni ualetudo, in prouerbium abierit, ultra humanum captum nimis prospera. Et Hipocratis ætate pauci podagra laborabant, propter uitæ moderantiam. At nostris temporibus, usque adeo ingruit ingluuies, ut infinita podagrarum multitudine corripiamur

Ecclesi. 31.

Ci. de sene.

Gell. lib. 1. cap. 1.

Fla. Vopi.

Cœ. antiq. lec. 16. capit. 40.

Gale. li. 6. in Hi. aph.

piamur. Ipse demum professor uoluptatis Epicurus, tenuem uictum quasi unicum suæ professionis auxilium & laudauit, & coluit. Quodq; Sobrietati atque modestiæ tribuunt honesti uiri, hoc ille tribuit uoluptati. Victus enim tenuis ac modicus, uietos, & ualidos, & aspectu placidos facit, & odore corporis nec sibi, nec alijs molesto. Confer his madidos, æstuantes, tremulos, olentes, & ut Ciceronis uerbis utar, confer & sudantes, & ructantes, & tunc uidebis, quid inter frugalitatem intersit & crapulam. Et si non uirtus, aspectus ipse monstrabit, recta quonam uergat electio, ut uix sit quispiam tam gulæ seruus, qui acriter re discussa non sobrietatem longè illi præferendam fateatur. Si hæc spernis ut leuia, nunquid & morbos etiam hinc nascentes, mortemq; contemnes? Quæ licet per seipsam magnis animis contemnenda sit naturaliter, atque honestè, seu certè non turpiter inuecta, sic turpibus caussis accersita morte nil fœdius, nihilq; formidabilius. An uerò non audis Ecclesiasticum consultorem? Noli auidus esse, inquit, in omni epulatione, & te non effundas super omnem escam. In multis escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit usq; ad choleram. Propter crapulam multi perierunt. Qui autem abstinens est, adijciet uitam. Vbi ue,

Petr. lib. 1. dial. 18.

Eccle. 37.

Pro. 23.

ubi eiulatur, ubi fit, ut nihil meriti saucientur? ubi rubent oculi? nimirum hæc accidunt inter pocula ijs qui confluunt, ut exhauriant quicquid infusum est. Ne igitur inspice uinum cum rubescit, cum pel lucet per uitrum color eius & arridet: postremò uelut serpens mordebit, & uelut aspis punget.

Pli.li.14. cap.ult. Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena uasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna atque diurna. Vnde Cleomenem Regem Spartanum, cum Scythis agentem consuetudinē, & illorum ἀκρατοποτίαν, id est, meripotationem imitantem, in insaniam uersum fuisse, ut inde sit natum prouerbium: ἐπισκυθίζειν.

ALTERA, Vt sobrius Princeps, Rebusp. Or.ho.37. administrandis commodior, prudentior, bonis deniq; cōsilijs instructior permaneat. Sobrietas enim omnium uirtutū mater est. Sic econtrà ebritas om- Plut.in ap. nium uitiorū origo. Conuiuium apud Lacedæmonios publicum idcirco tenue fuit, ut assuescerent nunquam repleri, & famem ferre posse. Sic enim putabant in bello utiliores fore, si possent etiā sine cibo labores tolerare, & continentiores frugalio- Gell. li.7. cap.ult. resq;, si multū temporis exigua impensa degerēt. Hominibus crapulæ deditis, pinguibus & corpulentis Romani Censores olim equos adimebant, putabant minus idoneos esse, cum tantis corporū

ponderibus

ponderibus, ad faciendum equitum munus. Etenim crapula in immodicum luxuriasse, & exuberasse modum, erat criminosum, & contemnebantur ab dominis seruientes. Hinc Dionysium posteriorem Dion inuasit, quòd eum contemnebat, conspiciens ipsum Dionysium semper obrutum poculis, rebusque gerendis ineptum. Quare Leontychidas huius nominis primus, percontanti cuidam, quam ob rem Spartiatæ parcißimè biberent: Ne, inquit, pro nobis alij, sed nos potius pro alijs consultemus. Salsissimè notans uinosos non esse ad consultandum idoneos, sed salubrium consiliorum parentem eße Sobrietatem. Vnde Romulum dicunt ad cœnam uocatum, ibi non multum bibiße, quia postridie negocium haberet. Et dicunt: Romule, Si isthuc omnes homines faciant, uinum uilius sit. Is respondit: Imò uerò carum, si quantum quisque uolet, bibat. Nam ego bibi quantum uolui. Rectè igitur Solomon: Ne Regibus, inquit, & Principibus uinum des, aut siceram, ne poti obliuiscantur iuris, & de humilibus prauè iudicent. Porrò Solon ille: Principem si ebrius deprehensus esset, morte multandum eße statuit. Et Pittacus Mitylinæus legem tulit, ut qui per temulentiam sceleris aliquid commisißent, duplo plecterentur.

Ari.pol.5.

Plut.in ap.

Pro.31.

Dio. Lae.

TERTIA, Ne Princeps ebriosus incidat in iram Dei, & æternam animæ damnationem. Ebri

osus enim confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, & incurrit damnationem æternam. Nihil æquè Deus odit, quàm ebrietatem. Vnde ait Propheta: Væ qui consurgitis mane, ad ebrietatem sectandam, & potandum usq; ad uesperam, ut uino æstuetis. Cithara, & lyra, et tympanum, & tibia & uinum in conuiuijs uestris, & opus domini nō respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino. Et descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosique eius ad eum. Væ qui potentes estis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miscendam ebrietatem. Quibus iram Dei grauißimam in potores futuram denunciat. Nec uanis id aliàs argumentis colligere poterimus, uidentes ut furor domini sæpius emicet, & acerbitatis præludium exerceat in ijs, qui uino se consueuerunt ingurgitare. Primò, quæ non uulgaris pœna, Liberi potorum inepti plerunq;, stolidi atq; hebetes nascuntur. Quapropter cum Diogenes quendam alienatæ mentis adolescentulum stupidum desipere cerneret: νεανίσκε ἔφησεν ὁ πατήρ σε μεθύων ἔσπειρε, Hoc est, adolescentule, inquit, ebrius te seminauit pater. Deinde perpetuo bibendi studio uiciati patres ipsi, alioqui boni, tradūtur in reprobam mentem, & in omnem iniustitiā. Ingreditur enim unà cum uino, malitia, scortatio, content

Plu. de edu. puerorum.

Hieron. ad Oceanum.

content

contentio, cædes. Ipse Noë, iustus alioqui uir, ad unius horæ ebrietatem, nudauit femoralia sua, quæ per sexcentos annos contexerat. Detegit enim omne uitium ebrietas, & incendit: ubi possedit animum nimia uis uini, quicquid mali latebat, emergit. Non est animus in sua potestate, ebrietate uictus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur. Cogita quas clades ædiderit publica ebrietas. Hæc multorum annorum pertinacia bello defensa mœnia patefecit. Hæc contumacißimos, & iugum recusantes in alienum egit arbitrium. Hæc inuictas acies mero domuit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas uicta temporum locorumq; difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus, & fatalis scyphus contudit. M. Antonium magnum uirum, & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores, ac uicia traiecit, quàm ebrietas? Cleopatra inter epulas & luxus regales proscriptorum manus & ora recognouit, & uino grauis, tamen sitiuit sanguinem. Sed interdum euenit, ut bonus Princeps tempori nonnihil inseruire studendo, nolens, uolens, paulo plus æquo largius bibat. Quod faciens illius meminerit, qui dicit: Maximè caueas à potãdi consuetudine. Quod si unquam tulerit tempus, surge ante ebrietatem. Quum enim

Sen. 12. ep. epi. 18.

Isoc. ad Demonicum.

meus

mens fuerit à uino corrupta, patitur idem quod currus, qui aurigas suos effuderunt. Illi enim nullo ordine feruntur, aberrando sine rectore. Animus sic multum offendit, subuersa ratione. Item, si coactus inquit, fueris in edendo multum, surge è medio, & uome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Rectè Anacharsis Scytha, Vitē ferre dicebat tres botros: Primum uoluptatis, alterum ebrietatis, tertium molestiæ. Sentiens parcum uini usum, & salubrem, & iucundum esse: Largissimum parere rixas, cædes, ac morbos. Simile huic, quod alius dixit: Primam craterem pertinere ad sitim, Alteram ad uoluptatem, Tertiam ad ebrietatem, Quartam ad insaniam. Quòd si quartum poculum facit potores insanos, quid quater quaterna quid quater dena pocula efficient? Nonne supra omnem insaniam reddent insanissimos?

Eccle. 31.

Dio. Laer. lib. 1.

Berοal. in ebrioso.

DE LVSV PRINCIPIS.

Eccle. 31.



Voniam tristitia multos occidit, & non est utilitas in illa, Princeps Christianus iucundis & honestis lusuum illectationibus exhaustum negocijs animum non remittere, sed demulcere poterit, ut recreatis uiribus, rerum suarum melius satagere possit. Nam

Quod caret alterna requie, durabile non est. Ergo
Interpone tuis interdum gaudia curis.
Vt poßis animo quemuis sufferre laborem.

Hoc est, Animus serijs fatigatus negocijs aliquando relaxandus est, honestis ac moderatis uoluptatibus, ut redintegratis uiribus, ad ferendos labores sufficiat. Hinc Amasis Aegypti Rex ab amicis reprehensus, quòd perfunctus negocijs forensibus potaret, omniq; uoluptatum genere solueretur, respõdit: Qui arcus habent, eos non intendere, nisi cum opus est, quos si semper intendant, rumpendos esse. ac ne tum quidem fore usui, cum exigit usus. Ita qui nulla relaxatione curas suas soluunt, aut mente captos, aut corpore malè adfectos euadere. Danda est igitur remißio animis, meliores acrioresq; requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandũ, citò enim exhauriet illos nunquam intermissa foecunditas. Ita animorũ impetus aßiduus labor frangit, Vires recipient paululum resoluti & remißi. Atqui ludo & ioco licet uti, sed sicut somno, & quietibus cæteris, tum quum grauibus serijsque rebus satisfecerimus: sed ubique seruato, quod πρέπον appellant, decoro, atque optima uirtutum mediocritate, idq; duas propter rationes. Eras. 6. ap. Sen. de uit. tranquilli. Cic. 1. offi.

PRIOR, *Ne ex perpetua ludendi consuetudine insatiabilem, id aßiduò faciẽdi libidinem hauriat. Etenim si bonarum (ut inquit Seneca) rerum*

nimia

nimia consuetudo peßima, et ludendi peßima. Quare Plato conspicatus adolescentem talorum ludo propensius intentum, acerbius increpauit. Qui cũ dixisset: Sic obiurgas ob rem paruam? At paruum non est, inquit, adsuescere. Vel ut alij: Cum adolescens ille ludens aleam sese purgaret, pro pusillis, inquiens, ludum habeo. Respondit Plato: Pusillum quidem nunc est, cæterum mox uehementißimum suscitabit. Nam ex parua ludendi consuetudine, sæpenumero cò rapiuntur, ut inueterato ludendi studio capti, perdant oppida, ciuitates, arces, & in summum subditos omnes discrimen turpiter abducant. Ludendi igitur quidam modus retinendus est, ut ne nimis omnia profundamus, elatique uoluptate in aliquam turpitudinem dilabamur.

Plut. in uit. Platonis.

Cice. 1. off.

ALTERA, Quoniam feruida nimis ludendi pertinacitas turbare sensus, et crabrones (quod aiunt) irritare solet, ac iram litesque concitare, bonus Princeps exercitijs animum laxandi moderatis consuescet uti. Non enim est opus accersere ludendo mala, quæ (iuxta prouerbium) adsunt ultro. Quod igitur honestæ uoluptati conceditur, non in prauum detorquebit abusum. Quem Alexander olim Magnus ferre non potuit, qui multauit ex amicis quosdam, quòd in ludo aleæ sensisset eos non ludere. Siquidem multi sunt, qui in ludis uelut in rebus maximè serijs uersantur, quod nõ est lu-

Plu. in apo.

ludere, sed negociari potius.

DE VOLVPTATE Principis.



Vinque sunt hominum sensus, quos Græci αἰσθήσεις appellant: gustus, tactus, odoratus, uisus, auditus. Quorum gustus, & tactus uoluptates, hoc est, in cibos ac Venerem, libidines, prodigæ, solæ sunt hominibus communes cum bestijs, & idcirco pecorum ferorumq; animalium numero habetur, quisquis est his beluinis, atque ferinis uoluptatibus præuinctus: Cæteræ ex tribus alijs sensibus proficiscentes, hominum esse tantum propriæ uidentur. Quare primis duabus qui se dediderunt, grauißimi uicij uocabulis Græci appellant ἀκολάστους, uel ἀκρατεῖς. Nos eos uel incontinentes dicimus, uel intemperantes. In quorum numero Philoxenus summum bonum in uoluptate gustus collocans, γεράνου λάρυγγα εὔχετο ἔχειν, Hoc est, gruis collum à dijs immortalibus sibi dari optabat, ut uidelicet diutius illa uoluptate bibendi, edendiq; frueretur. ITEM, C. Tyberius Nero tertius Cæsarũ, nouũ instituit officium, quod à uoluptatib. dicebatur, qui propter nimiam uini auiditatem pro Tyberio Biberius, pro Claudius, Caldius, pro Nerone Mero uocitabatur

Gel. 19. c. 2

Ex Sueton.

qui

qui noctem continuumq; biduum epulando, bibendoq; consumpsit.

Gel.9.ca.1 ITEM, Rex Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eousque luxuria gaudens, ut edicto præmium ei proponeret, qui nouum uoluptatis genus reperisset. Horum discipuli sunt, qui stulti in libro Sapientiæ loquuntur: Exiguum est tempus uitæ nostræ, Extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquã mollis aër. Nomen nostrum obliuionem accipiet. Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, Vino precioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratũ sit, quod nõ pertranseat luxuria nostra. Nemo exors sit luxuriæ nostræ. Vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Opprimamus pauperem iustum, et non parcamus uiduæ, nec reuereamur canos multi temporis. Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ. Quod infirmum est, inutile inuenitur. Circumueniamus iustum, quoniam nobis est inutilis, et contrarius operibus nostris, & improperat nobis peccata nostra, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Sed istos malos Duces non imitabitur Christianus Princeps, beluinis istis uoluptatibus minimè addictus, maximè cum in turpissimam seruitutem atque

Sapi.2.

summum

summum contemptum præclaros uiros soleant ad ducere. Honestas autem ac se dignas (de quibus paulo pòst dicetur) uoluptates, amplexabitur. So crates aiebat esse turpe, si quis sua sponte seruiens uoluptatibus, talem se faceret, quales nemo domi uellet habere seruos. Talibus autem nullam salutis spem reliquam esse, nisi si pro eis deos comprecarentur alij, ut bonos dominos nancisci possent, quando prorsum decretum erat seruire. Existimabat autem nullos fœdiorem miserioremq; seruire seruitutem, quàm qui & animo & corpore seruirent uoluptatibus. Quorum nemo liberis hominibus rectè poterit imperare, nisi primum suis cupiditatibus imperauerit, libidines refrenauerit, ac uoluptates spreuerit. Quippe tunc incipiet alijs imperare, quum ipse improbißimis dominis parere desierit. Dum uerò his obediet, non modò Imperator, sed liber quidem non habendus erit. Duæ potißimum res sunt, quæ subuertunt imperia: Odium, & contemptus. Odio opponitur beneuolentia, cõtemptui autoritas. Itaq; Principis partes erunt, diligenter obseruare, quibus hæc parentur, illa uitentur. Odium conflatur sæuicia, uiolentia, contumelijs, morositate, difficultate, rapacitate. Beneuolentia multitudinis conciliatur clementia, comitate, æquitate, ciuilitate, benignitate, de quibus suprà dixi, paulo pòst plura. Contemptus autem

Era. 3. ap.

Cic. in par.

Ari. in po.

potißimum contrahitur, studio uoluptatum, libidinis, uinolentiæ, comessationum, aleæ, morionum, scurrarum. Tum autem stultitia, socordiaq́;. Autoritas autem paratur his diuersis rebus, nimirum prudentia, integritate, temperantia, sobrietate, & uigilantia. His igitur rebus sese commendet Princeps, qui uerè cupiat autoritate pollere apud suos: contemnat ante omnia pecuinas uoluptates, quas etiam Ethnici, ut fœdas, atque turpes spreuisse collaudantur. Antisthenes Socraticus, Voluptatem summum malum dixit, eius hoc uerbum est: μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. Insanirē potius, quàm oblectarer. Diuinè Plato, escam malorum uoluptatem appellat, quòd ea homines capiantur ut pisces hamo. Quare rex olim Agesilaus inuicti pectoris aduersus uoluptates fuit, Qui cum per Thasiorum copia rerum abundantium, & delitijs addictiorum agros, cum exercitu proficisceretur, Thasij honoris gratia miserunt farinas, anseres, bellaria, liba ex melle condita, & item omnis generis alia maximi pretij, cum esculenta, tum poculenta: At ille præter farinas nihil accepit, reliqua domū referri iußit ab ijs, qui attulerant, tanquā sibi suisq́; prorsus inutilia. Cæterū cum illi precibus & obtestationibus urgerent omnino, ut acciperet xenia, iußit ea inter Helotes distribui, id erat apud Lacedæmonios (ut suprà dixi) mancipiorum genus

Gell. 9. c. 5.

Plut. in ap.

rus. Eius facti causam sciscitantibus, respondit: Non decere, qui uirtutis ac fortitudinis studio tenerentur, id genus delitias, cupediasq; recipere, propterea quòd istiusmodi res, quibus inescarentur ingenio seruili nati, oporteret à liberis procul abesse, sapienter ostendens, nihil esse seruilius abiectiusq;, quàm gulæ uentrisq; uoluptatibus obnoxium uiuere.

Alexander ille Magnus exquisitorum ciborum ita fuit abstinens, ut sæpenumero quum carißima ad eum ex mari obsonia, aut pisces deferrentur, eis inter amicos partitis, nihil sibi reliquum faceret. Plut. in uit. Et quum Regina Carum Adas illud haberet studio ut aßiduò mitteret Alexandro obsonia, bellariaque, per talium rerum architectos coquosq; magna arte parata, Alexander ait: Seipsum habere meliores obsoniorum artifices, ad prandium quidem nocturnũ iter, ad cœnam uerò tenue prãdium. Era. 4. ap

IDEM Lectum ingressus excußis accuratè pallijs, dicere solebat: Nunquid hic delicatũ aut superfluum mater addidit? Adeò abhorrebat à muliebribus delitijs atq; uoluptatib. quæ uiros emollire, effœminare atq; perdere solẽt. Documẽto sit Annibal, qui in hyberna Capuã (quæ prona semper in luxuriã ciuitas fuit) conceßit, ubi partẽ maiorẽ hyemis exercitũ in tectis habuerat, aduersus oĩa humana mala, sæpius ac diu durantem, bonis inexpertũ,

atq; insuetum. Itaque quos nulla mali uicerat uis, perdidere nimia bona, ac uoluptates immodicæ. Quare Valerius lib. 4. capite tertio. Quæ urbs, inquit, uoluptati plurimum tribuit, imperium maximum amisit, quæ labore delectata est, occupauit, Olim Milesij luxu diffluentes, eiecerunt è ciuitate Hermodorum uirum clarißimum, quia frugalitatis & modestiæ erat amator: Dixerunt enim: Nemo apud nos frugi sit, Hinc uulgatum prouerbium: πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι. Olim fortes fuere Milesij, tanquam luxu & nequitia omne robur uirilitatis perdidissent. Etenim uix ulla re facilius humanæ uirtutis robur expugnari poterit, quàm uoluptatum lenocinijs. Vnde Phalaris cū Leontinos uicisset, ad compotationes ac uoluptates reiecit, ut illis exantlati, rebellionem parare non possent, Nam occupatus uoluptate, quomodo resistet labori ac periculo, & egestati, & tot humanam uitam circumstrepentibus minis? Quomodo conspectum mortis, quomodo doloris feret? Quomodo mundi fragores, & acerrimorum hostium, tam molli aduersario uictus? Voluptates igitur istæ plebeiæ atq; beluinæ, adeò non sunt dignæ Principe, & Christiano Principe, ut uix hominem deceant. Quapropter cum uoluptates multæ sint, ac multifariæ, aliæ honestæ, aliæ turpes. Alia uoluptas equi, alia canis, alia hominis; considerabit

Cic. 5. Tus. quæst.

Sen. de uita beata.

Prin

Princeps, & amplectetur, se dignum uoluptatis genus, quod syncerum ac perpetuum, quod in omnem usq; uitam Heroi perduret. Hoc gaudium est, quod ab honestis animi dotibus, non à beluinis istis uoluptatibus profluit. Hoc uerò perfundetur gaudio, si ueram in cognitionem Dei peruenerit, si uitam omnem in Dei timore, quod sapientiæ principium ex egerit, ac indies exigat, si denique didicerit causas cognoscere rerum:

Quid sumus, aut quidnā uicturi gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quā mollis flexus, et unde, Per. sa. 5.
Quis modus argēto, quid fas optare, quid asper
Vtile nūmus habet, patriæ, charisq; propinquis
Quantum elargiri deceat. Quem te Deus esse
Iußit, et humana qua parte locatus es in re.

Summo erit oblectamento, quòd ita suum imperiū administrarit, ut ueneretur, et ametur ab omnibus suis, non aliter ac bonus pater à suis filijs, non habeatur odio, nec metuatur ut prædo, uel tyrannus.

Voluptatem summam adferet, quòd Rempublicam suam, bonis legibus ac pijs artibus ita curarit institui, ut ubique piè atque sanctè uiuatur, ut quod diuus Paulus de Philippensibus ac Thessalonicensibus olim protulit, uerè de subditis dicere poßit: Vos gaudium, & gloria mea. Quum apud se recolet, hoc bellum prudenter effugi, Be- Erasm. in prin. insti.

ne seditionem illam, quàm minimo sanguine compe
Erasmus in scui. Illo uiro ad Magistratum ascito, probè con-
prin. instit. sului Reipublicæ, meoque nomini: si uerus Princeps
est, mirum ni ingentem animo sentiet uoluptatem. Atque ea demum uoluptas materiam sibiipsi quotidie suppeditabit, ut plebeias illas oblectatiunculas uili popello relinquet. Breuiter, lætitia delibutum incredibili reddet, dulcis & iucunda, rerum feliciter factarum aut procedentiũ memoria, quòd pecuinis subinde uoluptatibus uitæ tædium non fefellerit, nec primos annos inter Aßentatores et mulierculas, in alea, choreis, uenatu consumpserit, sed honestis disciplinis imbutus exercuerit ea, quæ ad utilitatẽ atque salutem Reipublicæ pertinuerint: atque adeò, ut ne futurus sit, cui uel ullam iure conquerendi occasionem præbuerit, sed post mortem plures exorituri, qui nomen eius æternis sint euecturi laudibus. Sic moriturus Pericles hoc nomi
Plu. in apo. ne sibi gratulabatur, quòd ipsius causa nullus Athe
niensium pullam uestem induißet. Significans se nulli causam mortis fuisse, nec ulli diem ab ipso capitis dictum.

DE CANTV ET DVLcedine Musices.

Aurium



Vrium moderata, quam cantus & fides efficiunt, uoluptate Christianus Princeps oblectari poterit. Et enim uires publicis negociorum fluctibus obrutas & exhaustas reficit, & ad res obeundas reddit animos alacriores, suauis & pia modulatio. Quare Pythagoricis olim moris fuit, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores, & cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut si quid fuisset turbidarum cogitationum componerent. Quippe uoluptate aurium castè ac sobriè delectari, humanitas quædam: capi autem, & molliter inuiscari, uanitas multa est. Certè, ut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus Musicorum in iucundo & moderato uino. Vinum quidem & Musica lætificant cor, sed super utraq; dilectio sapientiæ. Huc quicquid sapiens Princeps egerit, spectabit, & uelut in scopum diriget omnia, paratior uoces adflictorũ ac gemitus oppressorũ subditorum sæpius audire, quàm molles & obscœnas cantorum uinosorum cantilénas. Sextus olim Nero, quod stultum penitusque ridiculum fuit, cantandi, et saltandi fuit studiosißimus. Hic nocte illa, quæ sibi uitæ ultima, mundo autem uel modicum respirandi prima fuit, inter querelas, quas uicina mors & præsens metus, dolorque dictitabant, illud

Quin. li. 9. capite 4.

Ex dialog. Petrar.

Eccle. 40.

crebrius, atque mirabilius defleuit, non quòd tantus Princeps, sed quòd tantus Musicus periret.

Era. ap. 4. Philippus Macedonum Rex, quum audisset filium suum Alexandrum quodam in loco scitè cecinisse, ciuiliter obiurgauit, dicens: Non te tui pudet, qui noris tam bellè canere? Significans alias artes esse Rege digniores.

DE SPECTACVLIS ET muneribus publicis ædendis.



Pectacula æditurus Christianus Princeps, cōsiderabit, an ulla Reipublicæ commoditas inde sit promanatura, postmodum curabit, ne luxurie, aut superbia delinquat. Non imitabitur Ethnicos, qui luxus atque fastus ostentandi causa, maximam sæpenumero pecuniæ uim, in uanißima spectaculorum genera profuderunt. Quippe, non facile dictu, quanto publici census impendio, quantaque insaniæ proxima ducum cura, quanto demum populi studio & labore constiterint istæ damnosæ delectationes. Adde illam apparatus sumptuosi comparandi, & ædificandi luxuriem, exemplo quidem approbato carentem, sed imitatione non carituram. Furorē uincunt sequentium furores. Ostentationem superat ostentatio su

Petr. lib. 1. dial. 20.

perbio

perbior. Profusionem, fastuosior profusio: ut de rebus inutiliter perdendis, commune sæpius uideri poßit inauspicatum certamen susceptum. Atqui bonus Princeps, in campo gloriam ostendendi, nõ de opibus, non de dignitate, non de potentia, sed de sapientia atq; uirtute contendet, idq; eo animo, non ut cuiusquam famæ obstrepat, sed ut alienæ laudis æmulatio sit sibi calcar ad ueram gloriam. Nullæ ibi sint penitus partes inuidiæ, sed uirtutis. Sic Cato non diuitijs cum diuite, neque factione cum factioso, sed cum strennuo uirtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat. Et Taxiles unus è numero Regum Indiæ, occurrens Alexandro, sic illum affatus est: Prouoco te, inquit, non ad pugnam, neq; ad bellum, sed ad aliud certaminis genus. Si inferior es, à nobis accipe beneficium. Sin superior, nobis benefacito. Cui Alexander. Atqui, inquit, ob hoc ipsum inter nos certandum est, uter benefaciendo superet alterum. Et humanißimè complexus illum, non solum non spoliauit ditione, sed auxit etiam.

Plu. in uit. Alexandr.

DE VIRIDARIIS principum.

Viridariorum amœnitas, honestã bono Principi uoluptatem afferre potest, sed malum si ad incontinentiam ac lasciuiam impulerit.

Ex Petra. dialog. Non locis ergo sed animo benè composito, atque syncero gaudendum erit, si talis obtigit, qui benè locis omnibus uti norit. Etenim non in locis iucundis, nec in rebus externis omnibus uerum gaudium est, sed in mente sana, atq; pio corde. Cûm decoris igitur Heros uiretis spaciabitur, aut florentibus nemoribus uagabitur, referet, quænam curæ in eius pectore spacientur, aut resultent. Turpe fuerit pulchris in locis, turpem animum habere, & diuinum decorem uitijs conspurcare. Multi horridis in rupibus sanctißimi floruere uiri. Contrà pulcherrimis in pratis multi potentes nebulones, & se, & decori loci religionem adulterijs homicidijsq; contaminauerunt. Secretum Tyberij Cæsaris uiretum, & secessum Capreæ quis ignorat? At pudet referre, quibus probris hircinus ille senex infecerit ipsa seposita loca. Quis non legit

Q. Curti. lib. 7. apud Curtium, amœnißimos nemorum recessus, & uireta illa Medorum manu consita, Regum ac satraparum curam, & præcipuam, ut perhibent uoluptatem? Atqui in illis, iussu ebrij ac uesani adolescentis Regis, interfectus est Parmenio clarus senex, acer consilio, manu strennuus, charus Principibus. Quis non nouit Caietæ littoris flexum illum quo nullus sub cœlo pulchrior: illic iussu temulenti, & crudelis Antonij occisus est Cicero.

DE CHOREIS AT-que tripudijs.

Petr. lib. 1. dial. 24.



Ic ludus multorum dedecorũ causa fuit. Sæpe ibi matrona diu seruatum decus perdidit. Sæpe infelix uirguncula didicit, quod melius ignorasset, Non tam ibi delectatio præsens, quàm speratæ delectationis auspicium, ac Veneris præludium, urbanitatis specie: liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ uolant uoces. tubarum clangor, concursatio & puluis, & quæ sæpißime choreis additur, hostis pudicitiæ, & amica scelerum, nox ipsa. Hæc sunt quæ timorem ac pudorem pellunt, hi sunt libidinum stimuli, hæc laxamenta licentiæ. Ex cantu dulcedo aliqua, & sæpe utilis ac sancta percipitur, ex choreis nihil unquam nisi libidinosum, ac inane spectaculum honestis inuisum oculis, uiro indignum. Bonis igitur Heroibus adolescentibus tripudiare uolentibus, ea lex sit, ut modestißimè choreis utantur, ac rarißimè, ne quid ulla in re molle uel fœmineum agant: sed ubique non suis etiam in finibus uirilis rigor, ac dignitas emineat. Sitq; tripudium, uel quisquis erit is ludus, fatigati animi relaxatio, & exercitium corporis, non uoluptas eneruatrix mentium. Breuiter, si penitus animis insederit illud Lyricum; Nunc est bibendum, nunc pede libero.

Hor.1.od. libero pulsanda tellus. Heroës morati sic uinum bibant, ut Cato. Qui Reip. curis pressum animum, uino leuare solitus fuit. Sic terram pede pulsent, ut Scipio, qui triumphale illud & militare corpus mouit ad numeros, non molliter se infringens, ut nunc mos est, etiam incessu ipso ultra muliebrē mollitiem fluentibus, sed ut antiqui illi uiri solebant, inter lusum, ac festa tempora, uirilem in morem tripudiare, non facturi detrimentum, etiam si ab hostibus suis spectarentur. Sed quid omnino est aliud apud Germanos atq; alios, in gyrum uolui, quàm excire uertiginem, & sine termino ire inter locales septem motus, Antè, retrò, dextrorsum, sinistrorsum, sursum, deorsum, ac circuitum. Qui consilio fideliore uoluerit uti, is uino parcius utetur, tripudijs abstinebit.

Seneca. de tranq. uit.

DE VECTIGALIBVS, & exactionibus.



Er. in pan. ad Phil. re.

PRincipes ac bonos Heroës, alij patriæ patres, alij deos tutelares uocarunt, Alij custodes: ut hoc sint patriæ quod canes gregi. Principes igitur boni licet gloriosas appellationes audiant, tamen se nihil aliud esse cogitabunt, quàm ut uocat Homerus: ποιμένα λαῶν, id est, Pastorem populi, siue quemadmodum Plato

τὸ φυλάκα, id est, custodem. Nihil autem minus conuenire in Principem, quàm quod in Agamemnonem dicit: δημοβόρους βασιλεὺς qui gregem suum non solum deglubat, uerum & laniet. Cæterum ut inter greges ac pastores mutua commoditatis est ac officij ratio: ita mutuũ inter Principem & populum commertium. Principi populus censum debet, debet obsequium, debet honorẽ. Populo uicißim Princeps debet clementiam, atq; uigilantiam. Cum exigit igitur uectigal à suis ueluti debitum, faciat prius excutiat semetipsum, num illis officij sui uectigal persoluerit. At Princeps qui nihil aliud cogitat, nihil aliud agit, nisi ut quamplurimum pecuniarum à ciuibus extorqueat, ut nummorum uim, quantam potest maximam irretiat legibus, ut quàm plurimo uendat magistratus & officia: quæso utrum is Princeps dicendus est, an negociator, an, ut uerius dicã, prædo? Veruntamẽ accidit aliquoties, ut bonus Princeps in summis rerum periculis, ad patriæ defensionẽ, & iniurias à subditis auertendas, atq; propulsandas, pecunijs opus habeat, ac præsidijs. In hoc extremo rerum discrimine, & urgente, aduersum quam, ne dij quidem (ut prouerbio dicitur) restiterint, neceßitate, nemo tam præfractus, aut iniquus fuerit, qui non libenter bono suo Principi suppetias tulerit, cum in hoc grauißimo casu, nec sacris

Er. in prim. instit.

oris etiam rebus parci debeat. Sic temporibus D. Augustini, quibus religio Christiana uehementer oppugnabatur, ad redemptionem captiuorum, sacra Ecclesiæ uasa aurea & argentea distracta legimus. Sategit enim uir Deo plenus & clarus Episcopus, nomine Deo gratias, uniuersa ministerij uasa, aurea uel argentea distrahere, & libertatem de seruitute barbarica liberare, ut & coniugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderentur. Et quia loca non sufficiebant ad capiendam multitudinem tantam, Basilicas duas nominatas & amplas, Fausti & Varij, cum lectulis atque straminibus deputauit. At sunt quidam, qui nihil aliud agant apud Principes, quàm ut subinde nouis titulis repertis, quàm plurimum emungatur à populo, ac tum se principum rebus probè consuluisse credunt, perinde quasi hostes sint suorum ciuium. Atqui hos qui libenter audit, is sciat se à Principis uocabulo plurimum abesse, & hos qui faciunt, paruam à Deo, atq; hominibus gratiam inire. Vincit omnem eloquentiam quorundam rapacitas. Nihil est rerum, unde non aliquid exprimant emolumenti. Nec modus est, nec finis, quotidie nouas exigendi uias excogitant. Et quicquid semel inuasit, per occasionem temporis, id mordicus retinent. Hæc per se satis odiosa, dum per insolentes ministros odiosius exercentur, non mediocrem

Victor ep. de persecu. Aphricæ.

Er. in prin. institut.

Er. in pro. A mortuo. tribut. exi.

mediocrem inuidiam conciliant Principibus. Sed nihil sese indignũ existimant unde colligatur emolumentum, hoc est, unde fames accrescat tenuibus, & procerum, uel prædonum magis luxuries alatur. Neq; desunt, qui è nocentum facinoribus haud mediocrem faciant quæstum, legibus seu retibus utentes. Iam quis est magistratus, quod officium, quæ præfectura, quæ non ematur apud complures? Deniq; cum hæc tam multa non poßint explere pertusum dolium, hoc est, Principum fiscum, bellum prætexitur, colludunt duces, populus infelix ad medullas usq; exugitur, perinde quasi principatus nihil aliud sit, quàm ingens negociatio. Sed Principis titulo digni sunt, non qui Remp. sibi, sed se Reip. dicant. Etenim qui sibi egerit imperium, & omnia suis metitur commodis, is non refert quibus ornetur titulis, certè tyrannus est, non Princeps. Vt autem nulla pulchrior appellatio, quàm Princeps: ita nulla inuisior, & omnium sensibus execratior, quàm tyranni. Quanam igitur fronte sibi Principis titulum uendicant, qui paucos, & eos sceleratißimos, è suorum numero deligunt, per quos arte repertis prætextibus, & subinde nouatis titulis, populi uires simul & opes exhauriant, in suum conuertunt fiscum, siue quod inclementer extorserunt, aut prodigunt nequiter in uoluptatibus, aut insumunt crudeliter in bellis: & ut quisque

Er. in pri. institu.

quiſque in his maximè ueteratorem agere poteſt, ita plurimi faciunt, perinde quaſi Princeps hoſtis ſit populi, non pater, ut is præcipue uideatur Principis rebus conſulere, qui commodis populi quàm maximè officiat. Sed ut paterfamilias ſuis bonis accreuiſſe putat, quicquid ulli ſuorum obtigerit emolumenti: ita qui uerè Principis animo præditus eſt, in ſuo fiſco putat eſſe, quicquid uſquam ciues poßident, quos ſic habet charitate ſibi deuinctos, ac deditos, ut nihil uereantur, uel uitam impendere Principi ſuo, non modò pecuniam. Refert in Politicis Ariſtoteles in nonnullis oligarchijs hunc fuiſſe morem, ut ituri magiſtratum, conceptis uerbis iurarent in hunc modum: Plebem odio proſequar, & pro uirili adnitar, ut illi ſit malè. At Princeps Chriſtianus initurus magiſtratus, longè diuerſa iurabit ſuis. Et tamen audimus quoſdam tales eſſe erga populum, quaſi iuxta morem illum barbaricum iuraſſent, ſe populi rebus, modis omnibus hoſtes fore. Planè tyrannidem ſapit, quoties tum optimè eſt Principi, quoties populo eſt peßimè: & alterius felicitas ex alterius creſcit calamitate. Perinde quaſi paterfamilias id agat, ut ſuorum malis ipſe ditior reddatur, ac potentior. Qui ſibi Principis titulum uolet aſſerere, & inuiſum tyranni nomen cupiet effugere, non terroribus, ſed benefactis id ſibi uindicet oportet.

Neq; enim refert uel ab aſſentatoribus, uel ab oppreſsis appellari Principem, appellari Patrem patriæ, ſi re ipſa fuerit tyrannus. Et ſi maximè illi aduletur ſua ætas, at non aſſentabitur poſteritas. Vides formidabilium olim Regum, quos uiuos nemo, uel nutu audebat offendere, quanto odio poſteri proſequantur, quanta libertate deteſtentur ipſa etiam nomina. Grauiter à Seneca ſcriptum eſt, eodem loco, quo ponimus latrones, ac piratas, ponendos eſſe Reges, latronum ac piratarum habentes animum. Hic enim ſolus Regem à Tyranno diſtinguit, non titulus. Si quis Principem tyrannum, aut prædonem appellet, nonne uehementer commouebitur, & atrocia parabit ſupplicia? & meritò. Eſt enim atrox nec ullo pacto ferenda contumelia. At illud mihi iam cogites, quanto contumelioſior eſt in ſeipſum, qui uolens talis eſt, quẽ ille prædicat. Nam grauius eſt eſſe furem, quàm dici. Et atrocius eſt uitiare uirginem, quam uitiũ exprobrare. Vt benè Princeps audiat, id certiſsima conſequetur uia, ſi qualem ſe cupit prædicari, talem ſemetipſum exhibeat. Vt Auguſtus qui diligenter curaſſe legitur ne à populo inſtar tyranni haberetur, atq; timeretur. Non eſt uera laus, quæ extorquetur metu, aut tribuitur ab adulatoribus. Et malè agitur cum fama Principis, ſi huius præſidium in ſilentio minis indicto ſitum eſt. Iam ut

maximè præsens sileat ætas, certè loquetur (ut dixi) posteritas. Quanqnam quis unquam tam formidabilis fuit tyrannus, ut omnium linguas cohibere potuerit? Sit hoc perpetuum Principis decretum, absq; maxima causa grauare uel lædere neminem, prodesse omnibus, præsertim suis, mala uel tolerare, uel mederi, prout iudicabit in rem præsentem expedire. Qui hunc animum nō affert ad Remp. tyrannus est, non Princeps. Hoc igitur studendum & in hoc excogitandæ rationes, ut subditi non uexentur, aut quàm potest minimum exigatur à populo. Quippe si quis excutiat ueterum annales, reperiet plerasq; seditiones, ex immodicis exactionibus ortas fuisse. Proinde curandum erit bono Principi, ut quàm minimum irritentur hisce rebus animi plebis. Maxima laus Principum, suis contentos esse, & gratuitò, si poterunt, imperare. Sublimius est Principis officium, quàm ut mercenarium esse deceat. Et bonus Princeps habet, quicquid ciues poßident amantes. Quapropter & Ethnici meliores olim principes, intelligentes nimijs exactionibus irritari & exasperari subditos, diligenter curarunt, ne populi grauarentur, aut per suos officiarios expilarentur subditi. Verum cum Respub. corpus quoddam sit, ex uarijs membris compactum, in quorum numero sint Principes ipsi licet eximij, semper ea moderatione sunt

Ex Eras.

usi.

usi, ut omnibus ex æquo benè esset, non ut attenuatis cæteris, unum aut alterum uegetum ac saginatum euadat. Quòd si Princeps Reip. malis gaudet & alitur, neq; pars est Reip. neque Princeps, sed prædo. Quare Vespasianus, ut supra citauimus apud Philostratum, rogat Apollonium Thyaneum (quem antiqui ut deum admirati sunt) ut ipsum doceat, quæcunq; bonum Principem facere oporteat? Cui Apollonius imprimis præcipit, diuitias illas esse fugiendas, quæ ex collatione tributorum, à gementibus hominibus proueniunt. Habeat igitur bonus Princeps in ore promptũ, & in pectore cõditũ illud Imperatoris Traiani, cuius suprà mentio facta, qui fiscum Principis scitißimè lienem uocabat. Hic ab initio Procuratores habebat rapaces, qui prouinciales calumnijs expilabãt. Quorum unus fertur unumquenq; diuitum sic conuenire solitus: Quid habes? Vnde habes? Hæc ubi dixerat, addebat tertium: Pone quod habes. Sed admonitus à Pompeia Plotina uxore, cohibuit eiusmodi uexationes prouinciarum, addens uocem optimo iure laudatã: Fiscum esse lienem, quòd eo crescente, reliqui artus contabescant. Sensit optimus Princeps iniquum esse, sic explere fiscum unius, ut nihil habeãt subditi, præsertim cũ boni Principis sit, quicquid habet populus. Vnde M. Antonius Philosophus Imperator, tributa uel uectigalia, ubi ne

Beroal. de opt. statu.

Er. S. apo.

Iul. Capit.

ceßitas cogebat, remisit. Dedit præterea curatoribus regionum ac uiarum potestatem, ut uel punirent, uel ad præfectum urbis puniendos remitterent, qui ultra uectigalia quicquam ab aliquo exegissent. Et Diuus Adrianus nolens subditos nouis exactionibus offendere, Romam ubi uenit, continuò per edictum condonauit omnia debita, siue ea pertinerent Regi, siue ad ærarium.

Ex Dione Caßio.

Ex Sueto. ITEM: Tyberius Cæsar, præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus, scripsit: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere: hoc est, lanam, non pellem detrahere. Sensit Ethnicus Princeps, subditos pauperes nimijs extorsionibus non esse grauandos, aut perdendos, sed miseris relinquendum, quo uiuant: id auferentes, homicidas fore. Certè panis egentium uita pauperis est, qui

Eccle. 34. defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

Er. in prim. instit. Quapropter etiam atque etiam secum cogitet bonus Princeps, dum studet augere suum satellitium, dum neptem, aut sororem elocare, dum liberos omnes sibi pares reddere, dum proceres suos locupletare, dum peregrinando opes suas gentibus ostentare, quàm inhumanum sit, ob hæc tot hominum millia domi cum uxoribus ac liberis fame necari, inuolui ære alieno, ad rerum omnium desperationem adigi. Nec enim istos uel inter homines recen

fuerim,

ſuerim, nedum inter Principes, qui è pauperculis extorquent, quod turpiter perdant ſcortis, aut alea. Et huiuſmodi quoſdam audimus eſſe, qui hoc ius ſuum eſſe putent. Quare magis piè fecit Marcus Antonius Pius Imperator, Qui Procuratores ſuos modeſtè ſuſcipere tributa iußit, excedentes modum, rationem factorum ſuorum reddere præcepit, nec unquam lætatus eſt lucro, quo prouincialis oppreſſus eſt. Senſit tutißimam ſalutis ſuæ cuſtodiam, nulla quenquam ex ſubditis iniuria afficere. Et ut Solis partes ſunt illuſtrare radijs orbem, ita Principis egenorum misereri. Porrò ijs clarior eſt Imperator, qui pius eſt. Ille namque cedit ſuccedenti nocti, hic autem rapacitati prauorum non concedit, indulgetur quicquam, ſed lumine ueritatis, iniquitatis occulta coarguit. Ex Iul. Ca. Aga. ad Iu.

Darius Xerxis pater, cum tributum indixiſſet ſubditis, accerſitos prouinciarum præfectos, percontatus eſt, cũ de alijs rebus, tum de tributis, eſſent ne grauia: cum illi reſpondiſſent, eſſe mediocria, iußit, ut ſinguli dimidium exigerent. Senſit tempore neceßitatis mediocria extorquenda eſſe, pro pauperum fortunis atque conditionibus, non auariciæ, uel ambitionis impulſu. Sic enim nullus exigendi modus, uel finis eſſet: quandoquidem infinita eſt cupiditas, & ſemper urget ac intendit, quod cœpit, donec iuxta prouerbium uetus: nimiũ Er. im pri. inſtit.

tensus rumpatur funiculus, & in seditionem de-
mum erumpat uicta populi patientia, quæ res flo-
rentißimis quondam imperijs exitium attulit.

Cum igitur Christianus Princeps uideat Eth-
nicos clementer erga populum se gessisse, atque
exactionibus abstinuisse, semper adnitetur suos
benigne magis ac sapienter regere, quàm aßiduis
exactionum generibus & abalinare & disperde-
re, ne iuxta prouerbium, opera Silosontis ampla
regio, hoc est, ne maliciosam suam per auariciam
incolæ nimium onerati, cogantur regionem ac so-
lum natale deserere. Cogitabit, quòd multò plus
incommodi, quàm utilitatis soleat ab exactionibus
nimijs proficisci. Inde enim inuidiæ, atq; simultatis
plurimum, sed admodum parum durantis emolu-
menti sibi contrahunt Heroës, raro locupletes e-
munctionibus inopum redditi. Id qui cupiat agno
scere, recenseat quanto minus proaui sui recepe-
rint, & quanto beneficentiores fuerint, quantoq;
magis rebus omnibus abundarint: contrà quòd bo
na pars horum, inter digitos exigentium, & reci-
pientium dilabatur, & minima pars redeat ad ip-
sum Principem, & si redeat, protinus euanescat.
Verum si aulicorum nonnulli dixerint: Scriptum
est: Illustrißime Princeps: Reddite quæ sunt Cæ-
Math. 22. saris Cæsari.

ITEM: Ne simus offendiculo, profectus ad
mare,

mare, mitte hamum, & eum piscem, qui prodierit primus, tolle, & operto ore illius inuenies staterem, acceptum eum da illis pro me & te. Math. 17.

ITEM. Exijt decretum à Cæsare, ut censeretur totus orbis. Ascendit autem & Ioseph, cum Maria. Lucæ. 2.

ITEM: Reddite omnibus quod debetur, cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal. Quibus planum factum est, te salua conscientia posse, tuis à subditis quicquid libuerit extorquere, & Themistoclis etiam exemplum imitari. Qui, cum apud Andrum argentum exigeret: Duos, inquit, ad uos adduco deos, Vim & suasionem. Significans si minus impetraret suadendo, se ui erepturum. At illi responderunt, Apud se quoque duas magnas esse deas: Inopiam & impoßibilitatem, per quas non liceret dare, quod petebat. Atqui Christianus Princeps non facile uerbis assentatorum, quibus instigari uideatur ad onerandos pauperes, acquiescet: sed animo reuoluet Augustum Cæsarem, atque alios, quos in nouo testamento legerit heroës potentes, Ethnicos homines fuisse, iam indignißimos imitatu, quibus tum noui Christiani libenter omnia sua (quod adhuc hodie, si necessitas ingens requisiuerit, Christiani dubio procul intrepidè facerent) impendissent, ut pace perfrui, & in religione suscepta, tranquillam uitam exi- Hero. li. 8. Plu. in uit.

Erasm. in prin. insti.

gere potuissent. Secū diligenter expendet, Quicquid in Euangelicis, aut apostolicis literis de tolerandis dominis, de parendo præfectis, de honorandis Regibus, de pendendo tributo dictum est, id ad Ethnicos Principes esse referendum: quòd ea tempestate nondum essent Principes ulli Christiani. Euangelium tolerari iubet impios magistratus, ne quid perturbetur ordo ciuitatis, modò suo fungantur officio, modò ne imperent impia. Honorem exigit Ethnicus princeps, Paulus honorem iubet dependi: uectigal exigit, uult solui uectigal, tributum exigit, iubet (nihilo enim deterior fit his rebus homo Christianus) tributum dari. Atqui Principes uiderint, quibus causis impulsi subditos expilent. Certè Christianos Principes omnino non decet idem, quod olim Ethnicos: hi sæpenumero suos inclementer tractauerunt, ius suum arbitrati, subditos metu premere, exigere possessionibus, expilare bonis. Id qui faciunt, duplex incommodum assequi solent, Primo sibi maximum conciliant odium, deinde bonis extortis inter digitos dilabentibus, redduntur non ditiores, sed infeliciores. Homines olim infesti nimus erant augusto Cæsari, propter immodicas tributorum exactiones, quibus coacti alij partem quartam fructuum contulerunt, alij præsertim libertinæ conditionis, octauam totius patrimonij. Quæ omnia

nia uelut inter manus dilapsa, ut parum ditantia; sic parum durabilia fuerunt. Etenim malè parta, malè (iuxta prouerbium) dispereunt. Vnde cũ M. Antonio pugnaturus ipse, Antonij magnitudine copiarum audita, uehementer trepidauit. Deerant enim complura ad belli apparatum. Plut. in ui. Antonij.

ITEM: Vesana extorquendi libido Vespasianum patrem, non tam fortunatum, quàm omnibus inuisum reddidit. Is reprehendenti olim Tito filio, quòd etiam urinæ uectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admouit ad nares, sciscitans num odore offenderetur, & illo negante, Atqui, inquit, è lotio est. Lucri bonus est odor è re qualibet. Quã pestilentissimã Cæsaris Ethnici uocem, Princeps bonus dignam execratu iudicans, auarissimorum exempla tyrannorum minus imitari, aut eorum prætextu maleficijs patrocinari suis præsumet: ut Alexandri Regis improbo facto, suum Rex Antigonus defendit. Hic in extorquendis pecunijs acer erat ac rigidus. Cuidam itaque dicenti: At nõ talis fuit Alexander. Meritò, inquit, Nam ille metebat Asiam, ego culmos lego. Sentiens locupletissimam Asiam prius ab Alexandro spoliatam, sibi à spoliatis corradendum esse, quod posset. Sed facta potius optima Heroum optimorũ in Historiographis obuia, Christiani Principes in rectè agendi exempla sibi conuertent. Sic ad grauandos pauperes. Suetoni. in Cæsarib.

necesſitate ſumma compulſi, ſubditorum efflictim miſerebuntur, & breuiter, ita ſe gerent, ac tam clementes ſuis ſeſe præbebunt, quaſi in ſubditorum miſerorum loco ſint ipſi. Ad conſeruandum igitur, quod fortiſsimum, ut dixi, principis eſt propugnaculum, communem populi fauorem, qui multis ex actionibus amitti facilimè ſolet: tria potiſsimũ ipſo exigendi tempore facient:

PRIMVM. Quicquid ſubditis imperaturi ſunt, id ipſum principiò ſibijpſis imperabunt, præibuntq; ſuis exemplo, parati facultatibus proprijs non pauperum ſudore, communia Reipublicæ mala propulſare. Cum olim apud Romanos, de remigum in Siciliam ſupplemento cœptum eſſet agi, neque hominum ſatis, nec pecuniæ quicquam in publico eſſet, edixerunt Conſules, ut priuato ex cenſu, ordinibusq; ſtipendia & cibaria darentur. Ad quod edictum tantus fremitus hominum, tanta indignatio fuit, ut magis dux, quàm materia ſeditionis deeſſet: plebem Romanam perdendam lacerandamque Conſules ſumpſiſſe, per tot annos tributis exhauſtos, nihil reliqui præter terram nudam ac uaſtam habere, tecta hoſtes incendiſſe, ſeruos agricultores Romani populi abduxiſſe, nũc ad militiã paruo ære emendo, nunc remiges imperãdo, ſi quid cui argenti, ærisúe fuerit, ſtipendio remigum, & tributis annuis ablatum: ſe ut dent, quod non habent, nullaui

Liu. lib. 6. 3. belli pu.

la ui, nullo imperio cogi posse, bona sua uenderent, in corpora, quæ reliqua eßent, sæuirent, ne, unde redimantur quidem, quicquam supereße. Hæc non in occulto, sed propalam in foro, atque oculis Consulum ingens turba circumfusa fremebant, nec eos sedare COSS. nunc castigando, nunc consolando poterant. In hac rerum difficultate, quum hæreret consilium, ac propè torpor quidam hominum mentes occupaßet, tum M. Valerius Leuinus Consul: Magistratus, inquit, Senatui, & Senatus populo sicut honore præstant, ita ad omnia dura & aspera subeunda duces eße debent. Si quid iniungere inferiori uelis, id prius in te ac tuos, si ipse iuris statueris, facilius omnes obedientes habeas. Nec impensa grauis est, quum ex ea plus quàm pro uirili parte sibi quenq; capere Principum uiderint. Itaque ut claßem habeat, quam ornare uolumus, populus Romanus priuatos sine recusatione remiges dare nobismetipsis imperemus. Primum aurū, argentum, æs signatum, omnes Senatores crastina die in publicum conferamus, ita ut annulos sibi quisque, & cōiugi, & liberis relinquat, aurum cæterum & argentum ad triumuiros mensarios extemplò deferamus, nullo antea sanatusconsulto facto, ut uoluntaria collatio, & certamen Reipublicæ excitet ad æmulandum animos, primùm equestris ordinis, deinde etiam plebis.

In quod consilium, cum consensum esset, tanto certamine in publicum æs collatum est, ut nec triumuiri mensarij accipiendo, nec scribæ referēdo sufficerent. Magistratum enim Senatus, Senatum equester ordo, equestrem ordinem plebs secuta est ita, ut nec remige in supplementū, nec stipendio Respublica eguerit.

ALTERVM, Quòd si neceßitas efflagitarit, exigi nonnihil à populo, tum bonorum Principum erit, id his rationibus facere, ut quàm minimū incommodorum perueniat ad tenues. Nam diuites ad frugalitatem uocare, fortaßis expedit. At pauperes ad famem & laqueum adigi, cum inhumanum est, tum parum tutum. Et censum instituit Numa, rem saluberrimam futuro imperio, ex quo belli pacisq; munia non uiritim, sed pro habitu pecuniarū fierent. Quare Rex Agesilaus cum parum instructus eßet, Ephesum se recepit, ibi pauperes relinquendo denunciauit opulentis, ut quisquis pro se uirum & equum præberet, à militia esset immunis. Hac arte factum est, ut pro ignauis & timidis diuitibus, breui colligeret & equos & uiros strenuos, ac bello magis idoneos. Qua quidem in re aiebat, se Agamemnonis exemplum retulisse, quòd is accepta equa generosa, uirum Echepolum diuitem, sed ignauum, militia liberaßet. Hæ sunt artes excellenti Principe dignæ, quibus efficitur, ut quod ad Rei publicæ

Erasmus in prin. instit.

Plu. in ap.

Ho. Ili. ↓.

publicæ dignitatem, incolumitatemq; necessarium est, non per uiolentiam inuidiosam, nec per inæqualitatem malitiosam extorqueat, sed ea dexteritate impetret, ut nec tenues grauet, et à ditioribus etiam gratiam ineat. Sic P. Scipio Aphricanus relictis pauperibus ex Siciliæ iuniorum numero, principes genere & fortuna trecentos equites, qui secũ in Aphricam traijcerent, legit, diemq; ijs, qua equis armisq; instructi, atq; ornati adeßent, edixit. Grauis ea militia, procul domo, terra mariq;, multos labores, magna pericula allatura uidebatur Ergo ubi dies, quæ edicta erat, aduenit, & arma equosq; ostenderunt. Tũ Scipio renunciari sibi dixit quosdam equites Siculorum, tanquam grauem ac durã horrere eam militiam, si qui ita animati essent, malle eos sibi tunc fateri, quàm postmodum querentes, segnes atq; inutiles milites esse Reipub. expromerent, quid sentirent, cum bona uenia se auditurum. Vbi unus ex ijs ausus est dicere: se prorsus, si sibi, utrum uelit, liberum esset, nolle militare: tum Scipio ei, quando igitur adolescens quid sentires, non dißimulasti, uicarium tibi expediam, cui tu arma, equumq;, & cætera instrumenta militiæ tradas, & tecum hinc extemplò domum ducas, exerceas, docendum cures equo tradito, armisq;: cui læto cõditionem accipienti, unum ex trecentis, quos inermes circa se habebat, tradit. Vbi hoc modo exauto

Liu. lib. 9. sec. bel. pu.

ratum

ratum equitem, cum gratia Imperatoris cæteri uiderunt: se quisque excusare, & uicarium accipere: ita trecentis Siculis Romani substituti equites, sine impensa publica, et pauperum grauationibus. Egregiam hanc alam equitum euasisse ferunt, multisq; prælijs Rempub. adiuuisse.

TERTIVM. Boni Principes ante omnia curabunt, ut quod semel per occasionem temporũ, aut urgentium periculorum occasiones fuerit inductum, id sublata exigendi neceßitate, non modò tollatur, sed etiam onus populi, & quo ad fieri poßit, superiorum temporum dispendia resarciantur atque reponantur. Qui enim bene uolũt populis suis, cauebunt exemplũ pestilens, quod semel obtrusum aboleri nequeat, inducere.

ITEM, Impendentia pericula publica proprijs suis rerum iacturis libenter compensare studebunt, ut ita subditorum (quem qui amiserunt, maximum procul dubio thesaurum amiserunt) fauorem conseruent, ne calamitate suorum gaudere uideantur. Vtriusque exemplum Historiographi celebrant, alterum in Gelone Syracusano, alterũ in M. Antonio Philosopho Imperatore. Cum ille pecuniam à ciuibus suis Siculis exigeret, & idcirco tumultuantes ciues uideret, ait se petere mutuò, quippe redditurum. Ita uolentes dederunt, atque peracto bello reddidit. Hoc artificio perfecit, ut pecunia

Plut. in ap.

non

non deesset ad bellum necessaria, nec ciues haberet minus beneuolos. Cum M. Antonius Philosophus ad bellum omne ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, ut extra ordinem prouincialibus aliquid imperaret: In foro diui Traiani auctionem ornamentorum imperialium fecit, uendiditq; aurea pocula, & crystallina, & myrrhina. Vasa etiam regia, & uestem uxoriam, sericam & auratam, gemmasq; etiam, quas multas in repositorio sanctiore Hadriani repererat, & per duos quidem menses hæc uenditio celebrata est, tantumq; auri redactum, ut reliquias belli Marcomannici ex sententia persecutus, postea dederit potestatem emptoribus, ut si quis uellet, empta redderet, atq; aurum recipere sciret licere. Nec molestus ulli fuit, qui uel nõ reddidit empta, uel reddidit. Hæc si Ethnici, quid nõ bono iure Christiani principes faciẽt? Iuli. Capit.

PRAETEREA, Quarum rerum usus infimæ quoq; plebi communis, & maximè necessarius est, has quàm minimũ grauabunt boni Principes, uelutifrumenti, panis, cereuisiæ, uini, pannorũ, agrorum, hortorũ, equorũ, uaccarum, ouium ac cæterarum item rerũ, sine quibus humana uita non potest transigi. At hæc nunc potißimum onerantur, idq; nõ uno modo, primũ grauißimis exactionibus, quas redemptores extorquent, uulgus Acisias uocat: deinde portorijs, quæ et ipsa suos habent redẽptores:

postmodum monopolijs, ex quibus, ut paululum cō pendij redeat ad Principem, dispendio maximo tenues multantur, tamen si uitari non potest, quin exigatur aliquid, & ita res populi flagitet, onerentur barbaræ ac peregrinæ merces, quæ non tam ad uitæ faciunt necessitatem, quàm ad luxum ac delitias, & quarum usus diuitū est peculiaris, ueluti byssus, serica, purpura, uina peregrina, aromata, unguenta, gemmæ, & si quid est aliud huius generis. Nam hinc incommodum sentient ij tantum, quorū fortunæ ferre possint, nec ob hanc iacturam ad inopiam redigentur: sed fortasse reddentur frugaliores, ut pecuniæ iactura morum bono sarciatur. Postremò in cudenda moneta, non permittent sibi boni Principes, quod atrocissimis supplicijs puniunt in alijs. Hac in re quatuor ferme modis expilari populus solet. Primum, ubi numismatis materia mixtura quapiam uiciatur, deinde quum ponderi detrahitur: præterea quum circumcisione minuitur: postremò quum æstimatio (quod iniquissimum est) nunc intenditur, nunc remittitur, utcunque uisum fuerit, non loculis pauperum, sed Principis fisco conducere.

Ex Erasm.

DE VENATV PRINcipis.

Princi-


Rincipibus iunioribus uenatio duplicem adfert cõmoditatem. Principio maximam ad labores perferendos patientiam atq; robur, ad hæc bonam corporis ualetudinem administrat. Ferunt enim quotidianas exercitationes plus ad sanitatem prodesse, quàm medicos ac medicinam, cum exercitatione cuncta conualescãt, & sine ea impoßibile sit, hominem sanitati prosperrima frui. Quibus rationibus adductus Socrates, sæpius saltabat, eamq; excercitationem plurimum ad tuendam bonam ualetudinem conducere existimat. Et inter labores uoluntarios, & exercitia corporis, ad fortuitas patientiæ uices, firmamentum id quoque accepimus Socratem facere insueuiße. Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu perdius atque pernox, à summo lucis ortu ad solem alterum orientem inconniuens, immobilis, iisdem in uestigiis, & ore & oculis in eundem locum directis. Rectè igitur Isocrates inquit: Exerce teipsum spontaneis laboribus, ut inuitos suffe ras. Et Vegetius: Exercitatio continua prodest, ut quotidiani laboris usus in pace, difficilis non uideatur in bello. Hinc Germanorum omnis uita, in uenationibus ac re militari existebat. Commune his studium, uenari, equitare, uagari, per iuga ueloces cursu præuertere ceruos. Et corporis exercita-

Beroal. de felicitate.

Dio. lib. 2.

Gel. 2. c. 1.

Vege. li. 2. cap. 24.

tionem conferre ad uirtutem capeßendam Aristippus asseruit. Vnde Macedorum Rex Alexander suos magis ad uirtutem inflammabat, cum uel militia, uel uenationibus cunctos in perferendis malis ac laboribus exuperaret. Is quum eximiæ magnitudinis leonem sterneret, Spartanorum Legatus, qui fortè aderat: Pulchrum erat Mediusfidius, ait, Alexander, ut pro imperio cum leone decertasses. Et Lycurgus Lacedæmoniorum Rex quopiam percontante, quam ob rem uirginum corpora, cursibus, luctis, ac telorum iactibus fatigaret: Vt inquit, fœtuum proseminatio, ab ipsa statim radice, ualidum in ualidis corporibus initium sumens, rectè germinet: simul ut ipsæ in perferendis partubus, facilè simul & generose certent aduersus pariendi nixus, doloresq́;. Postremò si qua incidat necessitas, poßint pro se, & pro liberis, & pro patria pugnare. Intellexit uir prudens, quãta rerum publicarum pestis sit ocium, atque ignauia. Contrà, moderatos labores etiam corpora reddere cũ firmiora, tum salubriora. Vnde nec uirginibus permisit in ocio uiuere, sed has quoque masculinis exercitijs, quodammodo uertit in masculos, cũ in plerisque ciuitatibus per delitias ac luxum masculi in fœminas transformarentur.

Dio. lib. 2. — Plu. in uit. — Plu. in ap.

DEINDE, Venatio feras pingues, ornamenta coquinarum adfert, & præcipuè ad rei militaris

Ci. de nat. deorum.

taris artem maximè conducit. Immanes enim non modò feras beluas nanciscimur uenando, sed etiam exercemur, ad similitudinem bellicæ disciplinæ. Quippe ut in uenãdo Princeps à truculenta bestia modò sibi solerter cauet, prudenterq; prospicit: modò uafer insidias tendit, ac indulgenter tractat: mox aperto Marte imperterritus adoritur, atque fortiter sternit. Sic in bellis modò sagax declinat hostem, non temere congreditur, iam stratagemate ludit ac uelitatur. Mox intrepidus in hostem impressionem facit, collatis signis fortiter dimicat, & manibus cõsertis hostes occidione occidit. Atqui Christianus Princeps, ut in alijs omnibus, sic in uenationis exercitio modum seruabit. Etenim

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, — Horatius.

Quos ultra, citraq; nequit consistere uirtus.

Quorum si Princeps immemor, aßiduis uenationibus indulserit, pauperum curam abiecerit, atque in syluis inter spelæa ferarum equo circumuectus, Reipub. negocia turpiter neglexerit, is peccat uehemẽter, diuinitus iniuncto munere suo nõ functus: sed è Principe factus indigna permutatione uenator, et horridus syluarum cultor, Quas ad honesta studia minus idonei solent colere, cõmunem cum feris, ac canibus, ac uolucribus uitam exigentes. Cuius fortasse quosdam puduerit, qui ad antiquã Ethnicorum uitã sese mensi fuerint, atq; cõparauerint. — Ex Petrar. dialog.

Qui sæpe legere poterunt, & Platonem philosophantem, Homerum poëtantem, Tullium orantem, & Cæsarem triumphantem, uenantem puto non legerint. Vehementer igitur delinquunt, qui penitus omisso dignitatis, ac suæ maiestatis officio, se totos beluis tradunt, omnia spacia, temporumq; momenta in sectandis apris, leporibus, ceruis uecorditer insumunt. Quibus pluris sunt, equorum stabula, canesq; & accipitres, quàm sapientum diuina gymnasia, & salus subditorum. Quippe, homines quidam (ut diuus Augustinus inquit) uident uenatores & delectantur. At uæ miseris, qui non correxerint, qui uenatorem uident & delectantur: Videbunt saluatorem, & tristabuntur. Esau uenator erat, quoniam peccator erat, & penitus non inuenimus in scripturis sanctis, sanctum aliquem uenatorem, piscatores inuenimus sanctos. Si obijcias de Eustachio, & Huperto, Respondet Glosa: Venatorem sanctum non inueniri, dum uenator permanet. Non enim in eo debet despici, quod fuit, quãdo iam inceperit eße, quod non fuit. At qui teneris annis per uniuersam uitã huic furiæ aßueti sunt, uix hanc nisi morte derelinquunt: sicq; toto uitæ cursu leporem aut ceruum, pluris facientes, quàm sapientiam, necessaria Reipub. negocia negligunt, ac parauipendunt. Adrianus Imperator olim uenandi studio ad insaniam, & periculum tenebatur, nam inter

Ex Matth. Bosso.

Vuimphel. in adolesc.

Ex Hiero.

Vuimphel.

ter uenandum diffracto humero, & crus penè contriuit. Sed huic rei licet aßiduam operam daret, nihil tamen eorum neglexit, quæ ad administrandam Rempublicam, & imperij commoditatem pertinerent. Hoc Ethnico Principe, quosdam Christianos longè deteriores perdita uenandi libido facit, quos Franciscus Petrarcha sic alloquitur inquiens: Inutiles undiq;, & uenandi studio manci effecti estis, qui ne nihil agere uideamini, multo cum strepitu ante diem surgitis, & quasi sint hostes in limine, præcipitanter erumpitis, tota dehinc luce iactamini stagnis, syluis ac uepribus, implentes cuncta clamoribus dißonis, et incōdito ululatu. In hoc spiritum, nulli maiori rei habilem effundentes, spiritum, quo maiores uestri bello terrebant hostes, pace iustitiam defendebant. Serò autem, quasi re bene gesta, domi sedetis altercantes, quàm bene uel auis hæc uolauerit, uel illa digeßerit, quot sint caudæ, quot alarum plumæ superstites, quot amißæ. Nonne hæc omnis sciētia uestra est, hic amor, hæc felicitas; & hoc totum quod Creatori Deo, quod altrici patriæ, quod parentibus, quod amicis redditis? Quis uos ferat ad aliud natos, in his uiuere, si modò uiuitis, hæc agentes. Antiochus ille, qui bis exercitum duxit aduersus Persas, quum in uenatu quodam feram insequeretur, aberrans ab amicis ac famulis, in casam pauperum quorundam, quibus Plut. in ap.

Petrarcha

ignotus erat, introijt, atque inter cœnam iniecta mentione Regis, audiuit, quòd cætera quidem probus esset, sed plerasque functiones mandaret amicis improbis, ipse ad eorum facta conniuens: tum quòd immodico uenandi studio frequenter necessaria negligeret. Ad hæc tum temporis nihil respondit, nec quis esset, prodidit. Verum ubi diluculo satellites uenißent ad casam, iamq; agnosceretur, allata purpura simul cum diademate: Age, inquit, ex quo uos indui, heri primum uera de me ipso audiui. Nam ferè hoc studio est his, qui uiuunt in aulis Principum, ne quid audiant, uel dicant, nisi blandum auribus. At si nonnulli Christianorum Principum, aut potius uenatorum à syluis in agricolarum aliquando casulas incogniti sese reciperent, ac patienter (ut Antiochus) auscultarent, multa Principibus indigna, sed uerissima, dubio procul audituri essent atque percepturi: præsertim ab ijs subditis miseris, qui Principem uenando insanientem, per horrida nemora, syluas, saltus, ualles, montes, ac ferarum cubilia secuti, coguntur rebus infectis domum redire, cum magna temporis ac rei familiaris iactura.

ITEM, ab ijs agricolis, quos truculenti, nimia Principum indulgentia nõnulli uenatores, ipsis dominis immitiores uexant, pauperum facultates canibus absumunt. Breuiter, inopem plebem absq;

omni

omni misericordia, non secus atque feras beluas exercent atque raptitant, ut non iniuria uenatorum quidam semidiaboli rusticorum appellentur.

ITEM: ab ijs, quibus immanium ferarum greges depascunt omnia sata, boumq; labores, unde pauperem familiam alere, & ipsi Principi uectigal exoluere debeant. Quam uidentes coguntur propriã maximo cum dolore, calamitatem tolerare. Nam pauper nemo tantas patiens iniurias, audet aliquo crepitaculo terrere, nedum bacillis abigere noxias feras. Quarum aliqua si casu fuerit læsa, longè maiores & atrociores, ab aulicis uenatoribus excitantur Tragœdiæ, quàm si pagus uniuersus rusticis probißimis refertus, ferro uel igne crudeliter fuerit absumptus. Ita quidam uulnera nocentium ferarum acrius, quàm humanam cædem ulcisci non dubitant. Quorum impiam truculentiam hi ueteris autoris uersiculi meritò taxant.

Ne iustum credas, si qui leporem petit arcu,
Plus castigatur, quàm fur, blasphemus, adulter, Ex adolesf. Vuimphel.
Raptor, sacrilegus, latro, paricida cruentus.

Faciant igitur Principes Christiani, non sicut Lamech, Nemroth, & Esau, sed sicut Eustachius & Hupertus, desistãt, cessent, pauperes audiãt, Rempub. curẽt, deo seruiant, et beati tandẽ efficientur.

ne uerum de ijs sit, quod Aeneas in Europa sua, his uerbis scribit: Non est diuinus sermo Principibus auditus. Contenti rerum statu potentes, futurum Christi regnum non nisi morientes inquirunt.

DE PRINCIPVM IN EQUOS ATQ; CANES STUDIJS.



Quos atque canes bonas Dei creaturas nemo sanae mentis odio prosequitur: sed eorum studijs aequo plus incalescere, ac insanire, non Principum Christianorum est, sed Ethnicorum, quorum multos hoc studio, usq; ad ludibrium captos legimus. Iulius Caesar equo insigni utebatur, pedibus propè humanis, & in modū digitorum ungulis fißis, quem natum apud se maxima cura aluit, cuius instar, pro aede Veneris postea dedicauit. Alexander amato equo Bucephalo sepulchrum construxit, & ob equi honores oppidum condidit Bucephalon appellatum. Mirabilior in Augusto Caesare, sed minor ineptia, neq; enim urbem equo ille suo instituit, sed sepulchrum. Minor multo, uel aetate, uel etiam gloria: uerum opibus, ac Caesareo nomine penè aequalis Verus Imperator, qui equo suo Prasino simulachrum aureum fecit, quod secum portabat. Cui quidam paßas

Sue. in Cae.

Gell. lib. 5. cap. 2.

Pet. in dia.

Ex Iul. Ca.

uuas

uuas, & nucleos in uicem ordei in præsepe pone- bat, quem sagis fuco tinctis ad se iubebat adduci. Cui mortuo sepulturam in Vaticano iußit extrui, tot inter sacra hominum ossa ibi condita, atq; con dendа. Et Hadrianus Imperator equos & canes sic amauit, ut eis sepulchra constitueret. Qui op- Ael. Spar. pidum Hadrianotheras, in quodam loco, quòd il- lic & feliciter esset uenatus, & ursam occidisset aliquando constituit. Franciscus Petrarcha scri- bit se nouisse uirum ingentis fortunæ, qui ægrotan Dialo. li. 1. ti equo, cuius amore tenebatur, aureum puluinar, dial. 31. & sericum cubile substrauerit. Dij faciant hodie nulli sint, qui neglectis hominibus pauperculis, ani malia bruta diligentißime curent, qui bestias lau- tißime, relicto ad fores Lazaro, saginent, qui de- mũ in multo maiore precio canes, uel ἰχνευτὰς, uel μελιταίους, & equos habeant, quàm suos à Deo Opt. Max. concreditos inopes subditos. In- diam petenti Alexandro Magno Rex Albaniæ do no dederat inusitatæ magnitudinis canem, cuius specie delectatus, iußit ursos, mox apros, & dein- Plin. lib. 8. de damas emitti, contemptu immobili iacente, ea- cap. 40. q; segnicie tanti corporis offensus Imperator, ge- nerosi spiritus eum interimi iußit. Nunciauit hoc fama Regi. Itaque alterum mittens, addidit man- data, ne in paruis experiri uellet: sed in leone, ele- phantóue. Duos sibi fuisse, hoc interempto, præte-

rea nullum fore. Nec distulit Alexander, leonem protinus, postea elephantum iußit induci: haud alio magis spectaculo lætatus, horrentibus quippe per totum corpus uillis, ingenti primum latratu intonuit: Mox in ceruicem assultans, contraque beluam exurgens hinc & illinc artifici dimicatione, qua maximè opus esset, infestans, atq; euitans, donec aßidua rotatū uertigine afflixit, ad casum eius tellure concussa. Hunc Ethnicum Alexandrum aliquando canibus oblectatum fuisse, nō existimauerim uiciosum, cum alias etiam (ut suprà meminimus) acri literarum, sine quibus imperia commodum administrari non possunt, studio delectatus fuerit. Nam cum delato ad ipsum scriniolo, quo nihil inter opes Darij preciosius, pulchriusq; repertum est, quæreretur, in quem usum destinandum esset: alijs aliud suadentibus, dixit: Huic optimè seruandus dabitur Homerus. Sentiens nullum esse thesaurum illo preciosiorem. At hodie fortasse (quod turpißimum) inueniri possunt, quibus si tale scriniolum donaueris, sint in phalerarū, atq; uenabulorum potius usum, quàm librorum destinaturi. Quibus si canem, aut equum insignem dono miseris, multò plus gratiæ, uel præmij consecuturus fueris, quàm si dederis Homerum: aut bonos libros, cōmodam Reip. fœliciter administrandæ doctrinam continentes, dedicaris.

Plu. in uit.

QVA-

QVALEM SESE PRINCEPS effero simul ac iniquo Rusticorũ subditorum uulgo debeat exhibere.



Vstica gens nonnullis monachis, atq; religiosis compluribus ruricolis procul dubio sanctiores iudicarentur, si piè uiuentes, à Deo ordinatæ potestati morem gererent, & in omnibus, quæ non contra Deum, obedirent: Deinde si in uocatione sua, qua uocauit eos Dominus, persistentes, laborem quisq; suum fideliter curarent. Etenim Obedientia sanctißima uirtus, melior est, quàm uictimæ: quibus illa iure præponitur, quia per uictimas aliena caro, per obedientiam uerò propria uoluntas, quæ plerumq; mala, mactatur. Et iustus & honestus labor, honoribus, præmijs, splendore decoratur. Vnde Cleanthes cum audisset, à Lacone quodam probari, bonumq; uocari laborem, delectatus eo dicto subiecit hemistichium Homericũ αἵματος εἰς ἀγαθοῖο φίλον τέκνον, id est, sanguine præclaro satus es, charissime fili. Sed multi subditorũ imobedientes, morosi, arefacto (ut aiunt) rubo præfractiores, omni fraude, & impietate conflati atq; consuti nebulones sunt, parati bonos omnes ab honestatis uia deducere, corrumpere, perdere, sacra profanis

Gre.15.moralium.

Ci.de Ora.

Diog.li.7.

misceré

miſcere, communem pacem interturbare, & ſi poſſent omnes, quod nulli unquam Ethnici tyranni deſignare ſunt auſi, bonas unà cū pietate literas, funditus abolere, teterrimi diuinarum ſimul ac humanarum legum contemptores, ut illud uerißimè dici queat: οὐδ᾽ ἐν ὑγιές. Hi, quos nullus honeſtatis reſpectus, nulla mouēt eloquia diuina, dignißimi ſunt ut infernum ſortiantur duplicem: alterum in uita, poſt mortem alterum. In quos illud iure dici poteſt. Compedes in pedibus doctrina ſtulto. Et: Flagellum equo, Frenum aſino, Virga tergo ſtultorū. Item: Bis ſeptem plagis Polypus contuſus. Item: Phryges plagis emendantur. Quos ſi clementius æquo tractare contenderit Princeps, non meliores, ſed inſolentiores, & iniquiores redderet, ac efficeret indulgendo, ut arbores malæ peßimos in fructus luxuriarent. Quare bonus Princeps communis Reip. cauſa, natiuam bonitatem exuet, & Phalaridis (ut aiunt) imperium aſſumet, in hoc, ut pro meritis, malè malos exerceat, atque tractet. Etenim in eos uſus geſtat gladium, terrori non benè agentibus, ſed malè. Vis igitur non timere poteſtatem? quod bonum eſt facito, & feres laudem ab illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Quod ſi feceris malum, quod malum eſt, time.

Eccleſi. 21.
Pro. 26.
Roma. 13.

DE

DE CLEMENTIA PRIN- cipis, atque longanimitate.



Onos Principes (ut suprà dictum) immortalibus dijs Antiquitas comparauit. Vnde Sene. inquit: Optimè deos exemplum Principibus cõstituam, ut se tales ciuibus praebeant, quales sibi deos esse uolunt. Quod si dij placabiles & aequi, delicta potentium non statim fulminibus prosequuntur, quanto aequius est hominem hominibus praepositum miti animo exercere imperium? Excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quàm clementia, quocunq; modo is, & quocunq; iure praepositus caeteris erit. Eò scilicet formosius id esse, magnificentiusq; fatebimur, quò in maiore praestabit potestate, quam non oportet noxiam esse, si ad naturae legem componitur. Natura enim commenta est Regem, quòd ex alijs animalibus licet cognoscere, ut ex apibus, quarum Regi amplißimum cubile est, medioq; ac tutißimo loco. Praeterea onere uacat, exactor alienorum operum, & amisso Rege totum dilabitur examen. Nec unquam plus unum patiuntur, melioremq; pugna quaerunt. Praeterea insignis Regi forma est, dißimilisq; caeteris, cum magnitudine, tum nitore. Hoc tamen maximè distinguitur:

Seneca de clementia.

guitur: iracundißimæ, ac pro corporis captu pugnacißimæ sunt apes, & aculeos in uulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec sæuum esse, nec ultionem magno constaturam petere, telumq; detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ac Principibus ingens est. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto moderatior hominum animus esse debeat, quanto uehementius nocet.

Aga. ad iu. Magnam igitur qui potestatem adeptus est, Deum potestatis largitorem imitetur. Si enim imaginem gestat rerum præsidis Dei, atq; per ipsum continet rerum principatum, in eo maximè imitabitur Deum, ut non existimet, quicquam misericordia preciosius optabiliúsue. Et magni animi proprium est placidum esse, tranquillumq;, ac iniurias & offensiones superando despicere. Muliebre est furere in ira. Et Principes nulla alia re propius accedunt ad deos, quàm clementia, longius recedunt, crudelitate. Hinc Cicero: Animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, non ego summis uiris comparo, sed similimum Deo iudico.

Ex Seneca.

Ci. pro. M. Marc. & Ligario.

ITEM: Homines accedunt ad deos, nulla re magis, quàm salutem hominibus dando. Inter cætera profectò, quæ Principes decent, clementia est,

quæ

quæ illos facit amabiles, gratiosos, fauorabiles, quæ dos prima Regum est, ut inquit Vopiscus, & ut autor est Seneca, nullum magis, quàm Principem decet. Hinc apud Claudianum Theodosius Honorio filio salubriter præcipiens inquit.

Sis pius imprimis, nam cum uincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Hæc una Principem gentibus commẽdat, Hæc Cæsarem Deum fecit, Hæc Augustum cõsecrauit, Hæc Antonium Pij cognomine ornauit. Contrà seueritas Deo & hominibus facit inuisum Principem. Berodl. de opt. statu.

Dextera præcipue capit indulgentia mentes, Oui. 2. art.
Asperitas odium, sæuaq; bella mouet.
Odimus accipitrẽ, quòd semper uiuit in armis,
Et pauidum solitos in pecus ire lupos.
Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia uelox
Et doleat, quoties cogitur esse ferox.

At in aulis sunt, qui se solos dominis insinuando, clament. Non decere Principem, ut omnibus se facilem, ac clementem præbeat. Cæterum id de solis hominibus malis, non de bonis ubiq; uiris Christianus Princeps debet intelligere. Hinc Cleomenes Anaxandridæ filius, cum è ciuibus quispiam apud eum diceret: Bonum Regem omnino erga omnes mitem, & placidum esse oportere. Sed hactenus, inquit, ne sit contemptui. Significans Plu. in apo.

erga improbos mansuetudinem nimiam esse inutilem Reip. notans quorundam nebulonum mores, qui Principes uehementer bonos & clementes, cũ impensius amare debuerint, discunt habere contemptui. Est quidem præcipua uirtus in Principe comitas ac mansuetudo: uerum ob malorum ingenium, hæc ita temperanda, ut Principi sua constet autoritas. Dabit operam modis omnibus, ut suos beneuolentia prosequatur, & uicißim ametur à suis, sed ita ut nihilo secius autoritate polleat apud eosdem, nec subditi propter nimiæ (quæ contemptum procreat) familiaritatis confidentiam insolescant. Vnde Cæsar Adrianus, quodam tempore cum seruum suum uideret, inter duos Senatores ambulantem, misit, qui illi colaphum impingeret, diceretq; Noli inter eos ambulare, quorum adhuc potes esse seruus, simul senatoriæ dignitati consulens, & serui castigans insolentiam, quam de Cæsare hero sumpserat. Deorum itaq; sibi animum asserens Princeps, alios ex ciuibus suis, qui utiles boniq; sunt, libens uideat: alios in numerum relinquat, quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur. Oportet autem in Reip. statu quantũ fieri potest, omnes ciues reddere beneuolos: quod si id fieri nequeat; saltem conari, ne hostes existiment eos, qui gubernant. Porrò qui populos regit, ita gubernabit, ut inde non modò dignitas, & maiestas quædã

Er in prin. instit.

Ael. Spart.

Sene. de clementia.

Arist. pol. 6. cap. 5.

exoriatur

exoriatur: uerùm gratia quoque & beneuolentia concilietur, res profectò diuitijs Crœsi optatior longè, atq; præstantior. Sit igitur salutabilis, & natura communis, atque adire & affari uolentibus facilis, cuius domus non obserata, non occlusa: sed patens omnibus, quò se quisque uelut è tempestate & fluctibus in portũ tutò recipere poßit. Plut. in po.

Hinc Adrianus Cæsar, in colloquijs etiam humilimorũ, mirè ciuilis erat, eosq; detestari solitus fuit, qui hanc humanitatis uoluptatem ipsi inuiderent, hoc prætextu, quòd dicerent Principis maiestatem ubiq; seruandam. Ael. Spar.

ITEM: Vlpianus Traianus Imperator, nihil nõ tranquillum & placidũ egit, adeo ut omni eius ætate unus tantum senator damnatus sit, at is tamen per Senatum, ignorante Traiano. Ob hoc per orbem terrarum Deo proximus nihil non uenerationis meruit. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium. Amicis enim culpantibus, quòd nimis circa omnes comis esset, respondit: Talem se Imperatorem esse priuatis, quales esse sibi Imperatores priuatus optasset. Eutro. li. 8

ITEM: Rex Alexander affabilis & humanus fuit. Is niuali quodam loco tempestate opressus, senio iam confectum militem Macedonem, nimio frigore obstupefactũ, ipse sublimi, & propinqua igni sede sedens, animaduertit, factaquæ non Val. lib. 5. cap. 1.

fortunæ, sed ætatis utriusque æstimatione, descendit, & illis manibus, quibus opes Darij Regis afflixerat, corpus frigore duplicatum, in suam sedem imposuit, id ei salutare futurum ducens, quod apud Persas capitale extitisset, solium regium occupasse.

Macr. Sa. li. 2. ca. 4. ITEM: Augustus Cæsar facilis ac clemens, Qui nulli ferè ad conuiuium uocanti, negare solitus est. Exceptus igitur à quodam cœna perparca, ac penè quotidiana, cum à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tantum insusurrauit: Non putabam me tibi tam familiarem. Quidam aulicorum nostrorum tam ieiunum apparatum, contumeliam

Er. 4. ap. fuisset interpretatus. Ille etiam pudori consuluit inuitatoris, familiaritati tribuens, idq; in aurem, ne cæteri putarent exprobratam parsimoniam. Quid hac comitate amabilius in tanto Monarcha, qualem nunc uix triginta Reges æquent. Idem cum audisset inter pueros, quos in Syria ferox Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iussit crudeliter interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.

Ex Plut. ITEM: Rex Macedoniæ Philippus ciuilis ac benignus, quodam tempore, ab hospite quodam inuitatus ad cœnam, inter eundum plures fortè obuios secum adduxit umbras. Vbi sensit hospitem turbari, quòd tam multis non sufficerent appa-

uatus: præmisso ad singulos amicos puero, iussit ut placentæ seruarent locū. Illi persuasi, dum placentam expectant, paulusum edebant. Ita factum est, ut cœna suffecerit omnibus: Faceto ioco simul & elusit amicos, & hospitis pudori subuenit.

ITEM: Maximinus senior nunquam ad oscula pedum quenquam admisit, dicens: Dij prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. Et ubi sunt interim, qui non solum ingenuos, uerum etiam summos monarchas ad oscula, non pedum, sed calceorum, non dicam admittunt, sed inuitant, & quodammodo cogunt. Er. 6. apo.

ITEM: Arragonum Rex Alphonsus ab aulicis admonitus, ne nimia lenitas abiret in contemptum, & ex contemptu nasceretur pernicies, magis, inquit, cauendum, ne seueritas conciliet inuidiam, unde maius exitij periculum. Er. 8. apo.

Exempla clementiæ consimilia referuntur de Principum modò uiuentium auis atque proauis, à quorum moribus iam nimium posterorum nonnulli degenerarunt: in quorum numero, qui magnum dedecus, aut læsæ maiestatis crimen arbitrantur, si quis modò Principum, infimæ sortis hominem aliquem fuerit comiter allocutus. Eam opinionis falsæ persuasionem non induerat, iam olim piæ memoriæ Princeps illustrissimus

D. Henricus Heßiæ Lantgrauius, quem nullo fastu intumuisse, sed ciuilißimum atq; humanißimum fuisse, uiuentes adhuc Marpurgi, ciues tantæ uirtutis oculati testes, celebrare, atque laudibus extollere non desinunt. Nec ulla superbia turgebat olim Archiepiscopus Moguntinus Villegisus, qui mansuetißimus, etiam pueris omnibus sese facilem allocutu præbuerat. Is patrem qui currus atq; bigas facere solitus erat, habuit. Hinc titulum hunc sculptum aßiduò legit: Villegise, recole unde ueneris. Appendit & rotas in pariete, ut suæ admoneretur originis. Vnde adhuc Rotæ in Ecclesiæ Moguntinæ uexillo. Et piæ memoriæ D. Eberhardus Comes olim in Konigsteyn, tanta fuit humanitate præditus, ut eum potentißimus affectus ira, quatere uel uincere non potuerit. Cuius hostis acerrimus quidam, cum apud saltum, uulgo die Höge uocitant, ab inimicis ui summa premeretur tandem ultima neceßitate compulsus, in castrum ipsum Konigsteyn, tanquam ad asylum confugit. Vbi iustißima quidem Comitis in hostem ira, sed tamen ad se fugientem clementer excepit, ac beneficijs affectum, dimisit incolumem, ut mihi iampridem Dillenbergæ retulit, & eruditione, & generis claritate conspicuus uir D. Iohannes Knebellius aulæ generosiß. Comitis à Nassaw, D. Vuilhelmi Comitis à Dietz & Katzenelenbogen summum

Ex Chro. sexta mũdi ætate.

mum ornamentum. Factis igitur ille bonus Comes expreßit illud, quod iam multis solũ hæret in ore: Si esurit inimicus tuus, pasce illum: si sitit, da illi potum, Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius. Ne uincaris à malo, imò uince bono malum. Hoc ipsum Christianis mandatum, & olim Ethnici utcunque leguntur executi. Cum Augustus Cæsar iam quadragesimum annum excessisset, ageretq; in Gallia, delatum est ad illum, L. Cinnam adolescentem nobilem ac Pompeij nepotem insidias illi struere: dictum est, ubi, quando & quomodo aggredi uellet. Decreuerat autem sacrificantem interficere. Dictitabatur proscriptionis sententia, sed Augusto interim uarias ædente uoces, ingressa Liuia uxor: Fac inquit, quod Medici solent, qui ubi usitata remedia non procedũt, tentant contraria, Seueritate adhuc nihil profecisti, ignosce. Cinna deprehensus uitæ tuæ nocere nõ potest, famæ tuæ prodesse potest. Protinus Cæsar iußit accersi Cinnam solum ad colloquium. Uenienti alteram cathedram poni iußit: Hoc inquit, Cinna primum abs te peto, ne me loquentem interpelles: dabitur tibi loquendi tempus. Hic commemoratis plurimis in Cinnam beneficijs, quòd seruasset in castris hostium, quòd patrimonium omne concessisset, quòd insuper ornasset Sacerdotio, rogauit quare putarit ipsum occidendum, Per

Roma. 12.

Senec. de cle. lib. 1.

Clementia

perbato Cinna, sic finijt obiurgationem: Vitam tibi Cinna, iterum do: prius hosti, nunc insidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia, Contendamus utrum ego meliore fide uitam tibi dederim, an tu mihi debeas. Et consulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuò amicißimum, solus illi fuit hæres. Nullis amplius insidijs ab ullo petitus est.

Ex Plut. ITEM: Quidam petulantioris linguæ maledicta cöijcere solebat in Philippū: hunc amici hortabantur, ut eijceret in exilium. At ille negauit se hoc facturum. Demirantibus quid ita: ne, inquit, oberrans inter plures malè de me loquatur. Quòd maledicum non egit in crucē, uel clementiæ erat, quòd ignouit: uel magnanimitatis, quòd contempsit: quòd noluit expellere, prudentiæ, plus enim nocuisset. Hæc audiant aulici, qui leuibus caußis exasperati, Principes instigant, & ad ciues in exiliū ablegandos inflammant.

Plu. in. ap. ITEM: Ciuium suorum iniurias patientißimè ferebat, dicens esse nefas irasci patriæ. Quemadmodum parentum iniurias ulcisci pietas uetat.

ITEM: Ex Ethnico pectore Christianū specimen animi protulit Macedoniæ Rex Alexander, qui cum accepisset esse quendam qui conuitijs ipsum impeteret: Regium est, inquit, cum facias bene, audire malè. Nihil hoc dicto generosius, quanquam

quam idem & alijs aſſcribitur.

ITEM: Rex *Macedonum* Antigonus, *cum nocte quadam quoſdam è militibus ſuis exaudiſſet, omnia mala imprecantes* Regi, *qui ipſos in illud iter, & inextricabile lutum induxiſſet, acceßit ad eos, qui maximè laborabant, eos cum ignorantes, à quo adiuuarentur, explicuiſſet:* Nunc, *inquit, maledicite* Antigono, *cuius uicio in has miſerias incidiſtis: ſed ei bene optate, qui uos ex hac uoragine eduxit.* H*ac uindicta contentus erat* Regis *uerè excelſus animus.* Ex Plu.

ITEM, *Theodoſius iunior, tam admirabili fuit ingenij lenitate, ut cum ab amicis rogaretur, quamobrem neminem eorum, à quibus lædebatur, ſupplicio capitis afficeret,* Vtinam, *inquit, mihi liceret & mortuos ad uitam reuocare.* Ad *priuatas quidem iniurias oportet* Principem *eſſe facilem ad ignoſcendum, ſed in ijs quæ lædunt* Remp. *decet eſſe ſeueriorem.* Er.8.apo.

DE PRINCIPIS IRA atque uindicta.



Riſci Sapientes regium ſceptrũ ad hunc modũ effingebant, in ſummo erat Ciconia pietatis ſymbolum, in imo Hippopotamus, *ani-*

mal efferum & noxium, illud uidelicet innuentes, si quid in Principe sæuiant affectus efferi, quod genus uiolentia, uindictæ cupiditas & ira, ut eos motus pietas in patriam atque ciues uincat, premat-que. Ad insolentiam quidem fortunæ licentia, rerumq; successus inuitat, & instigat: sed amor patriæ, & paternus in subditos omnes adfectus eam animi truculentiam cohibere debet. Operæ precium igitur esset, si eiusmodi sceptra, in Principum aulis curarentur depingi, ut ijs ad clementiā Principes inuitarentur. Etenim non minus principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Et bonum Principem animi lenitas decet, tyrannum ira, qua non modò sapientia deperditur, iusticia relinquitur, concordia rumpitur, Resp. læditur, ac subditi funestantur, sed ipsis etiam dominis malum accersitur. Zelus enim & iracundia minuit dies, & ante tempus senectam adducunt cogitatus. Et ingentis iræ exitus furor est, & ideo ira uitanda est, non moderationis causa, sed sanitatis. Quare Cotys Thraciæ Rex, cum esset natura celer ad iram, sæuusq; castigator eorum, qui in ministerio deliquissent, uicio materiam ubique nitebatur præripere. Ad illum hospes quidam detulit uasa fragilia, tenuiaq;, sed scite, curioseque celte tornoque elaborata. At is hospiti quidem dedit munera, cæterum uascula omnia confregit.

Er. in pri. instit.

Sene. li. 2. de clement.

Greg. moralium. 5.

Ecclesi. 30.
Se. 3. de ir.

Plut. in ap.

fregit. Demirantibus cur id faceret: Ne, inquit, irascar, & sæuiam in eos, qui fracturi erant. Contrà, quod laudabilius, Rex Macedonum Antigonus piger ad iram fuit, Qui cum aliquando tempore hyberno compulisset castra transferri in locum, ubi non erat rerum necessariarum copia, atque hac de causa milites quidam in Regem maledicta congererent, ignari ipsum esse in proximo. Virga tentorij uela diduxit: Flebitis, inquit, ni longius semoti, de me malè loquamini. Era. ap. 4

Atqui si iusta Princeps ira commotus, ad uindictam procedere contenderit, illud quod Demonax olim dixit, animo reuoluet: Nequaquam hominibus irascendum esse, sed corrigenda uitia, nimirum exemplo medicorum, qui non indignantur ægrotis, sed morbo medentur. Nam hominis est peccare, dei uerò, aut hominis Deo proximi, hoc est, Principis emendare peccata. Malos si à malicia reuocare nō poterit per indulgentiam, pœna coërcebit per seueritatem. Secabit & amputabit aliquando de corpore ciuitatis membra putrida, hoc est, ciues sceleratos, ne pars integra contagione serpente pariter corrumpatur, iuxta illud cantatißimum: Immedicabile uulnus ense recidendum est, ne pars syncera trahatur in uitium. Quippe ut Medici officium est, ut citò, ut tutò, ut iucundè curet: tamen quādoque austeriore medicina uti cogitur, ad uim mor Era. 8. ap. Ber. de opt. statu.

bi grauioris retundendã profligandamq;. Sic Principis officium, ut molliter, ut indulgenter, ut benignè subditos foueat, curet, tueatur. Nonnunquam tamen, curatione mordaci & austera utetur, causticaque adhibebit, ad reprimendos duriores ciuium morbos, omnia molliora malagmata recusantes. Opus enim interdum austeriore, & mordaciore medicina, quando lenia medicamenta non prosunt. Sed rectè monet Plato, nihil non tentandum, & omnem, quod aiunt, lapidem esse mouendum, pri usquam ad ultimum ueniatur supplicium. Agendum argumentis, ne quis peccare uelit, deinde deterrendum metu numinis, malefactorum uindicis, præterea minis supplicij. Quibus si nihil proficitur ad supplicia ueniendum, sed leuiora, quæ medeantur malo, non quæ tollant hominem. Quòd si nihil horum procedit, tum deniq; ceu membrum deploratum, & immedicabile, ab inuito legibus resecandum, ne pars (ut dixi) syncera trahatur in uicium. Porrò tres causas puniendis peccatis eße ferunt. Vna est, quæ græcè νουθέσια, κόλασις, uel παραίνεσις uocatur, id est, commonitio, animaduersio, monitio uel statutio, cum pœna adhibetur, castigandi atque emendandi gratia, ut is qui fortuitò deliquit, attentior fiat correctus. Altera est, quam τιμωρίαν, id est, pœnam appellant. Ea causa est, cũ dignitas autoritasq; eius, in quem est peccatum, tuenda

Erasm. in prim. insti.

Gell. lib. 6. cap. 14.

inda est, ne prætermissa animaduersione contemptum eius pariat, ac honorem leuet. Tertia uindicandi ratio est, quæ παράδειγμα, id est, exemplum à Græcis nominatur, quum punitio propter exemplum necessaria, ut cæteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. At quantum ad secundam uindicandi causam pertinet, nullis commissis facilius, ac libentius ignoscet bonus Princeps, quàm quæ ad priuatam suam iniuriam pertinent. Nam cui facilius est, eiusmodi contemnere, quàm Principi? At huic ulcisci quàm facile est, tam est inuidiosum, & indecorum. Quum enim ultio pusilli, & humilis animi sit argumentum, nihil minus competit in Principem, quem oportet animo esse excelso, magnoque. In primis autem, quum duo maximè sint (ut Bias Prienæus inquit) contraria consilio: Ira scilicet, & festinatio, Princeps se conferet ad maximum iræ remedium, nempe dilationem, ut primus eius feruor elanguescat, & caligo, quæ mentem premit, aut decidat, aut minus densa sit. Vnde Athenodorus Philosophus rectè monuit Augustum Cæsarem, inquiens: Quum iratus fueris Cæsar, nihil neque dixeris, neque feceris, priusquam quatuor & uiginti literas tecum ipse percurreris. Et Theodosius quoque Imperator habuit à naturæ munere, quod Augustus à Philosophiæ Doctore.

Erasmus in prin. instit.

Dio. lib. 2.

Se. 3. de ira

Plut. in ap.

Ille ubi cœpiſſet iraſci, quatuor & uiginti Græcas literas memoria recenſebat, ut illa concitatio, quæ momenti eſt, aliò traducta, parui temporis interiectu langueſceret. Sed ut aliorum omnium, quos Latini philoſophi affectus, uel affectiones, Græci πάθη appellant: ita huius quoq; motus animi, quæ cum

Gel. 1. c. ul. eſt ulciſcendi cauſa ſæuior, ira dicitur, non priuationem eſſe utilem cenſuerunt, quam Græci στέρησιν dicunt, ſed mediocritatem, quam μετριότητα illi

Grego. 20. moral. appellant. Miſcenda eſt igitur lenitas, cum ſeueritate, & faciendum quoddam temperamentum, ut nec multa aſperitate exulcerentur ſubditi, nec nimia benignitate ſoluantur. Leones, quos manſueſcere uolunt homines, iubebat olim Phraotes uerberi-

Phi. de uita Apoll. 7. bus non cædi, nam recrudeſcere uerberibus illos aiebat: nec rurſus blanditijs nimium leniendos putabat, quia ſic nimium ſuperbi euaderent, opinabatur itaq; blanditias minis permixtas facilius ad mores optatos illos poſſe deducere. Id autem nos non per ferarum duntaxat manſuefactionem dixerimus, ſed tyrannis quaſi frenum quoddam inijcimus, quo ſi utentur, à mediocritate nunquam deerrabunt. Ad quam pulcherrimam uirtutem Agapetus quoq; Iuſtinianum Imperatorem hortatur, inquiens: Acutum quidem oportet eſſe Principem, cum in alijs, tum uel maximè in adferendo, de rebus difficilimis iudicio. Lentum autem ad iraſcendum, & longanimem

mem. Et quoniam omnimoda iræ absentia asperna bilis est, & irascatur mediocriter, & non irascatur oportet. Illud, ut prauorum impetus comprimat: hoc, ut propensiones bonorũ peruestiget, aut benefactorum occasionem præbeat.

POSTREMO. Si omnino misso sanguine fuerit opus, considerandum est Principi, ac sustinendum, ne ultrà quàm necesse sit, incedat. Cauendum ne maior pœna sit, & ne iisdem de causis alij plectantur, alij ne appellentur quidem, ut illud iure dici posit: Dat ueniam coruis, uexat censura columbas. Et: Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. Hinc Archytas olim Tarentinus uillicũ impunitum dimittere maluit, quàm propter iram grauius iusto punire. Qui cum rura sua reuisere cœpisset, animaduertit negligentia uillici corrupta, & perdita: Intuensq; malè meritum. Sumpsissem, inquit, à te supplicium, nisi tibi iratus essem. Et Plato ob deprehensum in delicto grauiore seruulum, excandescens, Xenocrati, ad ipsum salutandi gratia uenienti, dixit: Plagis hunc adflige, id ego ne faciam, impedimento est ira. Alio subinde tempore, in alterum delinquentem quoque seruulum: Ni tibi iratus essem, ait, pro tuis depexus esses meritis. Seneca Neronem laudibus extollit, quòd aliquando longanimis, non plus æquo sæuierit in sontes, Qui cum à Buro Præfecto moneretur, ut scriberet, in quos, et

Sen. de cle.
Cic. 1. offi.
Val. lib. 4 cap. 1.
Plu. in uit.
Sen. li. 1. de clement.

ex qua causa animaduerti uellet. Quod negocium sæpe dilatum, quum Burus urgeret, chartam inuitus accipiens, exclamauit Nero: Vellem nescirem literas.

DE PRINCIPIS OCCV- pationibus in pace.

SApiens Princeps tempore pacis, bonis legibus occurret morum iniquitati, Leges corriget deprauatas, tollet malas, integro magistratui prospiciet, corruptum puniet, aut cohibebit. Rationes exquiret, quibus tenuem plebeculam quàm minimum grauet, quibus ditionem suam latrociniis ac maleficiis liberet, idq; quàm poterit minimo sanguine, quibus suorum perpetuam concordiam alat, ac stabiliat. Sunt his minutiora quædam, sed non indigna, quamuis magno Principe, lustrare ciuitates, sed hoc animo, ut omnia reddat meliora, non uanam gloriam captet, aut opes superbas ostentet, sed quæ ad Reip. commoditatem attineant, procuret, quæ parum tuta communiat, publicis ædificiis ornet. ITEM, pontibus, porticibus, tēplis, ripis, aquæductibus, Loca pestilētiæ obnoxia purget, uel mutatis ædificiis, uel desiccatis paludibus. Amnes incommodè fluentes, aliò deriuet. Flumina pro utilitate publica uel admittat, uel arceat. Aedificia, per simultates intercidentia, reparanda, neglectosque agros colendos curet, quo magis suppetat an-

Ex Erasm.

monæ uis, parum utiliter cultos, aliter coli iubeat, ueluti, ne illic uineta sint, ubi uinũ cultura indignũ prouenit, et frumenta gigni possunt. Huius sex millia sunt, quæ curare Principi sit pulcherrimũ, bono Principi etiã iucundũ, ut nihil unquam sit opus, uel ocij tædio bellum quærere, uel aßiduis uenationibus longa tempora disperdere, uel alea totas fallere noctes. DEINDE, cũ bona facinorum pars hinc oriatur, quòd ubiq; plurimi fiant diuitiæ, contempta iaceat paupertas, dabit operam Princeps, ut sui ciues uirtute ac moribus æstimentur, non censu. Idq; primum in seipso, ac suis potißimum aulicis exhibeat. Quòd si Principem ostentare diuitias, & apud illum, ut quisq; ditißimus, nõ probißimus est, ita plurimi fieri, ad magistratus, ad honores, ad officia nummis patere uiam, subditorũ multitudo conspexerit, ijsdem artibus incitati, ad opes per fas ac nefas parandas rapientur, et ad honores & officia largitionibus, fraudibus, atq; dolis peruenire conniteutur.

ITEM: Quum pleraq; Rerump. sentina ex ocio nascatur, quod diuersis rationibus adfictant omnes, cui qui semel assueti sunt: si desit, quo alant illud, ad malas artes confugiunt. Hoc igitur aget boni Principis uigilantia, ut quantum poterit, minimam habeat inter suos turbam ociosorum. Ad hoc genus pertinent: redemptores, institores, nugigeruli

Erasmus in prin. instit.

geruli, fœneratores, proxenetæ, lenones, custodes uillarum, ac uiuariorum. Grex ministrorum ac stipatorum, qui apud nonnullos tantùm ambitionis aluntur gratia. His quum non suppetit, quod luxus ocij comes efflagitat, ad malas artes degenerant: Postremò penitus hoc sibi persuasum habebit bonus Princeps, nihil à se geri posse magnificentius, quàm si, quicquid est hoc, quod sors dederit, florentius reddat, ac modis omnibus ornatius: quod fiet, si res eas curauerit maximè, per quas Respublica stabilitur, & illustratur: eas rursus excluserit, & arcuerit, quæ Reipublicæ statum reddunt deteriorem. Adiuuatur autem, & excolitur maximè boni Principis exemplo, sapientia, uigilantia, magistratuum & officiorum integritate, Ecclesiæ ministrorum sanctimonia, ludimagistrorum delectu, Magistratus atque Iudicum iustitia, constante æquis legibus, & ad uirtutem conducentibus studijs. In his augendis & confirmandis sit omnis boni Principis cura. Imitentur Iosaphat Regem Iuda, Qui reuersus ex bello, quod Regi Syriæ intulerat, Iudices terræ in omnibus ciuitatibus constituit, atq; eis præcepit, inquiens: Videte, quid faciatis. Non tantum hominis exercetis iudicium, sed Domini. Et quodcunq; iudicaueritis, in uos redundabit. Sit timor Domini uobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud dominum Deum nostrum iniqui-

2. par. 19.

tas

quitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. Permulti fuerunt in hoc errore, et utinam hodie nullos idem habeat error, ut huc omnes conatus suos intenderent, nõ ut meliorem suam, qualemcunq; nacti fuerint, ditionem redderent, & ornatiorem, sed ut maiorem: quibus illud sæpenumero uidemus euenisse, ut dum propagando studerent imperio, etiam id amiserint, quod poßederant. Rectè igitur Theopompus Spartanorum Rex, qui cum ab uxore obiurgaretur, quòd regnum humilius ac minus esset filijs traditurus, quàm accepißet, negauit sua referre, quàm ingens relinqueret liberis suis imperium, modò melius ac stabilius. Porrò nihil Principi pulchrius, quàm ut hoc, quicquid est regni quod fortuna dedit, sua sapientia, uirtute, diligentia reddat ornatius, celebrius ac locupletius. Sic cum duci Epaminundæ per inuidiam, & contumeliæ gratia, sordidus quidam & contemptus magistratus delegatus esset à populo Thebano, non aspernatus est, dicens: Non solum magistratum ostendere uirum, sed uirum uicißim ostendere magistratum: itaque geßit, ut deinceps tanquam honestum munus à multis ambiretur, quum antea nihil aliud fuerit, quàm cura, sordes, & stercora ex angiportis eijciendi.

Val. lib. 4 cap. 1.

Plut. in ap.

Simile protulit Aristippus, Qui quum à Dionysio iußus esset omnium infimus accumbere. Ni-

hil offensus hunc, inquit, locum ò Rex, illustrare uis, & honorificum reddere. Significans, nō locum reddere uiliorem, sed ex dignitate hominis honorem addi loco.

DE BELLO SVSCIPIENDO.



Scne. li. 2. de clement.

Vum ferina sit rabies, sanguine gaudere, & uulneribus, & abiecto homine, in syluestre animal transire, bonus Princeps non facilè ad bella gerenda prouocabitur, sed prudentior expendet, quantum intersit inter hominem paci ac beneuolentiæ natum animal, & inter feras ac beluas prædationi belloque genitas. Ad hæc, quantum intersit inter hominem, & hominem Christianum: Deinde contemplabitur, quàm expetenda, quamq; salutifera sit pax, quæ omnium rerum & parens, & nutrix, qua iuxta prouerbium, paruæ res crescunt, magnæ dilabuntur. E diuerso, quàm calamitosa, simul & scelerata res bellum, quantūcunq; malorum omnium agmen, etiamsi iustißimū sit, secum trahat. Hinc tot molestiæ, strepitus armorum, fremitus militum, clangor tubarum, crepitus cornuum, insanus tympanorum strepitus, telorum fragor, tam horrenda saxorum uolantium tonitrua, ut feræ & pisces, & aues offensæ relictis natiuis sedibus, aliò procul uelut exulatum demigrare

Er. in pa. ad Phil.

grare

grare soleant. Quas ob res & Homerus aptè πό-λεμον δυσηχέα subinde nominat, à molesto strepitu, ac tumultu. Hinc malorum omnium, quasi mare quoddam exundat, semelq; cuncta, quacunq; peruaserit, calamitatem ac scelerũ fluctibus operit bellũ. Hac malorum lerna producitur, & quasi magno fonte promanat detestanda illa colluuies facinorosorum hominum, raptorum, stupratorum, lenonũ, prædonum, piratarum, latronum, sicariorum, ueneficorum, furum, peculatorum, abigeorum, seditiosorum, proditorum, sacrilegorum, periurorum, blasphemorum, tum scortorum, lenarum, maleficarum. Cui teterrimæ sceleratorum hominum feci, atque sentinæ, sæpe dum Princeps erga Principem animosior uideri uult, cogitur blandiri atque seruire. Hac hominum colluuie bella gerenda, Hæc sentina in urbes, atq; in domos recipienda, cuius fetorem ne solida quidem ætas queat è ciuium moribus expurgare. Deinde sagaciter expendet, curas, pericula Reipublicæ, damna, & infinita grauißimarum expensarum atque sumptuum dispendia, quorum nullus finis. Hinc in bello Peloponesiaco, socijs rogantibus, quanta pecunia futura esset satis, ac postulantibus, ut certum tributorum modũ præscriberet, Archidamus Agesilai regis filius inquit: bellũ nõ quærit definita: significãs eos qui bella susceperũt, oportere per omnia seruire belli ne-

Erasmus in prin instit.

Ex Plutar.

ceßitatibus, quarum nullus est certus modus, quòd uariæ sint bellorum præter expectationem occasiones. Postmodum ante oculos ponet: Bella ex bellis nasci, litem lite produci, Bella bellis succedere, nec ullum tumultuandi modum, aut finem. Ex minimis bellis sæpe maxima conflari, ex uno plurima. Neq; enim unquam licuit unico bello defungi. Aliud ex alio seritur, atque in immensum trahitur inexplicabilis catena malorum.

Sal. in Iug. Ad hæc, Omne bellum facilè sumitur, cæterum ægerrimè definitur. Non est in eiusdem potestate initium & finis. Et citæ sunt offensæ, reconciliationes autem tardæ, propterea quòd iniuriarum

Hom. Il. 9. diu soleant homines meminisse. Quòd Homerus innuit lepidißimo figmento de Litis & Ate. Hanc deam facit, quæ noxas & turbas soleat immittere rebus mortalium, atque ipsam quidem acribus oculis, atque præuelocibus eße pedibus. Cæterum post eam multo interuallo cõsequi Litas deas, quæ quod Ate turbauerit, sarcire moliantur. Has & strabis oculis fingit, & pedibus claudis, illud nimirum innuens: Iram omnium tardißimè senescere. Postea-

Er. in pri. institu. quam Princeps uniuersorum malorum, subductis calculis, summam collegerit (si tamen unquam colligi poßit) tum ita secum cogitabit: Vnus ego tot malorum autor fuero? Tantum humani sanguinis, tot uiduæ, tot luctu funestæ domus, tot orbi senes, tot

tot indignè egentes, tanta morum, legum, ac pietatis pernicies, mihi uni imputabitur? Hæc mihi luenda Christo, cui de minutißima quaque guttula sanguinis humani, uel piaculo exactißimam rationem sum redditurus.

Postmodum reuocabit in memoriam, quàm fugax, quàm breuis, quàm fragilis sit hominum uita, & quot obnoxia calamitatibus, quippe, quam tot morbi, tot casus impetant aßiduè, ruinæ, naufragia, terræmotus, fulmina, pestes, ut non opus sit, bellis accersere mala, & prælijs non necessarijs in mari malorum fluctuantes homines absumere.

Postremò secum reuoluet, quanta sit rerũ humanarum inconstantia, quæ miseratione͂ iniecit Alexandro, cum legeret, hæc inscripta Cyri sepulchro: O uir quisquis es & undecunq; aduenis, Neq; enim te uenturum ignoraui. Ego sum Cyrus, qui Persis imperium constitui, Pusillum hoc terræ, quo meum tegitur corpus, mihi ne inuideas. Diodorus in uit. Alc.

Quibus causis impulsus Cineas olim, ut Pyrrhum Regem Epirotarum à bellandi studio reuocaret, sic per ocium cum illo collocutus est. Romani feruntur bellacißimi, sed superatis, quid deinde agemus Pyrrhe? Tum Italiam, inquit Pyrrhus, totam occupabimus. Hic denuo Cineas: quid Italia subacta? Sicilia, inquit Pyrrhus, proxima est. Tum Cineas: Num hic erit militiæ finis? Ne Era. 5. ap.

quaquam, inquit Pyrrhus, sed hæc tantum prælu-dia sunt ad res maiores: Superest Lybia, & Car-thago. Rectè, inquit Cineas, nam his potitus, facilè & Macedoniam recipies, & Græciæ dominabe-ris. Sed deletis omnibus, quid tandem faciemus? His arridens Pyrrhus: Tum inquit, ocium age-mus, ò beate, & quotidie Cothon erit, mutuisque sermonibus nos inuicem delectabimus. Tum Cine-as. At quid uetat, ò Rex, quo minus nunc iam isto ocio, isto Cothone, & mutuis sermonibus perfrua-mur? Nunc enim citra negocium suppetit nobis ea facultas, quam per multum sanguinem, per mole-stias, per pericula tum nostra, tum aliorum sequi-mur, incerti an assequuturi. Rationibus ijsdem permotus Pisistratus Atheniensium tyrannus, cum aliquot amici, qui ab ipso defecerant, Phylen oc-cupaßent, uenit ad illos, stragulas in sarcinam col-ligatas ipse portans. Cæterum illis, quid sibi uel-let, percontantibus: Vt, inquit, si persuasero, redu-cam uos: si non persuasero, maneam uobiscum, ob hoc enim ueni cum sarcinis. Egregius animus, qui pacis studiosus, præcauit, ne res in seditiones ac bella prorumperet. Vterque rectè senserunt, ratiocinati, tam uaria ac multa, quæ numero com-prehendi nequeant bellorum incommoda, ancipi-tes exitus, & incertißimos euentus, ut non frustra Martem ἀλλοπρόσαλλον, hoc est, uersipellem,

Plut. in ap.

mutabilem, nunc his, nunc illis partibus fauentem appellauerit Homerus. Et νίκην ἑτεραλκέα, hoc est, uictoriam alternatim, nunc his, nunc illis obtingentem, & uicißim, nunc apud hos, nunc apud illos pollentem. Quorum euentuum, quos stultorum magistros appellant, quum innumerabilia sint exempla, duo tantùm breuitatis gratia proferam: Syriæ Rex olim Antiochus bello, quod cum Romanis gerebat, filium Scipionis Aphricani à militibus suis interceptum, honoratißimè excepit, regijsque donatum muneribus, ultro, gratis, ac celeriter patri remisit. Qui ei quasi pro reddenda gratia suasit, ut euentuum bellicorum memor, amicitiam Romanorum peteret. Sed ut hic Antiochus Scipionis, ita Pyrrhus Cineæ sanis consilijs non acquieuit. Vterque igitur temeritatis aleam subiens, ipsa re fuit expertus, quid sibi uetus illud uelit: γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος. Ille enim nimia opum fiducia suffultus, cum L. Scipione Aphricani fratre conflixit, sed turpiter uictus, ultra Taurum montem relegatus, tandem à sodalibus suis miserè trucidatus. Et Pyrrhus, qui præliari, quàm domi tranquillam uitam exigere maluit, uiribus suis, dolisq; terribilis, in Italiam omnium primus inuexit Elephantos, usque in hoc tempus inuisos Romanis. Is primum cum Leuino Consule congressus, maximam cladem accepit, cuius atrocitatem

Va.l.1.c.5

Orosi.li.1, cap.1.

Dijs ſuis, hominibusq́; teſtatus eſt, affigens titulum in templo Tarentini Iouis, in quo hæc ſcripſit: Qui ante hac fuere inuicti uiri, Pater optime Olympi, hos ego in pugna uici, uictusq́; ſum ab iiſdem. Et cũ à ſocijs increparetur, cur ſe uictum diceret, qui ui ciſſet, reſpondiſſe fertur: Næ ego ſi iterum eodem modo uicero, ſine ullo milite Epirum reuertar. Tandem à Curio & Fabricio ſuperatus, in Græciam regreſſus eſt. Vbi dum Argos Achaiæ florentiſſimam urbem, Spartani regni auiditate ſeductus, oppugnaret, ictu tegulæ proſtratus interijt. Dij faciant, ut hodie non ſint uel Antiochi, uel Pyrrhi ſimiles, qui plauſibilia magis, quàm utilia ſuadentibus obtemperent, ac conſilijs ſanioribus repudiatis, ad arma proſilire gaudeant, pacis & honeſtioris ocij nimium impatientes, ut olim Sitalci pater ille Teres, qui (ut Plutarchus ait) dicere conſueuit, quoties eſſet in ocio, nec militia exerceretur, ſe nihilo meliores eſſe equiſonibus. Quæ uox quid aliud ſonat, quàm barbaricam immanitatem, quaſi pacis tempore deſit, quod agat bonus Princeps, & nactus ſit occaſionem benefaciendi bellorum duntaxat temporibus, in quibus nulla honeſtatis ratio, nullusq́; uel pietatis uel iuſtitiæ reſpectus. Hinc Antigonus Rex Macedonum ſenior, Sophiſtæ cuidam librum de iuſtitia conſcriptum porrigenti: deſipis, inquit, qui cum me uideas

Plu. in ap.

Era. ap. 4

alienas

alienas urbes armis uexantem, tamen apud me de iusticia differis. Sensit eos qui ditionis amplian-dæ, gloriæ úe causa bellum inferunt alienis ciuitatibus, non posse tueri iusticiæ leges. Quare qui se uolet excellentem, ac uerè fortem Principem osten dere, curabit ut magis hostem proprijs superet bonis, sapientia, animi magnitudine, temperantia, integritate, quàm apparatu bellico. Sin uisum fuerit cum alijs certare Principibus, non ita se superiorem existimet, si quam illis ditionis partem ademerit, aut copias fuderit: sed si fuerit quàm illi sunt incorruptior, si minus auarus, minus temerarius, minus arrogans quàm illi, si minus iracundus, si minus præceps, si minus deniq; crudelis, & magis pacificus, quàm illi. Hoc sapientis Principis studium est, hæc sancta certamina. Hinc ciuitatum, ac populorum felicitas enascitur. Vnde Germanicum celebre prouerbium exortum. Er. in pri. instit.

Wann Gott eyn land segnet / so gibt er jm eynen klůgen fürsten / der fride hellt / Widerumb / wann Gott eyn land straffen vnd plagen wil / so gibt er jm eynen tyrannen vnnd wůterich / der es alles on radt mit der faust wil außrichten. Agric. in. pro. ger.

Hoc est:

Numine quas aulas diuino prosperat, & quæ
Fortunat clemens splendida regna DEVS:

Pacificos illis Dominos largitur, amanteis,
Virtutum Heroas, iusticiæq; duces.
Contrà quæ diris palatia sternere flagris,
Perdere quæ summo regna furore parat.
Rectores stultos donat, quos una uoluntas
Praua, tyrannis item pro ratione regit.

Hinc Augustus Octauianus non facile ad bella gerenda permouebatur dicens, Hoc esse aureo hamo piscari. Bonus igitur Princeps, nunquam omnino bellum suscipiet, Cæterum si tentatis omnibus, nulla ratione uitari poßit, & ullo pacto non queat res tam pestilens declinari, tum proxima cura Principis erit, ut quàm minimo suorum malo, quàm minimo Christiani sanguinis impendio geratur, breuiq; finiatur. Nihil magis in uotis erit, quàm ut suorum longè magis salutem, quàm proprium commodum quærat, ne temere bellando tot uiduas, tot orbos senes, tot mendicos, tot infelices denique reddat homines. Id in animo fixum habuisse probatur Ethnicus Imperator Lucullus, qui ad direptionem incitantibus, dixit: Se malle unum militem suum, ac ciuem ex hostium manibus eripere, quàm uniuersas hostium fortunas sibi uendicare.

Ex Eras.

Ex Plut.

Consimiliter Antonius Pius Imperator, qui Scipionis sententiam frequentauit, ac imitatus est, qua ille dicebat: Malle se unum ciuem seruare, quàm

Ex Iu. Ca.

quàm mille hostes occidere.

ITEM C. Cæcilius Metellus, cum loco munito cogitaret admouere exercitũ, ac cẽturio dixisset ipsi. Si decem modo hominum iacturam facere uelis, capies locum, interrogauit eum: Num ipse de numero decem unus esse uellet.

ITEM: Lacedæmoniorum Rex Lycurgus, anxiè cauit, ne ciues suos in discrimen adduceret, unde cuidam percontanti, qua de causa uetuisset oppugnari turres: ne, inquit, à fœmina, pueroue, aut ab alio quopiam homine, puero, ac fœminæ nõ dißimili, uiri præstantiores occidantur. Non probauit bonus Imperator, prælij genus, in quo uirtuti locus non esset. E turribus uerò puer, aut mulier deiectu saxorum, potest uirum quantumuis fortem interimere. Exemplo est Rex Epirotarum Pyrrhus, qui post multa grauißima bella quæ geßit in Græcia, apud Argos, saxo ictus interijt. Quis igitur locus uirtuti in bellis nostris, in quibus præcipuas parteis agunt bombardæ? Quoties instrumentis bellum geritur, quæ misso telo, saxoue procul feriunt, minimum interest, inter fortem uirum & ignauum. Verum ubi cominus res geritur, tum apparet, qui uiri sint, qui non. Hinc Archidamus Agesilai Regis filius, ubi uidisset iaculum catapulta mittendum, id temporis primum ex Sicilia aduectum, exclamans in-

Oro. li. 4. cap. 2.

Er. 1. apo.

quit

quit: Hercules, perijt uiri uirtus. Quod si Rex ille horrendiſsma & crudeliſsima noſtrorum bellorum tormenta iam uideret, multò profectò magis exclamaret: ò Iupiter, aut Hercules, actum eſt de uiris. Atqui cum tam generoſos, ac uirtute conſpicuos habuerint animos Ethnici, turpiſsimum fuerit Chriſtianos deterrimis præditos. Eam igitur bonus Princeps ſemper gloriam affectabit, quæ ſit incruenta, aſpiraturus ad uictoriam minimo ſuorum ſanguine partam. Et Pittacus Olim Mytilenæus ſolas approbabat uictorias citra ſanguinem partas: nam magno ciuiũ cruore emptas, hoc eſt, Cadmeas, ut uocant, nõ exiſtimabat eſſe uictorias. At iam fortaſſe Chriſtiani ſunt ſuperbiſsimi, qui uictoriolam unicam inexhauſto ſanguinis humani proluuio, multiſq; uirorum myriadibus malint temere confligendo comparare, quàm cum ſalute ſuorum prudenter imitari Q. Fabium Maximum, Vnus qui Latio cunctando reſtituit rem. Hi ſunt qui ſanguinem hominis, non aliter ac ſi bouis eſſet, aut porci, non adhorrent effundere: quiq; tot homicidia iocoſis dictis proſequi, uoluptatis loco ducunt. Quorum alij Hominem occidere uocant, non occidere, ſed dormitum ducere, alij feneſtras claudere, deuorare, deglutire, lumen extinguere, mactare, papauera demetere, frigido lauacro conſpergere, in ſempiternam quietem conijcere, & neſcio

Diog. li. 1.

Liui. li. 2. bel. pun. ſe.

nescio quibus alijs truculentiæ modis appellant.

Deinde iustioribus ad bellandum causis Princeps impulsus, adnitetur suam ditionem defendere magis, quàm alienis manus inijcere. Sic M. Antonius Pius Imperator ingentis honestatis uir, in re militari gloria contentus moderata, defendere magis prouincias suas, quàm amplificare studebat. Eutro. l. 8.

Postmodum ordinaturus aciem, tria prospiciet: solem, puluerem & uentum. Nam sol ante faciem eripit uisum. Ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hostium adiuuat tela. Ita ergo constituantur ordines, ut hæc post occipitiũ nostrum sint, & (si fieri poßit) aduersariorum impetant faciem. Vege. li. 3. cap. 14. Sic Annibal ad Cannas cum Romanis pugnaturus, castra posuit auersa à Vulturno uento, quẽ nouerat campis torridis siccitate, nubes pulueris uehere solitum. Romanis igitur iam præliaturis in meridiem, Pœnis in Septentrionem uersis, Vulturnus aduersus Romanos coortus, multo puluere in ipsa ora uoluendo, prospectum ademit. Quod Pœnis salutare, Romanis fuit exitiabile. Liui. li. 2 bc. p un. se. Eutro. li. 3. Sic Cn. Pompeius pugnaturus cũ Mythridate Ponti Rege, constituit aciem, ut Ponticorum quidem oculos aduersa luna perstringeret, suis autem illustrẽ & conspicuum præberet hostem. Front. li. 2. cap. 2.

ITEM curabit ne milites ociosi, salaria quæ pauperum è uisceribus administrantur, sine fructu

inutiliter absumant, sed eos ad patriæ salutem omnibus momentis exercebit. Sic Probus Imperator, non patiebatur militem ociosum esse, sed multa opera militari manu perfecit, inquiens, Annonam grauitam militem comedere non debere. Et C. Marius suos milites, uarijs ac longis itineribus, gestandisq; oneribus exercebat, unde castrēsi ioco, Muli Mariani prouerbialiter dicti, ob laborum tolerantiam. Quod Homerus ἡμιόνους ταλαέργους identidem appellat.

Fla. Vopi.

Plu. in uita Marij.

ITEM: nullis iniustis ad inhonestum facinus causis Princeps impelli debebit, sed integram etiam hosti fidem seruare. Fabricio consuli misit epistolam Pyrrhi Regis medicus Timochares, qua promittebat, se regem ueneno necaturum, si iuberet. At eam epistolam autore Timochare non prodito ad Pyrrhum hostem remisit, admonens illum, ut aduersus huius generis insidias cautius se gereret, sibiq; caueret. Memor urbem à filio Martis conditam armis iustis bella, non uenenis gerere debere. Similis in M. Furio Camillo iusticia claruit. Is cum Phaliscos obsideret, ac Ludi magister Principum filios ad eum adduxisset, uinctum cum eisdem pueris in urbem redigendum, & uirgis obiurgandum tradidit. Statim Phalisci, quorum mœnia expugnari non poterant, se ei ob tantam iusticiam dediderunt.

Val. lib. 6. cap. 5.

Pli. in uir. illustrib.

ITEM

ITEM: Infixum habebit animo, longè regalius esse, condere urbes, quàm conditas immaniter demoliri. Sic Agesipolis Cleombroti filius, cum quispiam apud ipsum, ceu rem magnificam prædicaret, quòd Philippus Macedonum Rex intra paucos dies subuertisset Olynthum: Atqui per deos, inquit, talem ciuitatē longè maiore tēporis spacio nō extructurus est. Eo Princeps igitur animo sit erga urbes suis uiribus inferiores, quo principatu sibi superiores desideret in seipsū esse. Imitetur M. Marcellū. Qui Syracusarū tectis potitus Plu. in apo. / Iso. ad Nicocl. reg.

Ausonius ductor postquam sublimis ab alto
Aggere despexit trepidam clangoribus urbē.
Inq; suo positam nutu, Stent mœnia Regum,
An nullos oriens uideat lux crastina muros.
Ingemuit, nimiūq; uiris, tantumq; licere,
Horruit, & propere reuocata militis ira, Silius Ita. lib. 14.
Iussit stare domos, indulgens templa uetustis
Incolere, atq; habitare Deis. Sic parcere uictis
Pro præda fuit, & sese contenta, nec ullo
Sanguine pollutis plausit uictoria pennis.

ITEM: Illud Scipionis Maioris identidem secum reuoluet, Is dicere solitus, in re militari turpe uerbum: non putaram, quod alijs rebus interdū locus datur instituta posterioribus consilijs corrigere. Cætrerū quæ ferro peragūtur ea nō oportet temere aggredi, quòd hic error ferè est inemēdabilis Ex eo. [illegible]

bilis. Illud item quod idem dicebat: nempe non esse confligendum, nisi aut inuitaret occasio, aut urgeret necessitas. Ex hac re Imperatoris colligitur prudentia, Vnde Annibal solitus dicere: Se magis cunctantem, ac quiescentem Fabium, quàm Marcellum pugnantem formidare.

ITEM: Non facile bella suscipiet aduersus procul habitantes populos, quòd ea sit difficilis expeditio, & periculosa. Hinc Archidamus Lacedæmonijs dissuasit, ne bellum inferrent Atheniensibus, quòd uires eorũ aduersus finitimos pares, aduersus hostes procul habitantes omnino impares.

ITEM: ubiq; sese uigilantem exhibebit, nec hostem humilem contemnet. Sæpe enim uiribus imbecillior, arte atque ingenio uincit potentiorem, unde illud: Assequitur celerem tardus, Aquilam testudo uincit, Scarabeus aquilam quærit. Et Sertorius in re militari plus habere momenti consilium, quàm uires temerarias ostensurus, duos proposuit equos, alterum macilentum atq; inualidum, alterum uegetum cauda pilosa. Atq; in ualido illi iuuenem adhibet prægrandi corpore, & admirandis uiribus. Contrà uegeto illi, pusillũ & imbecillum admouet homuncionem. Hic singulos pilos paulatim uellens, breui spacio totam depilauit caudam, Iuuenis è diuerso caudam omnem simul

Val. lib. 7. cap. 3.

ſimul manibus utriſq; comprehenſam, ui atque im petu conatur reuellere. Qui cum fruſtra ſudaret, riſui fuit circumſtantibus. Tum Sertorius: Videtis, inquit, commilitones, quanto plus poßit ingenium, quàm uires.

ITEM: ante omnia curabit, ut milites habeat, qui dicto libenter audiant, obedienteſq; faciant imperata. Lacædemoniorum dux Clearchus egregio dicto diſciplinam militiæ continebat, identidem exercitus ſui auribus inculcando, A militibus Imperatorem potius, quàm hoſtem metui debere. Vnde Scipio Maior, cum in Sicilia quidam percontaretur, qua re fretus claſſem educere pararet in Africam, Oſtendit uiros armatos, ſeſe exercentes. Præterea turrim excelſam, mari imminentem. Et ait: Nullus horum eſt, qui non conſcenſa turri, ſemet in mare præcipitaturus ſit, ſi iuſſero. Sentiens non perinde referre, quàm numeroſam educas multitudinem, modò fortis dux educat exercitatos, & dicto audientes. Idem ſenſit Lacedæmoniorum Rex Theopompus, Is affirmanti cuidam, propterea Spartam ſaluam, & incolumem eſſe, quòd regibus uteretur imperādi gnaris: Imò, inquit, & ciuibus, et populo Regibus obſequente.

Er. 5. apo.

Val. lib. 2. cap. 2.

Plu. in. po.

ITEM: Vigilanter prouidebit, ut milites ſtipendijs ſuis contenti, nihil omnino rapiant, pauperes non concutiant, In campos pupillorum, quorū

Pro. 23. DOMINVS est fortis uindex, non irrumpant, & breuiter neminem affligant, aut uim inferant. Bonus igitur Princeps nebulonum iniurias comprimet, & in scelestos grauiter animaduertet, ut Pescennius Niger Imperator, Is ob unius gallinacei direptionem, decem commanipulones, qui raptum ab uno commederant, securi percuti iußit: & fecisset, nisi ab omni exercitu, prope usque ad metum seditionis esset rogatus. Et cum pepercisset, iußit, ut denorum gallinaceorum precia Prouinciali redderent: decem, qui simul furto conuixerant: addito eo, ut tota in expeditione in commanipulatione, nemo focum faceret, ne unquam recens coctum cibum sumerent, sed pane ac frigidis uescerentur, appositis speculatoribus, qui id curarent. Et Diuus Aurelianus militibus sceleratis ita timori fuit, ut sub eo, postea quam semel cum ingenti se ueritate castrensia peccata correxit, nemo peccauerit. Militem, qui adulterium cũ hospitis uxore commiserat, ita puniuit, ut duarum arborum cacumina inflecteret, quæ ad pedes militis deligaret, eademq; subito dimitteret, ut scissus ille utrinq; penderet. Quæ res ingentem timorem omnibus fecit. Huius epistola militaris est ad uicariũ suum data huiusmodi: Si uis Tribunus esse, imò si uis uiuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, Ouem nemo contingat, Vuam nullus auferat.

Ael. Spar.

Fla. Vopi.

Segetem

segetem nemo deterat, Oleũ, sal, lignum nemo exigat. Annona suá contentus sit. In hospitijs castè se agant: qui litem fecerit, uapulet. Epistola profectò dignißima, quam omnes legant, & factis exprimant milites, eorumq; Tribuni Christiani.

Similiter Aufidius Caßius Imperator, milites, qui aliquid prouincialibus abstulissent per uim, in illis ipsis locis, in quibus peccauerant, in crucem sustulit. Primus id supplicij genus inuenit, ut stipitem grandem poneret, pedum octoginta & centum, id est, materiam, & à summo usq; ad imum damnatos milites ligaret, & ab imo focum apponeret, incensis alijs, alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret. Idem denos catenatos in profluentem mergi iubebat, uel in mare. Idem multis desertoribus manus excidit, alijs crura incidit, ac poplites, dicens: maius exemplum esse uiuentis miserabiliter criminosi, quàm occisi. Ex Vulca. Gallicano.

Et Alexander Seuerus Cæsar, in expeditionibus, si quis de uia in alicuius poſſeßionem deflexisset, pro qualitate loci fustibus ac uirgis cædebatur, aut alioqui condemnabatur. Si dignitas personæ tales pœnas non recipiebat, grauißimis cõtumelijs afficiebatur, quum diceret: Velles ne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno? Clamabat sæpius, quod à Christianis audierat, idq; per preconẽ, Ael. Lam.

quoties aliquem emendabat, dicere iubebat: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Sed quid nunc dicemus de militibus Christianis, qui limina paterna uix egreßi, statim more luporum, rapiunt atque mactant, qui siue quò eant, siue redeant, furantur, constuprant, pulsant, abigunt pecora, pertusis uasis sinunt uinum effluere. Quid multis? Crudelius tractant suos, quàm hostes. Et hoc hodie si superis placet, appellatur ius militare, & ad hæc conniuent Principes. Attamen Heroës hodie nonnulli boni, scelera militum in prouinciales ædita pati non poßunt, imitati P. Cornelium Scipionem, qui eodem temporis momento, quo castra intrauit, turpi atque erubescenda hominum sentina purgauit exercitum. Et Illustrißimus Hessorum Princeps Philippus, uirtute simul ac disciplina militari præfulgens, peccata castrensia non leuiter solet corrigere. Is cum iampridem aliquot maleficos in crucem tolli iuberet, unus damnatorum conterraneis suis in luto (quod aiunt) eodem hærentibus patrocinaturus, inquit, Cur non relicti sumus in patria? Quid agimus in bello, si nobis non licuerit rapere, loculisq; nostris, ac uentribus consulere? Hessus ita sceleratus arbitrabatur impijßimam quandam, audendi quælibet licentiam esse bellũ, quod solius iusticiæ defendendæ, iniuriæq; illatæ propulsandæ, non inferendæ caussa, suscipi debet.

Er. 5. apo.

Val. lib. 2. cap. 2.

ITEM

ITEM: Illud obſeruabit, non ſæuiendum in eos, qui contrà ferre arma deſtiterint, ſed ſupplicibus ignoſcendum eſſe. Nam cum ueniam delictorum tuorum petas, ipſe quoq; te offendentibus ignoſce. Quoniam remiſsioni retribuitur remiſsio, noſtræq; cum conſeruis noſtris reconciliationi, Dei amicitia & familiaritas. Tenebit igitur adagium illud μὴ μνησικακήσης, id eſt, ne malorum memineris. Quam malorum obliuionem Athenienſes appellabant ἀμνηστίαν, hoc eſt, malorum obliuionem. Ag. ad Iuſ.

Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis, Ouid. 2. de
Cõueniens hominũ, hominem ſeruare uoluptas, ponto.
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Virg. in 6.

Vnde Mitrhidatem Ponti Regem hoſtem acerrimum, cum Cn. Pompeius in caſtris ſuis ſupplicem, abiectumq; uidiſſet, erexit, atq; inſigne regium, quod ille de ſuo capite abiecerat, repoſuit, & imperatis certis rebus, regnare iuſsit: nec minus & ſibi & imperio glorioſum putauit, conſtitutum à ſe Regem, quàm conſtrictum uideri. Ci. pro Se.

Cum fœmina ſaxo petijſſet atq; ſtrauiſſet humi Pyrrhum, Alcyoneus Antigoni Regis filius adiens caput à Zopyro reſectum, ad patrem referre properauit. Is tunc unà cum amicis ſedebat, qui poſtquam caput aſpexit, cognouitq;, filium baculo percuſsit ac repulit, barbarum ac pollutum ap- Plu. in uit. Pyrrhi.

pellans. Ipse chlamyde ante oculos obducta lachrymauit. Porro barbaricæ ferocitatis est sæuire in prostratos, Hinc Lacedemonij tibijs in bello usi non lituis, ut animi mansuetiores redditi, non plus æquo færocirent. Attamen ita temperāda erit clementia ne nobis sit exitio: Fit non rarò, ut hostis amicitiam petitam simulet, quo redintegratis uiribus acrior resurgat in uictorem.

Ci. in offi. Ex Pluta. ITEM in euertendis urbibus, diripiendisq́ ualdè illud considerabit, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat. Vnde Agesilaus ille magnus Lacedæmoniorum rex crebro solitus fuit in contione admonere milites suos, ne captiuos, ut facinorosos cruciarent, sed ut homines seruarent, Infantibus etiam in bello captis parcerent. Hos ut in unum locum comportarentur, iußit, ne mutatis castris relicti perirent. Eandem curam uoluit impendi senibus captiuis, ne quoniam sequi non possent, à canibus lupisúe discerperentur. Hæc autem humanitas Regi non solum aliorum, uerum etiam captiuorū

Er. in apo. mire beneuolentiam conciliauit. Et nunc homines sibi uidentur, qui trucidatis infantibus ac senibus, eam ætatem abducunt, quæ uel libidini apta est, uel labori, uel utriq;. Quo progressa est immanis illa feritas? Multò iustiores olim Ethnici. Crœsus cum uideret urbe capta, Cyri milites magno tumultu discursantes, rogabat, quidnam facerent: Cui re-

spondenti

ſpondenti, facere eos, quod uictor exercitus ſolet, diripere bona ciuium. Quid, inquit, audio: An nō hæc iam tua ſunt, qui me uiciſti? Cur igitur iſti tua populantur? Hac uoce monitus Cyrus, militem à direptione coërcuit. Eadem ſemper oportebit obuerſari Principis animo: Hæc quæ extorquentur mea ſunt, qui iniurijs afficiuntur mei ſunt, quæ ſpoliantur & atteruntur mei ſunt. Quicquid in hos peccatur, in me ipſum peccatur. Er. in prin. inſtit.

ITEM, Propter unius delictum hominis Princeps non delebit totam aliquam ciuitatem. Sic cū in Abela ciuitate Sibam oppugnaret Ioab, & exercitus deſtruere muros niteretur, ad ſapientem mulierem ciuem, inquit: Non demoliar ciuitatem. Tradite ſolum hoſtem mihi, & recedemus à ciuitate. Et ait mulier ad Ioab: Ecce caput eius mittetur ad te per murum, Ingreſſa eſt ergo ad omnem populum, & locuta eſt eis ſapienter: Qui abſciſſum caput Sibæ proiecerunt ad Ioab, & ille cecinit tuba, & receſſerunt ab urbe. 2. Reg. 20.

ITEM: Rebus feliciter in bello geſtis, tum maximè, cum populus maximè indulget genio, uigilandum eſt Principi, Huic non oportet unquam uacare, genialiter uiuere. Sic olim, cum feſtum diem celebraret, omneſq; compotationibus & libidni indulgerent, Epaminundas Thebanorum dux cuidam familiarium factus eſt obuiam, Er. 5. apo.

Plu. in ap. squalidus & cogitabundus. Admirante illo, rogante quid tandem esset rei, quòd solus ad eum affectus modum obambularet: ut uobis, inquit, omnibus ebrios, & socordes esse liceat. Huius etiam suprà memini.

ITEM: Sacra literarum & artificum nobilium monumenta conseruabit integra, cunctis ab iniurijs defensa. Viris item & uirtutibus, & eruditione conspicuis parci iubebit. Sic captis Syra-
Val. lib. 8. cap. 7. cusis M. Marcellus Imperator, machinationibus Archimedis philosophi, multum ac diu uictoriam suam inhibitã senserat, eximia tamen hominis prudentia delectatus, ut capiti illius parceretur, edixit: penè tantũ gloriæ in Archimede seruato, quantũ in oppreßis Syracusis hostis reponens. Et dux inclytus Demetrius, cũ Rhodum obsideret, ædes quæ extra muros urbis erãt, uastare, & igni parabat absumere. In ijs ædibus erat memoratißima il-
Gel. lib. 15. cap. 31. la imago Hyalisi Protogenis manu facta, pictoris illustris, Cuius operis pulchritudinem præstãtiamq; ira percitus Rhodijs inuidebat. Mittunt Rhodij Legatos ad Demetrium cum his uerbis: Quæ malum, inquiunt, ratio est, ut tu imaginem istam uelis incendo ædium facto, disperdere. Nam si nos omnes superaueris, ac oppidum hoc totum cœperis, imagine quoque illa integra & incolumi per uictoriam potieris. Si uerò nos

uincere

uincere obsidendo nequiueris, petimus consideres, ne turpe tibi sit, quia non potueris bello Rhodios uincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse. Hoc ubi ex Legatis audiuit, oppugnatione desita, & imagini & ciuitati pepercit.

ITEM: Dabit operam, ut à suis, quantum fieri possit, militibus ametur, ut Siluius Otho, qui licet omni uita turpis, maximè adolescentia fuerit, tamen adeò fuit amabilis militibus proprijs, ut plerique corpore eius extincti uiso, suis manibus interierint. Ex Aurel. Victore.

ITEM: Rebus secundis moderatè gaudebit, non superbus exultabit, ut Gallorum dux Brennus, qui fastuose dixit ad Romanos adflictos: Quid nisi uictis dolor? Longè modestior fuit Epaminundas. Qui cum aliàs hilari uultu solitus esset in publicum prodire, postridie eius dici, quo feliciter pugnatum est in Leuctris, processit squalidus ac summissus, Amicis autem sciscitantibus, ecquid illi molestè accidisset, Nihil inquit, sed heri sensi me plus æquo mihi placuisse, eius gaudij intemperantiam, hodie castigo. Adeò metuit arrogantiam uir Bœotus, ac militaris. Et nos non idem in bellis faciemus, quoties secunda fortunæ aura res nobis succedunt? Liu. lib. 5. ab urb. Eras. 5. ap.

Prudenter Philippus Macedo, qui cum accepisset nuncium, uno die multas res feliciter ac prosperè gestas esse, exclamauit; Et ò fortuna, inquit, pro

Era. 4. ap tot tantisque bonis, leui quopiam malo me affice. Vir cordatißimus non insolenter gestijt ob rerum successum. Sed fortunæ indulgentiam suspectam habuit, cuius ingenium eße nouit, ut quibus exitiũ molitur, his prius noua rerum prosperitate blandiatur. Huc pertinet, quod de Polycrate Samiorum Tyranno refert Plinius.

Postremò curabit Princeps, ut omnes Tribunos atque duces habeat iustißimos, atque tempe-

Ex Erasm. rantißimos. Fuerunt olim Ethnici, qui sola gloria contenti, nihil, aut omnino parum, ex rebus bellicis in ædes suas retulerunt, quanto magis oportebit Principis Christiani duces, conscientia recti cõtentos esse: præsertim, cum ei militent, qui nullum rectè factum non amplißimis præmijs repensat. Sed utinam hodie sint Christiani bellatores tam integri, talesque Rerumpublicarum amatores, quales olim Ethnicorum quidam. Gracchus ille, uer

Gelli. li. 15 cap. 12. satus sum, inquit, in Sardinia prouincia uestra, quomodo ex usu uestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meæ conducere arbitrabar. Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant, sed in conuiuio liberi uestri modestius erant, quàm apud Principem. Versatus sum in prouincia, ut nemo posset uerè dicere, assem, aut eo plus in muneribus me accepiße, aut mea etiam opera quempiam sumptum feciße. Nulla meretrix do

mum

mum meam introiuit. Qum in patriam profectus sum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli. Alij uini amphoras, quas plenas retulerunt, eas argento plenas domum reportauerunt. At hodie multi, qui zonam perdiderunt, militatum abeunt, sed magnum per fas atque nefas rerum partarum, hoc est, furtorum ac rapinarum aceruum referunt, quem si detraxeris, curtam habituri sint supellectilem.

Ethnicus Paulus Aemylius, ex pecuniarum infinita ui reperta in castris hostium, ipse quidem nihil sibi sumpsit. Tuberoni tamen genero phyalam pondere quinque drachmarum, fortiter gestæ rei præmium dedit. Atque hoc primum aiunt argenteum uasculum, in Aeliorum domũ fuisse ingreßum. Deuicto Perse nulla ex parte suos penates locupletiores fecit, præclarè secum actũ existimans, quòd ex illa uictoria alij pecuniã, ipse gloriam occupasset, ut ait Valerius libro 14.ca.3. Ex Plutar.

Laudat Panætius Aphricanum, quòd fuerit cõtinens, ac minimè cupidus. Is Aphrica deuicta, nihil in proprias ædes retulit, argenti autem in ærarium pondo centum millia XXIII. tulit. Militibus etiam ex præda quadragenos æris diuisit. Cic.1.offi. Liu.lib.10 bell.pun.2.

Lysander nullo in loco uictus, aut corruptus pecunia, post Atheniense bellum, ingentem auri atq; argenti uim in patriã introduxit, sed interim sibi Plut.in uit.

ne unam quidem drachmam fecit reliquam.

Plut.in ap. Iason Thessalorum Rex uenerat Thebas, belli socius futurus. Is cum Epaminundæ uehementer egenti, aureorum duo millia misisset, aurum non recepit, sed ipsum Iasonem intuitus, Iniustis, inquit, imperas, ipse deterior. Ipse uerò quinquaginta drachmis à ciue quodam acceptis mutuò, pro uiatico exercitus, inuasit Peloponesum. Sentiebat iniquas eße diuitias, in bello malè partas, fortes autem uiros, gloria, uirtutis præmio, contentos eße. Hinc Aristides ad Themistoclem ait: Manus abstinentes habere, pulcherrimum Principis est munus.

M. Curius Dentatus, quum Italia Regem Pyrrhum exegisset, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum, urbemq; ditauerat, attigit. Idem, ut suprà citaui, quum in foco rapa torreret, ac Samnites magnum auri pōdus publicè mißum attulißent, benignis uerbis inuitatus, ut eo uti uellet, uultum risu soluit. Protinusq; superuacuæ, inquit, ne dicam, ineptæ largitionis ministri, narrate Samnitibus M. Curium hæc in fictilibus esse, & malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem. Idem cum interuersæ pecuniæ argueretur, Cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit, iurauitq; se nihil amplius de præda hostili, in domum suam conuertisse.

Val. lib: 4 ca. 3.

Pli. de uiris illust.

Cn. Scipio post res bellicas in Hispania prospe

rè ge-

re gestas, deceßit in paupertate summa, nec ea quidem relicta pecunia, quæ sufficeret in dotem filiarum, quas Senatus ob inopiam publicè dotauit. Fron. li. 4 cap. 3.

M. Attilius Regulus, cum summis rebus præfuisset, adeò pauper fuit, ut se, coniugem, liberosque toleraret agello, qui colebatur per unicum uillicũ. Oppida ducenta, & hominum ducenta millium cepit, nihil tamen rem familiarem suam auxit. Absente eo, coniugi eius, & liberis ob paupertatem sumptus publicè dati.

Cn. Martius patriciæ gentis adolescens, Anci regis clara progenies, cum æditis conspicuæ fortitudinis operibus, à Posthumio Commnio COS. accurata oratione apud milites laudatus, omnibus donis militaribus, & agri centum iugeribus, & decem captiuorũ electione, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentoq; quantum sustinere ualuißet, donaretur, nihil ex his, præter unius captiui salutem hospitis, equumq;, quo in acie uteretur, accipere uoluit. Qua tam circumspectæ moderationis uirtute, nescias, utrum maiore cum laude premia meruerit, an reiecerit. Quid hic bellatores nostri respondebunt, quum audiant Ethnicos in bello tam modestos atque continentes fuiße, ut etiam oblatas manubias recusarint, nedum adfectauerint, aut per uim rapuerint. Certè nolentes, uolentes fateantur oportet, militarem ueterũ Ethnicorum Val. lib. 4 cap. 3.

nicorum disciplinam fuisse iustiorem, quàm hodie quorundam Christianorum, qui longè inclementius & iniquius bella gerunt, quàm illi. Illi nihil auarè, nihil libidinose facientes, sola gloria contenti, pro rerum publicarum utilitate, atque salute sudarunt efflictim. Hi contrà, per auariciæ atque libidinum genera, per omnia denique Reipublicæ dispendia non uerecundarentur priuatam commoditatem Reipublicæ anteponere. Quorum aliqui crimina fucis occulturi, solent in crucem tollere pauperculos calonum, atque lixarum greges, quos durior aliquando fames ad frustum panis, aut petasonum, aut casei uillicis eripiendum, impulit, cum interim Duces ipsi maiores fures per fictitia militum absentium, quæ cœca uocantur nomina, per iniustas cædes, per uarias machinationes, per omnia denique Tyrannidis imperia prædas agant, atque cõuertant in usum priuatũ ea, quæ publica priuatas ultra salariorum propriorum expensas accepta, publicũ in ærarium, iure bono fuerant referenda. Atqui de gloriosorum huiusmodi triumphatorum spolijs, quibus Resp. (ut meritò debuerant) ditantur minimè, nec omnis Reip. communis inopia subleuatur, sed priuatarũ ædiũ alitur superbia, luxusque fouetur, illud dici potest: Malè parta malè dilabentur. Et: De malè quæsitis uix gaudet tertius hæres. Et: Salis onus, unde uenerat, abit.

DE POTENTIS ANIMOSO Principis ausu.



Aius Iulius Cæsar, facinora, quæ quoniam periculis obnoxia sunt, & magna gerenda esse dicebat, at de his non consultandum, quòd ad hæc perficienda, plurimum habeat momenti celeritas. Quam Cæsaris sententiam in bello Princeps amplexari poterit, sed non antè, quàm necessitas postulauerit summa. Fortuna certè solet aliquando uiros audaces iuuare, quasi ijs infensa, qui nihil audeant experiri, sed ueluti cochleæ perpetuò lateant intra testas. Vnde Salustius: Semper in prælio maximum periculum, qui maximè timent. Audacia pro muro habetur. Et rex Agesilaus Imperatorem, inquit, oportet habere, in hostes audaciam, in subditos autem beneuolentiam & ad occasiones solertiam. Animalia quidem generosa habentur, quibus multum inest iræ: sed errant uehementer, qui ea in exemplum hominis adducunt, quibus pro ratione est impetus, homini pro impetu ratio est. Quare quum iuxta Periandri sententiam: Omnis temeritas periculosa sit, bonus Princeps adhibitis omnibus consilijs, nihil omnino præcipitanter aget, doctus Ecclesiastici sententia: Fili sine consilio nihil facias, & post factũ non pœnitebis. Et prouerbio ueteri ἐν νυκτὶ βουλή.

Ex Plutar.

Plut. in ap.

Sene. li. 2. de ira.

Dio. lib. 1.

Ecclesi. 32.

Quod

Quod admonet, non protinus decernendū, nec præcipitandum consilium, neque statim ad primos animi impetus quippiam agendum. Rectè Salustius ait: Priusquam incipias, consulto, & postquam consulueris, maturè facto opus est. Nec perperam Agapetus: Consulta, inquit, quæ agenda sunt cunctanter, exequere autem, quæ decreueris maturè. Quoniam periculosa est admodum inconsiderata in rebus temeritas. Si quis, quæ ex inconsulta mente proueniunt, mala conceperit animo, is facilè reperiet, consilij melioris commoda, ut qui sanitatis fructū post durum ægrotationis experimentum persentiscunt. Debes igitur cordatißime Rex, tum consilio prudentiore, tum precibus ad Deum feruentioribus exquirere diligenter, quæ sint expeditura. Nō expediunt autem præcipitata consilia, quòd ea magnas sæpenumero tempestates, maximasq; ruinas secum trahere soleant. Vnde Cæsar Augustus crebrò iactabat illa: σπεῦδε βραδέως, ἀσφαλὴς γὰρ ἐστιν ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηγός. Id est, Festina lentè, nam certus dux potior, quàm confidens, quibus significat: Nihil in Duce perfecto minus, quàm festinationem temeritatemq; conuenire. Quare fugiendum illud, ne offeramus nos periculis, sine urgente causa, quo nihil potest esse stultius.

Sue. in Cæ.

Cic. 1. offi.

Porrò in acie temere uersari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & beluarum simile

le est. Sed quum necessitas postulat, manu decertandum. At inconsultò & præproperè signis collatis, cum hoste dimicare, & se periculis obijcere, furiosum est, & rabiosum, contra stimulos iactare calcem, & id quod dicitur, Celmis in ferro. Meritò damnata quondam à Romanis audacia Scipionis Aphricani, qui relicto exercitu, cum paucissimis socijs ex Hispania temere duabus quinqueremibus, in Aphricam ad Syphacem traiecit, in unius Numidæ infidis præcordijs, suam pariter ac patriæ salutem depositurus. Qua temeritate exiguo momento, maximè Reip. casus fluctuatus est, utrũ interfector, an captiuus Scipio Syphacis fieret. Cõtrà, iure laudatur à Iuuenale Crispini prudentia, qui Domitiani uiolentiæ concesserit, & ingenio alioqui insanabili, obsecundarit. Val. lib. 9. ca. 8 Liu. lib. 8. 2. bel. pun.

Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem. Iuue. sa. 4.

Quid enim stultius, quàm temerarium esse, & uiribus præter modum fidere, tanquam sint inexpugnabiles? Olim Milo Crotoniates, quum iter faciens, quercum in agro cuneis adactis fissam uidisset, fretus uiribus accessit ad eam, insertisq; manibus, diuellere conatus est, quas arbor excussis cuneis, in suam naturam reuocata, compressit, eumque cum tot Gymnicis palmis lacerandum feris præbuit. Val. lib. 9. cap. 12.

ITEM, Polydamas Athleta tempestate spe-

lunеam adire coactus, nimio & subito incursu aquæ labefactata ea, ac ruente, cæteris comitibus fuga periculum egreßis, solus restitit, tanquam humeris suis totius ruinæ molem sustentaturus, sed pondere omni corpore humano potentiore preßus, imbribus petitam latebram, dementis fati sepulchrum habuit. Poßunt ij præbere documentum, ne quis uirium suarum robore fretus, in pericula se præcipitet, infelicem habiturus euentum.

Rex olim Antigonus, cum renunciatum eßet, filium Alcyoneũ in acie cecidiße, demißo uultu, paulisper apud se cogitauit, mox erupit in hanc uocem: O Alcyonee, serius quàm oportuit, uitam morte cõmutasti, qui tam audacter in hostes insilieris, neque tuæ salutis, neque meorum monitorum ullam habẽs rationem. Putauit non eße deflendum, qui sua culpa perijßet, sibiq; calamitatem accersißet.

Ex Plutar.

Dionysius Siciliæ Tyrannus conspiciens filium suum cum Atheniensibus iuueniliter ac temere congredientem: Aut uiribus, inquit, adde, aut animis deme. Docens periculosam eße audaciam, si uires non suppetant spiritibus.

Era. 1. apo.

Fabius Maximus cum de Minutio collega suo (quoniam nonnullos hostes deiecerat) multus eßet ortus rumor, tanquã uiro fortißimo, ait, se magis secundã Minutij fortunã, quàm aduersam pertimescere. Sentiens illius temeritatem periculosißimã eße

Era. 5. ap.

esse Reip. quā si rerū successus attolleret, in extremū discrimen adducturam uniuersum populum Romanū, sed aduersis casibus futuram moderatiorem.

Quum rumor incerto autore obortus esset de morte Alexandri, moxq; Rhetores prosilirēt, hortantes, ne cunctarentur, sed è uestigio bellum susciperent. Phocion Atheniensis expectare iussit, donec certius aliquid cognosceretur. Nam si, inquit, hodie mortuus est, & cras, & perendie mortuus erit. Grauiter Oratorum præcipitem temeritatem coërcuit. At aliquis dicat: Quid? non decet audacem in bello, non fortem esse? Decet, sed ut ubique temeritatis absit uel minima suspicio, nusquam desit prudentia, ne malo, quod aiunt, accepto stultus sapiat. Optimè Cato senior dixit, Imperatorem, si minus ætate, certè moribus senem esse oportere. Sentiens non esse, quod iuuenes solent, præcipitanda consilia, sed moribus utendum senilibus. Et olim prudentes Ethnici fuerunt audaces, sed ita, ne temerarij sese præcipitarent in pericula. C. Marius dolorum atque periculorum maximus erat cōtemptor. Is quum in utroque crure uarices haberet, nullis uinculis alligatus, præbuit sese medico secandum, ac nec suspirio emisso, nec adductis superciliis Chirurgi curationem pertulit. Idem Cymbros in Gallia, apud aquas Sextias, Theutonas in Italia uicit. Vnde Satyricus,

Plut. in apo.

Ex Plutar.

Iuue. sa. 8. Fortior hic Cymbros, & summa pericula rerũ
Excipit, & solus trepidantem protegit urbem.
Atq; ideo postquã ad Cymbros stragẽq; uolabãt
Qui nunquã attigerãt maiora cadauera corui,
Nobilis ornatur lauro.

Idem tamen summa, nisi Reipub. necessitas urgeret, præcipitanter in pericula se minimè coniecit. In bello enim ciuili cum fossa cinctus obsideretur ab hostibus, continuit sese, tempus expectans opor- Eras. 5. ap. tunum. Popedio autem Soloni dicenti: Si magnus es Imperator, ô Mari, descende in conflictum: Imò tu, inquit, si magnus es Imperator, coge me nolentẽ ad certamen uenire.

ITEM: Animosus fuit Iulius Cæsar. Is tamen Ex Sueton. in expeditionibus obeundis, dubium cautior ne fuerit, an audacior. Exercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs, illud suprà citatum animo gerens insculptum:
Ἁμαρτεῖν οὐκ ἔνεστι δὶς ἐν πολέμῳ.

ITEM: Paulus Aemylius, qui Persea Regem Ex Plutar. uicit, ac in triumpho duxit, adempta temeritate fuit audax. Is quum per loca prærupta in Macedoniam irrupisset, uidissetq; instructam hostium aciem, exhortante Nasica, ut protinus inuaderet hostem: Facerem, inquit, si tuæ essem ætatis Sed multarum rerum experientia prohibet, ne ex itinere statim cum instructa acie congrediar.

ITEM,

ITEM, L. Lucullus imperterritus fuit. Qui cum in Armenia cum decem millibus armatorum, & mille equitibus aduersus Tigranem regem tenderet, centū quinquaginta hominum millia habentem in exercitu, pridie Nonas Octobreis, quo die prius Scipionis copiæ deletæ fuerant, quodam admonente, quòd Romani diem illum ut nefastum & inauspicatum metuerent. Ergo, inquit, hodie alacriter pugnemus, ut hunc quoq; diem ex nefasto funestoq́; Romanis hilarem & auspicatum reddamus. Idem, cum Romani cataphractos præcipuè formidarent, bono animo illos eſse iuſsit, plus enim negocij futurum in spoliandis illis, quàm uincendis. Ex eodem.

ITEM, Q. Fabius Maximus extrema neceſsitate poscente, satis fuit audax. Is cum uideret collegam suum, hominem temerarium, ab Annibale superatum, & in summo discrimine ciues Romanos uersari: Nunc signa, inquit, extra uallum proferte, uictoriam hosti extorqueamus, confeſsionem erroris ciuibus. Iam magna ex parte alijs cæsis, alijs circumspectantibus fugam, repente uelut è cœlo demiſsus, ab effusa suos fuga, & à feroci pugna hostes continuit. Vnde Annibalem ex acie redeuntem dixiſſe ferunt: Tandem illam nubem, quæ sederet in iugis montium, solicitatam procellæ imbrem dediſſe, hoc est, à Fabio se uictum, qui Minutium uicerat. Idem tamen Fabius temere cum ho- Liu. lib. 2. sec. bel. pu.

ſte nunquam uoluit confligere, unde pro cunctato-re ſegnis, pro cauto timidus à multis propalam ſo-lebat uocari.

ITEM: Quis animoſior uel audacior unquam Annibale fuit? Is exercitu armari iuſſo, cum pau-cis in equo, humilem quendam tumulum conſcen-dit, ſpeculatuſque eſt hoſtes, iam inſtructis ad pu-gnam ordinibus properanteis. Quum autem qui-dam Giſcon nomine, ex his qui aderant, dixiſſet, ad-mirabilem ſibi hoſtium numerum uideri, contra-hens frontem Annibal, Hoc aliud certè te admira-bilius fugit. Rogitante uerò Giſcone, quidnam id eſſet: Quòd ex hac, inquit, tanta hominum multi-tudine ſit nemo, qui Giſcon uocetur. Id cauillũ præ-ter expectationem incidens, omnibus non ſolùm ri-ſum mouit, ſed timorem etiam excuſſit. Nam Car-thaginenſes quum perſpicerent Imperatorem in-trepidum, in periculo iocari, & rem paruifacere, audaciores facti ſunt. Idem tamen An-nibal nihil temere ſolitus eſt agere, ſed adhibitis conſilijs ferè omnia. Is ad Cannas uictor, quod re-liquum erat diei inſequentis, quietem ſibi ſumpſit, & feſſis militibus dedit. Tum Maharbal præfe-ctus equitum, minimè ceſſandum ratus, imò quid hac hac pugna ſit actum, ſcias: Diequinti, inquit, uictor in Capitolio epulaberis, ſequere cum e-quite, ut Romani prius te ueniſſe, quàm uenturum ſciant.

Plu. in uita Fabij.

Liu. lib. 2. bell. pun. 2.

sciant. Respondit Annibal: Praecedant nuncij, leta res est, sed uia maior, quàm ut eam statim animo capere poßim. Itaque uoluntatem se laudare Maharbalis, ait, ad consilium autem prensandum tempus opus esse. Tum Maharbal exasperatus: Non omnia eidem Dij dedere. Vincere scis Annibal, uictoria uti nescis.

DE VAFRIS PRINCIPUM machinationibus, atque stratagematis.



VNiuersa rerum bellicarum fortuna pendet ab Imperatoris exercitati simul ac sapiētis industria. Pauci enim milites sub peritiore et prudentiore Duce, multo celebriores simul ac formidabiliores existunt, quàm innumerabiles sub imperito, atque temerario. Vnde Chabrias egregius Dux solebat dicere: Formidabiliorem esse Ceruorum exercitum, duce Leone, quàm Leonum, duce Ceruo. Sentiens totam belli fortunam pendere à uirtute prudentiaq; Ducis. In quo potißimum quatuor has res inesse oportet: Scientiam rei militaris, Virtutem, Autoritatem, Felicitatē. Et Chabrias eos dictitabat optimos Imperatores, qui res hostium quàm optimè cogni-

Plutān ap.

Cicero pro Lege Man:

tas haberent. Et Vegetius aßerit eos optimorū du-
Veg.1.c.9 cum muneribus fungi, qui non casu, sed arte dimi-
cant, qui non aperto Marte prælium, in quo com-
mune periculum, sed ex occulto semper attentant,
ut integris suis, quantum poßint, exuperent, hostes
certè uel terreant, uel minimo sanguinis dispen-
dio fallant. Vnde Rex Agesilaus solitus dice-
Plut.in ap. re: Fœdera præter causam uiolare, impium esse,
cæterum hostibus imponere, non modò iustum, ac
laude dignum, uerum etiam & iucundum & lucro
sum haberi. Quare Lacones, si quando stratage-
Ex eodem. mate, hoc est, callido consilio superassent hostem,
Era.2.ap. Marti bouem immolabant: Sin aperto prælio, gal
lum. Hoc pacto consuefacientes belli Duces, ut
non solùm fortes eßent ad prælium, & fundendum
sanguinem, uerùm ut callidis potius consilijs ad-
uersus hostem instructi, uictoriam incruentam cō
sequerentur. Præclarius enim existimabant hostē
ingenio citra sanguinem deijcere, quàm pugna ple-
runq; utrinq; cruenta uincere.

Sic C. Veturius, & Sp. Posthumius COSS.
Liu.lib. 9. bellum aduersus Samnites gerentes, à Pontio The-
ab urbe. lesino uafro hostium Duce, per insidiosam artem
seducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit,
qui Romanis dicerent, Luceriam à Samnitibus ob
sideri in Apulia, quò duo itinera ducebant, aliud lō
gus & tutius, aliud breuius et periculosius. Festi-
nantes

nantes igitur COSS. inciderunt in insidias, uiui cum suis omnibus capti. Liui. li 2. bel. pun. se.

Annibal inclusus, & ad Caßilinum obsessus, ludibrium oculorum specie terribile, ad frustrandũ hostem commentus, necubi Romanus inclusum uallib. agmen aggrederetur. Fallacis autem consilij talis apparatus fuit. Faces undiq; ex agris, fascesq; uirgarum atq; arida sarmenta præligauit cornibus boum, quos indomitos, domitosq; multos, inter cæteram agrestem prædam habuit. Ad duo milia fermè boum fuerunt. Asdrubali negocium dedit, ut primus tenebris noctis, id armentum, accensis cornibus ad montes ageret, maximè, si poßit, super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris, silentio mota castra, boues aliquanto ante signa acti, ubi ad radices montium, uiasq; angustas uentum est, cornua sunt accensa. Armenta in aduersos montes concitata, magnum hostibus timorem incusserunt, Annibali præbuerunt occasionem cum exercitu illæso commodum elabendi. Sic cum Leonis, ut aiunt, exuuium non sufficeret, uulpinum addidit Annibal.

Clearchus Lacedæmonius exploratum habens Thraces, omnia uictui necessaria in montes comportasse, una quoq; ope sustentari, quòd crederent, eum commeatus inopia recessurum, per id tempus quo legatos eorum uenturos opinabatur, Front. li. 3. cap. 5.

aliquem ex captiuis in conspectu iußit occidi, & membratim, tanquam alimenti causa distribuit in contubernia. Thraces nihil non facturum perseuerantiæ causa credentes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri, in deditionem uenerunt.

Fron. li. 2. cap. 5. Annibal cum explorasset negligenter castra Fuluij Romani ducis munita, ipsum præterea multa temere audere, prima luce cum densiores nebulæ præstarent obscuritatem, paucos milites munitionum Romanarum uigilibus ostendit, quo Fuluius repente mouit exercitum. Annibal per diuersam partem, castra eius occupauit, & ita in terga Romanorum effusus, octo millia fortißimorum militum cum ipso Duce, citra magnam suorum iacturam trucidauit.

Liui. li. 7. bel. pun. se. IDEM à Marcello uictus, cum se uideret duobus non parem Consulibus, in artes suas totus uersus, locum insidijs quærebat. Tumulus erat syluestris inter Punica & Romana castra, à neutris primo occupatus. Fremebant Romani locum eum occupandum esse, & castello firmandum, ne si occupatus ab hoste Annibale foret, uelut in ceruicib. haberent hostem. Annibal insidijs eum, quàm castris aptiorem credens, nocte ad id missas aliquot Numidarium turmas, medio in saltu condidit, quorũ interdiu nemo à statione mouebatur, ne aut arma, aut ipsi procul conspicerentur. A suis impulsus

Mar-

Marcellus, collegæ Crispino, quin imus, inquit, ipsi cum equitibus paucis exploratum? subiecta res oculis certius dabit consilium. Profecti igitur cum equitibus ducentis uiginti, in insidias inciderunt. Marcellus inter pugnandum lancea transfixus ex equo prolapsus, Crispinus duobus iaculis ictus, effugit cum filio COS. saucio.

IDEM in prælio Cannensi, quingentos Numidas ad Romanos profugere iußit, qui præter consueta arma, telaq́; gladios occultos sub loricis habuerunt. Hi cum specie transfugarum, parmas post terga habentes adequitauißent, repente ex equis desiliunt, parmisq́; & iaculis ante pedes hostium proiectis, in mediam aciem accepti, ductiq́; ad ultimos considere à tergo iubētur: ac dum prælium ab omni parte conseritur, quieti manserunt. Posteaquam omnium oculos animosq́; occupauerat certamen, tum arreptis scutis, quæ paßim inter aceruos cæsorum corporum strata erant, auersam adoriuntur Romanam aciem, tergaq́; ferientes, ac poplites cædentes stragem ingentem dederunt, & maiorem aliquanto pauorem fecerunt. His atq́; similibus artibus Annibal suis uictoriam, cum maiore hostium, quàm suorum pernicie comparauit. In eo bello quadraginta millia peditum Romanorum, tria equitum millia cecidisse leguntur. Et tres aureorum annulorum modij, ex nobilium

Liui. li. 2. bel. pun. se.

Oros. li. 4. cap. 15.

bilium digitis detracti, atq; Cartaginem mißi.

Liui.li.7. 2.bel.pun. IDEM interfecti Marcelli Consulis annulo potitus, statim signi eius errore dolos nectere parabat. Nam Marcelli nomine scriptas literas Salapiam misit, se nocte, quae diem illum secutura esset, uenturum Salapiam, parati milites essent, qui in praesidio erant, si qua opera eorum opus esset. Admonitione Crispini alterius Consulis fraudem senserunt Salapiani, Mißo igitur retro nuncio, ut sine arbitro milites, quae uellent agerent. Interim oppidani circa portam, qua uenturum hostem rebantur, quod roboris in praesidio erat, opposuerunt. Annibal quarta uigilia ad urbem accessit, & Latinos transfugas praemisit, aperiri portas iubentes, Consulem adesse. Sed Annibal sua fraude captus, amißis militibus abijt. Sic ars arte, dolo dolus elusus.

Val.lib.2. cap.1. Liui. li.6. bel.pun.se Cùm equitatui Campano crebris excursationibus equites Romani (quia numero pauciores erant) resistere non possent: inierunt rationem, ut quod uiribus deesset, arte aequaretur: Ex omnibus legionibus electi sunt iuuenes, uigentes, ac ueloces. Eis parmae breues, & septena iacula, praefixa ferro data. Eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt, & uehi post sese, & desilire perniciter, ubi datum signum esset. Instructi iam aduersus Campanorum equites processerunt.

Dato

Dato signo uelites desiliunt, in equos, & uiros hostium coniectis passim telis, effecerunt Romanam aciem equitatu superiorem.

Agesilaus Lacedæmonius aduersus Thebanos cum acie confligeret, intellexissetq; hostes locorũ conditione clausos, ob desperationem fortius dimicare, laxatis suorum ordinibus, apertaq; Thebanis ad euadendum uia, rursus in abeuntes contraxit aciem, & sine iactura suorum cecidit auersos. Front. li. 2. cap. 6.

Cymon Dux Atheniensium in Caria insidiatus cuidam ciuitati, religiosum incolis templum Dianæ, lucumq;, qui extra muros erat, noctu improuisus accendit, effusisq; oppidanis, ad opem aduersus ignes ferendam, uacuam defensoribus urbem cepit. Front. li. 3. cap. 2.

Scipio Masinissam iubet Salinæ portis obequitare, hostes elicere, & sensim cedendo, ad se, per oportunis uiarum flexibus, cum exercitu Romano latiturum, pertrahere. Quod Masinissa fecit, & ferocem sine ordine, sine signis effusam multitudinem excepit, & sensim cedendo, ad tumulos tegentes Romanum equitatum pertraxit: inde exorti equites, & ipsi integris uiribus, & recentibus equis, hostes cum duce Hannone, sine magno Romanorum periculo interfecerunt, urbemq; in potestatem Romanorum redegerunt. Liui. li. 9. se. bel. pu.

P. Scipio

Fron. li.2. cap.1. P. Scipio in Hispania cum comperisset Asdrubalem Pœnorũ Ducem, ieiuno exercitu mane processisse in aciem, continuit in horam septimam suos: quibus praeceperat, ut quiescerent, ac cibum caperent: cumq; hostes inedia, siti, mora sub armis fatigati repetere castra cœpissent, subitò copias eduxit, & commisso prælio, uicit.

Hyberna Carthaginensium sociorum Syphacis & Asdrubalis Regum (congesta temerè ex agris materia) exædificata, lignea fermè tota erãt, pars maxima arundine texta, scoriaq;. Quæ res P. Scipioni spem fecit, castra hostium per occasionem incendendi. Legatos igitur, conditionis pacis faciendæ prætextu ad Syphacem misit, & cum ijs calonum loco primos ordine spectatæ uirtutis, atque prudentiæ, seruili habitu, qui dum in colloquio Legati essent, uagi per castra, alius alia, aditus, exitusq; omnes, situm formamq; uniuersorum castrorum, & partium, quà Pœni, quà Numidæ haberent, quantum interualli inter Asdrubalis & regia castra esset, specularentur, moremq; simul noscerent stationum, uigiliarumq;: an noctu an interdiu oportuniores insidiantibus essent. Inter crebra colloquia, alij atque alij de industria, quo pluribus omnia nota essent missi. His præparatis aduocauit consilium, & quid ipse pararet in proximam noctem, proposuit Scipio. Postremo Tribunis

Liui. li. 10. se. bel. pun.

bunis edixit, ut ubi signa concinuissent, extẽplo è castris legiones educerent. Lælium & Masinissam hostium castra inuadere, ignesq; conijcere iussit, se idem facturum: cæterum non antè cœpturum, quàm ignem in regijs castris conspexißet. Nec ea res morata diu est. Proximis castris iniectus ignis hæsit, extemplo proxima quæque, & deinceps contigua amplexus, totis se paßim dißipauit castris. Fortuitum, non hostilem ignem rati milites, sine armis ad restinguendum incendium effusi, in armatos inciderunt hostes. Ambusti homines iumentaq;, primum fuga, deinde strage, obruebant itinera. Quos non oppreßit ignis, ferro, sine magna Romani sanguinis iactura absumpti. Sic bina castra, nocte una, deleta. Duces cum paucis, & ijs saucijs, & incendio afflatis effugerunt.

Epaminundas dux Thebanorum, aduersus Lacedæmonios directurus aciem, pro fronte eius decurrere equitibus iußis, cum ingentem puluerem oculis hostium obiecisset, expectationemq; equestris certaminis prætendisset, circumductis peditibus, ab ea parte, ex qua decursus in aduersam hostium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cecidit. Fron.li.2. cap.2.

C. Sulpitius Petreius Consul contra Gallos dimicaturus, iußit muliones clã in montes proximos, Ibid.ca.4.

cum

cum mulis abiere, & inde conserto iam prælio, uelut equis insidentes, ostentare se pugnantibus. Quare Galli existimantes aduentare auxilia Romanis, cessere iam penè uictores.

Front.li.3. cap.10. Viriatus disposito per occulta milite, paucos misit, qui abigerent pecora Etobrigensium: atq; illi ad uindicanda cum frequentes procurrissent, simulantesq; fugam prædatores persequerentur, deducti in insidias, paruo Viriati dispendio cæsi sunt.

Liui. li.6. ab urbe. Romani, cum à Gallis Capitolium obsideretur, in extrema iam fame, panem in hostem iactauerunt, consecutiq; ut abundare commeatibus uiderentur, obsidionem, donec ueniret Furius Camillus adsertor, tolerauerunt.

Front.li.3. cap.6. Thraces in arduo monte obsessi, in quem hostibus accessus non erat, collato uiritim exiguo tritico, aut caseo pauerunt pecora, & in hostium præsidia dimiserunt. Quibus exceptis, occisisq;, cum frumenti uestigia in uisceribus eorum apparuissent, opinatus hostis magnam uim tritici superesse eis, qui inde etiam pecora pascerent, recessit ab obsidione.

Liui.lib.3. sec.bel.pu. Annibale Casilinum obsidente, ciues extrema fame premebantur. T. autem Sempronius Gracchus cum frumenta non posset eò palàm importare, quàm plura dolia farre compleuit, & nuncium

ad

ad Caßilinum magiſtratum miſit, ut exciperent dolia, quæ Vulturnus amnis deferret. Nocte igitur intenti omnes in flumen, dolia medio amne miſſa acceperunt. Cuius rei certior factus Annibal, custodia magis uigili cauit, ne quid falleret Vulturno ad urbem miſſum. Nuces deinde fuſæ à Romanis caſtris, cum medio amne ad Caßilinum defluerent, cratibus excipiebantur à famelicis Socijs. Poſtremo tamen ad id uentum inopiæ eſt, ut lora, detractæ ſcutis pelles, ubi feruida molliſſent aqua, mandere conarentur: nec muribus, alióue animali abſtinerent, & omne herbarũ, radicumq́; genus aggeribus infimis muri eruerent: & cum hoſtes obaraſſent, quicquid herbidi terreni extra murum erat, raparum ſemen iniecerunt, ut Annibal: Eóne uſq;, dum ea naſcantur, ad Caßilinum ſeſſurus ſum? exclamaret.

Darius ut falleret Scythas diſceßu, canes atq; aſinos in caſtris reliquit, quos cum latrantes, rudenteſq́; hoſtis audiret, remanere Darium credidit. Eundem errorem obiecturi Romanis Ligures, per diuerſa loca bubalos laqueis ad arbores alligauerunt, qui deducti frequentiore mugitu ſpeciem remanentium præbebant hoſtium. Fron. li. 1. cap. 5.

Cyrus Perſarum Rex ſuperbus, bellum Scythis intulit, quem Tomyris Regina, quæ tum genti præerat, cum prohibere tranſitum Araxi flumi Oro. lib. 1. cap. 8.

nis posset, transire permisit: primum propter fiduciam sui, dehinc propter oportunitatem ex obiectu fluminis hostis inclusi. Cyrus itaq; Scythiam ingressus, procul à transmisso flumine castra metatus: insuper astu eadem instructa uino epulisq;, deseruit, quasi territus refugisset. Hoc comperto Regina tertiam partem copiarum, & filium adolescentulum ad persequendum Cyrum mittit. Barbari uelut ad epulas inuitati, primum ebrietate uincuntur, mox reuertente Cyro, uniuersi cum adolescente obtruncantur. Tomyris exercitu & filio amißo, uel matris, uel Reginæ dolorem, sanguine hostium diluere promptius, quàm suis lachrymis, parat. Simulat diffidentiam desperatione cladis illatæ, paulatimq; cedendo superbum hostem in insidias uocat. Ibi quippe compositis inter montes insidijs, hostem ita citra suorum sanguinem tractauit, ut nec nuncius tantæ cladis superfuerit. Regina caput Cyri amputari, atq; in utrem humano sanguine oppletum conijci iubet, non muliebriter increpitans: Satia te sanguine, quē sitisti, cuius per annos triginta insatiabilis perseuerasti.

Fron. li.3. cap.10. Annibal cum obsideret ciuitatem Hymeram, castra sua capi de industria passus est, iußis recedere Pœnis, tanquam præualeret hostis. Quo euentu Hymereis ita deceptis, ut gaudio impulsi relicta urbe, procurrerent ad Punicum uallum, Annibal

bal uacuā urbem, per eos, quos in insidijs, ad hanc ipsam occasionem posuerat, cepit.

Hæc propter eam maximè caussam producta sunt exempla, ut Princeps Christianus uideat Ethnicos animis honestioribus præditos in id potissimum incubuisse, ut in bellis hostem uafra magis astutia, bellicisq; artibus, quā apertis prælijs adorti uictoriam citra sanguinem, maximè suorum partam sibi compararent. Deinde non facilè consilia, quæ cū honestate ipsa pugnare uisa sint, admisisse. Nullam enim utilitatem putauerunt, quæ honestatis specie, cū ipso pugnaret honesto. Hinc Athenienses Cyrsilum quendā suadentē, ut ciues (qui Persarum impetum, nullo modo sustinere poterant) in urbe remanerent, Xerxemq; regē Persarum reciperent, lapidibus obruerunt. Et Themistocles, post uictoriā eius belli, quod cū Persis fuit, dixit in contione se habere consiliū Reip. salutare, sed id sciri opus nō esse, postulauitq;, ut aliquē populus daret, qui cū cōmunicaret. Datus est Aristides, huic ille classem Lacedæmoniorū, quæ subducta esset ad Gytheum clàm incendi posse, quo facto, frangi Lacedæmoniorū opes necesse esset. Quod Aristides cū audiuisset, in contionē magna expectatione uenit, dixitq; perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minimè honestum. Itaq; Athenienses, quod honestum non eßet, id ne utile qui- Cic. 3. offi.

dē putauerunt, totamq́; eam rem, quam ne audiue rant quidem, auctore Aristide repudiauerunt. Ex quibus omnibus Princeps Christianus intelliget, quid in rebus bellicis facere deceat sese, qui pietate, sanctimonia, charitate, clementia, cæterisq́; uirtutibus longo interuallo debeat Ethnicos omnes antecellere. Pacem ante omnia, rerum omnium conseruatricem quæret, atq; amplexabitur. Vrgentibus autem neceßitatibus ad bellandum impulsus, uniuersum negocij cardinem eò uertet, omni arte, consiliorumq́; calliditate rem eo deducet, ut uictoriam minimo, non subditorum suorum modò, uerum etiam hostium, maximè si Christiani fuerint, sanguine partam assequatur. Et ante omnia priuatis commodis Rempub. præferre: honestati, iusticiæq́; propriam utilitatem postponere contendat.

VTRVM INGRVENTE bello Princeps subditis suis, an alienigenis mercede paratis, fidere magis debeat.



B Aulicis quibusdam aliquando Principes audiunt, belli tempori bus in auxiliares exteros plus spei, atq; fiduciæ, quā in regni sui milites atque ciues esse, reponendum

dum: cum hi minus exercitati, sint illis incommodiores. Accersendos igitur exoticos esse, quorum humeris tota Reip. fortuna melius incumbat. Atqui Ducum antiquorum optimi, cum res ad Triarios, ut aiunt, rediisset, ciues subditos, ac patrios milites, exoticis prætulerunt: quòd hi mercede parati, uel precio, uel gratia, uel metu, uel simultate corrumpi, & facilius ad defectionem solicitari possent. At illi non item, quos amor ac pietas in patriam religione quadam obstrictos habeant, ac potenter instigent ad fortiter pugnandum pro salute patriæ, amicorum, adfinium parentum, uxorum, atq; liberorum. Quippe cum omnia commoda sint à patria accepta, nemo ciuis honestus ullum incommodum pro patria, bonoq; suo Principe subire detrectat. Hoc monet ac docet in patriam pietas, atque publica salus, cui priuata incolumitas postponenda. Quid, quòd pro patria mori pulcherrimum semper ac gloriosißimum fuerit: contrà, patriam antiquißimam ac sanctißimam parentem uocatam, in extremo discrimine, nostra cessatione deseri turpißimum. Vnde cum ingens olim rei frumētariæ penuria Romæ esset, Cn. Pompeius annonæ procurator declaratus, in Aphricam, Sardiniam ac Siciliam nauigauit, multaq; ui frumenti collecta, properabat ire Romam. Verū cum ingenti tempestate oborta naucleri detrecta-

Ex. Plut.

[illegible handwritten marginal note]

rent nauigationem, ipse primus nauim ingressus, iußit ancoras tolli, clamans: ut nauigemus urget necessitas, ut uiuamus nõ urget. Significans patriæ periclitantis habendam rationem, potius quã priuatæ incolumitatis. Id olim qui fecerunt, laudibus celebrati, atq; præmijs ornati fuerũt. Accidit plerumq;, ut quæ fiant, in alienis, non tam moueant hominum corda, quã quæ geruntur in patria: hæc sollicitant, hæc urunt. Vnde Duces olim strennui magis, ex hoc quasi fortißimo loco, soliti sunt, exhortationum argumenta deducere, milites suos animaturi, ut pro focis, aris, templis, amicis, adfinibus, parentibus, liberis atq; coniugibus alacriter dimicarent. Deinde in extremis rerum fortunis, suorum fiducia fulti, non ad alienorum, sed potius ad suorum præsidia, tanquam ad sacram, quod aiunt, ancorã confugere. Sic Annibal ultimum uirtutis suæ opus perfectæq; militaris disciplinæ specimen æditurus, singulari arte aciem, eo die quo cũ Publio Scipione congressus, instruxit. Etenim in prima fronte stipendiarios milites exoticos & auxiliares, ante ciuium suorum Carthaginensium aciem collocauit, ne homines misti, ex colluuie omnium gentium, quos non fides teneret, sed merces, liberum receptum fugæ haberent, simul primum ardorem atq; impetum hostium excipientes fatigarent. Ac si nihil aliud, alij mißilibus, alij uulneribus suis fer-

Liui.li.10. se.bel.pun.

rum hostium hebetarent. Tum ubi omnis ſpes eſſet, ſuos ciues, milites Carthaginenſes, ut omnibus rebus alijs pares, eo quòd integri cum feſſis ac ſaucijs pugnarent. Sic Hieron Rex Syracuſanorum, cum Mamertinis pugnaturus, conductum militem in fronte locauit. Ipſe cum equitibus Syracuſanis, urbaniſq; copijs longius ſubſtitit. Et hodie Turcam ferunt, Christianos transfugas, atque Socios conductitios in primam aciem collocare ſolitum, partim ne retrocedere, & hastam, ut aiunt, abijcere queant: partim ut primos hostium impetus, atque uim intolerabilem excipientes, arma hebetent aduerſa. Non enim ignorat, infidum eſſe genus hominum, qui mercedis gratia, non patriæ, neque iustitiæ defendendæ cauſa, stipendia faciunt: prompti etiam Cacodæmoni, ſi pecuniam numeret, inſeruire, unde rectiſſimè dictum: Ex Polyb.

Nulla fides, pietaſq; uiris, qui caſtra ſequuntur Luc. 10.
Venaleſq; manus, ibi fas ubi plurima merces.

Quod uerum eſſe multi olim Duces cum maxima ſuorum pernicie didicerunt. Aſdrubal posteaquam animaduerteret Romanorum ſpem omnem, in Celtiberorum auxilijs eſſe, perfidiæ ſpe, linguæq; commertio per occulta colloquia pactus eſt magna mercede, cum Celtiberorum Principibus, ut copias à Romanis abducerent. Non atrox Liui. lib. 5. bel. pun. ſe.

uideri facinus, cum in Romanos arma uersuri non essent. Merces, quanta uel pro bello satis esset, dabatur. Celtiberi signis repente sublatis abierunt, nihil aliud quaerentibus caussam, obtestantibusq;, ut manerent, Romanis, respondentes, quàm domestico se auocari bello. Sic à perfidis relictus Scipio Romanusq; exercitus, ab Asdrubale uictus Illi manus cum hoste conferenti, latus dextrum lancea traiectum. Quod exemplum Romanis documento fuit, ne ita crederent externis auxilijs, ut non plus sui roboris, suarumq; uirium in castris haberent.

At si Princeps agrestes habuerit subditos, nihil exercitatos, rebusq; bellicis nihil adsuetos, diligenter curabit eos exerceri temporibus pacis, idq; diebus oportunis, quoad fieri poterit frequentissimè, ut quotidianus usus in pace, non uideatur difficilis in bello. Et ferunt usum in pugna amplius prodesse, quàm uires. Doceantur itaq; tyrones, ambulare pleno gradu, ordines seruare, transilire fossas, arma tractare, hastilia uibrare, cursu certare, celeriter in equos insilire, tela torquere, in fluminibus natare, sub armis currere, In hostes impreßionem facere, onera portare, paruo denique uictu plurimum laboris exhaurire. Quibus omnibus magis idoneum uulgus rusticum asserunt. Hinc Vegetius: Nunquam, inquit, credo potuisse dubi-

Vege.li.2. cap.23.

Lib.1.ca.3.

dubitari, aptiorem armis rusticam pubem, quæ sub diuo, & in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, delitiarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre de more est.

Quare Carthaginenses quum optimos milites à Romanis interemptos amisissent, contraxerunt nouum, undique copijs agrestibus conscriptis, exercitum. Accersiuerunt rei militaris peritum Xantippum Lacedæmonium. Is exercitus cura suscepta, instituendo militem, atque exercendo breui cõposuit, & seruare ordinem, disciplinamq; coëgit. Polyb. li. 2 pri. bel. pu.

ITEM, Syphax Numidarum Rex, cum Romanis societatem faciens, confessus est, gentem suam ad pedestria bella rudem. Orauit igitur, ut unus apud se magister rei militaris remaneret. Q. Liu. li. 4. igitur Statorius remansit, qui ex multa iuuentute sec. bel. pu. pedites conscripsit, ordinatosque proximè morem Romanum instruendo, & decurrendo signa sequi, & seruare ordines docuit, & operi alijsque institutis militaribus assuefecit, ut breui Rex, non equiti magis fideret, quàm pediti, collatisq; æquo campo signis, iusto prælio Carthaginensem hostem superaret.

ITEM, De Lollio refert Horatius, inquiens:
Ac ne te retrahas, & inexcusabilis absis. Hora. 1. epist.

Quamuis nil extra numerum fecisse, modumq́;
Curas, interdum nugaris rure paterno,
Partitur lintres exercitus, Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur,
Aduersarius est frater, lacus, Adria, donec
Alterutrum uelox uictoria fronde coronet.

Ex Vulcatio Gall. ITEM, Sub Aufidio Caßio Imperatore, exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita ut sagittas mitterent, & armis luderent. Dicebat enim miserum eße, cum exercerentur Athletæ, uenatores, & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor esset futurus labor, si consuetus esset.

Ex Plutar. ITEM: Pyrrhus Epirotarum Rex, ei cui delectum militum commiserat, dixisse fertur: Tu grandes elige, ego exercitijs eos fortes reddam. Significans institutione fieri bonum militem, quantumuis rusticum. Fertur autem Pyrrhus disciplinæ militaris optimus fuisse magister.

Ad eiusmodi certè præludia bellorum, & exercitia militaria gregatim ac manipulatim aduolaret, maxima uoluptate capta pubes agrestis, si modò Duces aut Heroës eßent, qui pro ratione temporis oppidatim, aut municipatim illis addi calcar & nonnunquam aliquid præmij, tanquam uirtutis irritamentum conferri procurarent, hinc fortaße plurimum utilitatis publicæ uisuri. Primò iuuenes ad longè melius institutum reuocarentur, à

ritu prauo, & malorum assuetudine, qua modò cor-rupti, cateruatim ad tabernas meritorias, ad cho-reas, ad poculorum certamina, & detestanda tur-pium ingurgitationum studia, unde corporum per-nicies, crebra iurgia, lites, blasphemiæ, deierationes, turbarum ac seditionum seminaria, coniurationes, prælia, & breuiter, maria, quod aiunt, malorum emergunt. Deinde bellis ingruentibus, haberentur ad manus, non quærendi procul utiles armis, robusti & exercitati uiri, in quos ut fideliores suos subditos, multo plus spei atq; certæ fiduciæ Princeps collocare posset, quàm in exoticam hominum perditissimorum colluuiem. Postremò, Princeps eiusmodi militarium exercitationum studijs, maximam apud exteros autoritatem, & nominis gloriam sibi compararet, iudicaturos talem Principem ut alterum Annibalem, aut Scipionem, bello minimè lacessendum esse, qui ad utrumq; facilè paratus sit, & ad pacem seruandam, & ad sua defendenda: uel ad bella, si necessitas efflagitarit, alijs inferenda.

QVID IN GRAVISSImorum negociorum, aut discriminum exordijs, Christiano Principi faciendum.


ii quondam homines, impendentibus periculis, unanimiter ad Dominum clamare, & corpora ieiunijs multis humiliare soliti fuerunt. Sic cum Dominus esset inducturus malum super domum Achab Regis Israël, scidit uestimenta sua Rex ipse, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, unde non inductum malum in diebus eius, sed in diebus filij sui.

3.Reg. 22.

4.Reg. 6. ITEM: Cum Rex Syriæ Benadab obsideret Samariam, & maxima fames ingrueret, Rex Israel induit ad carnem intrinsecus cilicium.

Iudith. 4. ITEM, Cum Arphaxat Medorum Rex bellum illaturus esset Israëlitis, statim omnis populus clamauit ad Dominum, magna instantia: & humiliauerunt animas suas, in ieiunijs & orationibus ipsi & mulieres eorum, & induerunt se sacerdotes cilicijs, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.

Paul.Diac. li.12.de ge. Rom. ITEM, Theodosius Christianus Imperator, quum iustis causis ad bellum permotus, Anno Domini 1138. aduersus Tyrannum Maximum arma sumeret, expers cibi ac somni, orationi incumbens, totam noctem peruigil exegit, & quum se esse à suis destitutum sciret, tamen fiducialiter arma corripiens, signoq; crucis signo prælio dedit, ac se in bellum

lum, etiam si nemo sequeretur, uictor futurus immisit.

Et hodie Christianus Princeps non malè fecerit, ubi summo rerum discrimine impendente, metus diuini specimen exhibuerit ipse, & regionatim suis omnibus imperarit, communes ad Deum Opt. Max. supplicationes, atq; ieiunia. Quod Christiano nomine multo dignius, & uicinis longè minori fuerit offendiculo, quàm si statim à poculis, aut nugationibus, ad res arduas administrandas, uel ad bella gerenda fuerit prosultum.

In magnis rebus olim Ethnici, nihil facere, nihil publicè solebant attentare, nihil priuatim aggredi, nisi principio Deos oraßent, atque consuluißent: nisi sumpsißent auspicia, fecißent sacrificia, ludos, & supplicationes, hoc est, humiles, & cum reuerentia precationes ad deos habuißent. Sic post Scipionis traiectionem in Aphricam, Romæ decretum, ut supplicatio fieret, ut expeditio populo Romano, salutaris, ipsiq; Duci, atque exercitui esset. Sic post cladem Cannensem, quum Annibalis aduentu ciuitas esset in summo discrimine, supplicationes ad omnia puluinaria Deorum ab omni sexu fuerunt habitæ. Ploratus mulierum non ex priuatis solum domibus exaudiebatur, sed undique matronæ in publicum effusæ, circa Deûm delubra discurrerunt, crinibus sparsis aras uerrentes, nixæ genibus

Liu. lib. 10. bel. pun. se.

Liu. lib. 6. 2. bel. pun.

nibus, supinas manus ad cœlum ac Deos tendentes, orantesque, ut urbem Romam à manibus hostium eriperent, matresq; Romanas, & liberos paruos inuiolatos seruarent. Et Rex Agesilaus, cum in animo haberet mouere bellum aduersus Regem Persarum, non temere, nec illotis (quod aiunt) manibus rem aggressus fuit. Primò consuluit oraculum Iouis Dodonæi. Nam ea gens pleraq; ex oraculis Deorum gerebat. Deinde adijt & Delphicum oraculum, iisdem de rebus sciscitaturus. Nec adflictis solum temporibus Ethnici Deorum memores fuerūt, sed etiam prosperis, quibus Dijs pro re feliciter gesta gratias agere, spolia opima in Capitolium ferre, tauros mactare, ad patritios penates trophæa ponere, consueuerunt. Sic uictoria Numidica læti Senatores, extemplò edixerunt, ut ædituí ædes sacras omnes tota urbe aperirent, circumeundi salutandiq; Deos, agendiq; gratias, per totum diem populo potestas fieret. Sic post uictoriam Aphricanam, omnia patuere in urbe templa, supplicationesq; in triduum decretæ. Quòd si uerum illi Deum agnouissent, quanto feruore putes, ueræ pietatis specimina protulissent, nobis lōgè meliores, quorum hodie parua admodum religionis, diuiniq; metus scintilla relucet. Quum autem non modò pios Heroas, sed etiam prophanos Ethnicos in utroque cursu temporis ad numina diuina recurrere solito

Ex Plutar.

Liui. li. 10. bell. 2. pun.

tos uideat Christianus Princeps, multo magis ipse cum suis ad Dei Opt. Max. præsidia rebus in afflictis confugere, in prosperis Domino gratias agere, atque nomen eius glorificare debet. Certè quum quiuis homo, qui salutem expetit, ad supernum auxilium recurrere debet, ante omnes id Principem oportet facere, utpote qui pro omnibus solicitus, ut ipse custoditus à Deo poßit hostes generosa manu debellare, & suos fortiter defendere. Cæterum, quum ut dictum est, Princeps cor & oculus suorū sit, & uelut ex altißima prudentiæ specula suborituras Reipub. tempestates præuidere poßit, non fuerit impium, si malis impendentibus ipse per Ecclesiæ ministros curarit moneri populum, ac solicitari ad publica ieiunia, ad orationes, & ad eleemosynas integre faciendas. Deinde, per Magistratum dicta & facta malignorum constringi. In hoc enim seruiunt Principes Deo, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeāt, nō solū quæ pertinent ad societatem humanā, sed et quæ ad religionē diuinā.

Aga. ad In.

Aug. lib. 3. ad Chrys.

w Kraiu... do ... ...

DE LEGIBVS.

CVM initiò premeretur humilis multitudo, ab his qui maiores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant uirtute præstantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat.

Hinc

Hinc factum, ut bene morati Reges constituerentur, qui ab iniurijs inferiores defenderent. Quæ autem causa fuit Regum constituendorum, eadem & Legum, quibus non indigeremus, si omnes homines iusti essent, ac suum unicuiq; tribuerent. At quum plena sint omnia stultorum, & iniquorum hominum, Leges inopia bonorum atque iustorum constitutæ sunt, necessarioq; introductæ, ne probiores à maleficis opprimerentur. Vnde rectè Empedocles Agrigentinus dicebat: Ciues non minus oportere pugnare pro Legibus, quàm pro mœnibus, quod absq; Legibus nullo pacto poßit esse ciuitas incolumis, absque mœnibus poßit. Constat enim ad salutem ciuium ciuitatum, q; incolumitatem, uitamque hominum & quietam & beatam conditas eße Leges, quibus è medio sublatis, non modò scelera nefanda subditorum iniquus grex æditurus, sed etiam potentes, & iniusti magistratus ad immania tyrannidis exempla prolapsuri eßent. Quare leges in medium positæ sunt, ex æquo seruandæ ab utrisque. Nam ut ex illarum præscriptis subditi uiuere, nec non regulis iustitiæ regi debent, ita etiam Principes ac Reges, æquitati Legum, in omnibus obedire, non latum inde, quod aiunt, unguem discedere debent, sed quas & ipsi bonas condunt, seruare. Quod iustißimum Charōdas ille Tyrius olim morte sua confirmauit. Is ad uim atq; cruorem usq; seditio-

Era. 6. ap.

Cic. de le. 2

Val. lib. 6. cap. 5.

ditiosas ciuium suorum contiones pacauerat, lege cauendo, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuò interficeretur. Interiecto deinde tempore, ex longinquo rure, gladio accinctus, domum repetens, subita indicta contione, sicut erat, in eam processit, ab eoq́;, qui proximè constiterat, solutæ à se legis suæ monitus. Idem ego illam, inquit, sanciam: ac protinus ferro, quod habebat, districto, incubuit. Cumq́; liceret culpam uel dißimulare, uel errore defendere, tamen oppetere maluit, quàm ipse primus legem à se latam soluere. Sentiens Principes non solum per leges imperare, sed etiam legibus obtemperare debere. Etenim ut Principes populis, ita solæ leges Principibus imperant. Et ut magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus, uereq́; dici potest. Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Cum autem leges iusticiæ sint quasi ministræ quædam, custodes æquitatis, ac publicæ utilitatis, meritò Princeps, qui iusticiæ item minister ex illarum statutis omnino pendere debet, & nouas fortasse conditurus, tria ueluti capita, ante oculos ponere. Cic. de leg. 3.

Principio debet operam dare, ut incorruptus ipse lex uiua sit, bono suis exemplo præfulgẽs, curabit, ut non multas leges condat, sed optimas, Reip. salutares. Inprimus cauebit, ne sapiant auariciam, ne quid oleant fisci lucrum, ne priuatam procerum Er. in Pri. instit.

commoditatem, ne pauperibus adflictionem, opulentis adferant relaxationem, sed ad exemplar æquitatis, & ad publicam utilitatem referantur omnia, alioqui ne lex quidem erit, fatentibus & Ethnicis, ni iusta sit, ni æqua, ni publicis commodis consulens. Etenim qui perniciosa, & iniusta populis iussa descripserint, quiduis potius tulerint, quàm leges. Iure notatus est Dionysius ille Syracusanus, qui tyrannico consilio, plurimas tulit leges, alias super alias ingerens, easq; à populo negligi patiebatur, quo cunctos ad hunc modum sibi redderet obnoxios. At istud non est leges condere, sed laqueos tendere. Et meritò reprehensus est Epitades, qui legem tulit, ut liberum eßet cuique, cui uellet, sua relinquere: hoc interim agens, ut ipse filium, quem oderat, poßset exhæreditare. Hanc populus technam, primò non intelligebat, quæ deinde grauem perniciem attulit Reipub. Sed fœdißimum est, legibus caßsium uti uice.

Cic. de. leg.

Ex Erasm.

DEINDE, Condendis in legibus Princeps bonus curabit, ne peruersi homines, diuitijs, nobilitate, clientelis, functionibus, & potentia deniq; sua freti, bonas leges detorqueant in scelestos iniquitatis abusus, ut L. ille Neratius, egregiè homo improbus, atque immani uecordia, qui cũ olim lex ista esset lata, Si iniuria alteri faxit, XXV. æris pœnæ sunto, pro delectamẽto habebat os hominis liberi,

Gell. lib. 20 cap. 1.

manu

manus suæ palma uerberare. Eũ seruus sequebatur crumenã plenam assium portitans, et quemcunque depalmauerat, numerari statim secundũ legem prædictam, quinque & uiginti asses iubebat. Sed bonus Princeps dicet, eiusmodi uoluntario facinori nullam excusationem esse, uerum imprudentiæ iustam aliquando deprecationem paratam. Plato uult νομοφύλακας, hoc est, eos qui seruandis legibus præfecti sunt, incorruptissimos esse. Et bonus Princeps in nullos debet seuerius animaduertere, quàm in eos, qui corruptè leges administrant. At quum Princeps sit νομοφυλάκων primus, ante omnia cauebit ipse, ne bonis legibus abutatur: ne illud dici possit: Summum ius, summa iniuria. Deinde ne rectè institutas leges, officiariorum suorum prauitas ad pessimos, ut dixi, detorqueat usus. Nihil enim perniciosius, bona lege, ad malas res deflexa. Nostra tempestate bonæ leges sunt de puniendis blasphemis, ebriosis, uirginum corruptoribus, & adulteris, sed illas in quantam licentiam trahant, & crimina iocosis dictis prosequantur nonnulli, uel nominis claritate, uel opibus suis freti, satis est manifestum. Receptum in nonnullis urbibus erat, ut peregre mortui bona in custodiã acciperet præfectus aliquis principis nomine. Id cũ salubriter sit institutũ, nẽpe, ne hospitis res sibi uendicent ij, ad quos iure nõ perti-

Cic. 2. rhe.

Erasmus in prim. instit.

neant, sed tantisper sint in manibus præfecti, donec extent hæredes certi. Nunc iniquißimè huc detortum est, ut siue extet hæres, siue non extet, hospitis bona ad fiscum pertineant.

Rectè quondam institutum, ut quod apud furem deprehensum repertum esset rerum, id Princeps, aut huius nomine magistratus occuparet, nimirum ob id, ne si paßim uendicandi ius esset, per fraudem ad alienos dominos aberrent: uerum simul atque constaret, cuius essent, tum illi restituerentur. At nunc quidem, quicquid apud furem compererint, id non minus suum esse ducunt, ac si ex paterna hæreditate obuenisset.

Olim bono consilio fuit inductum, ut in confinijs ditionum essent præfecti, qui importationum aut exportationum curam agerent, nimirum quò negociator, aut uiator tutus à latrocinijs commearet, & tum ciuilitatis gratia dari cœptum est nonnihil à negociatoribus. At non paßim huiusmodi portorijs retinetur uiator, uexantur hospites, expilantur negociatores, exactionibus indies sine fine crescentibus. Constitutum est olim, ut res naufragio eiectæ, à præfecto maris occuparentur, non ut in illius, aut Principis ius caderent, sed ut per hos caueretur, ne ab iniustis dominis occuparentur, & ita demum publicæ fierent, si nullus extaret, qui iure uendicaret. At hodie quibusdam in locis, quicquid

quo-

quocunque modo perijt in mari, id ueluti suum occupat præfectus, ipso mari immitior. Eadem truculentia, nonnulli redigunt in potestatem, ac ius suum quicquid miseris uectoribus de ponte aliquo malè structo delapsum perierit, ut si plancis cariosis fractis aut illisis rotis, onustus mercibus deciderit currus, aut cruribus luxatis iumenta.

Infima fuit olim conditio, & misera fortuna seruorum, quorum uiuentium aut mortuorum facultates uniuersæ pertinebant ad dominos. Hi Christiani facti, misericordia moti, donatis rude reliquerunt omnia. In beneficij tamen præstiti recordationem exegerunt, à uiuentibus exigua, non grauia item à mortuis. Sed iam eò nonnullis in locis processit auaritia, ut dominis ipsis inclementiores Officiarij quidam, immaniter extorqueant optima, quæ bonis in hæreditarijs defuncti serui reliquerint capita, uulgò die beste häupter uocata, hoc est, iusta præstantiorum atq; chariorum animalium, ut uaccarum, atque equorum precia, idq; ab ijs, qui optimum caput, nempe patremfamilias amiserunt uiduæ atque orphani, quibus à Domino flagellatis, infligere noua uulnera miserrimum. Tolerabile quidem eßet aliquid accipere, sed pauperculos uitæ subsidijs priuare, & bolum è faucibus eripere, tyrannicum, quum bonæ leges in eam partem magis propendere debeant, ut imbecillioribus subuenia-

tur, quòd humiliorum fortuna magis exposita sit iniurijs. Quod igitur in fortunæ præsidijs diminutum est, id Legum exæquet humanitas. Proinde acrius puniant uiolatum pauperem, quàm offensum diuitem. Acrius Legis corruptorem, aut malignum detortorem, quàm aliquem plebeiorum perfidum.

POSTREMO. Curabit Heros, ut ex æquo bonæ leges seruētur ab omnibus, ne detur uenia coruis, uexet censura columbas, ne muscæ Legum retibus capiantur, impunè crabronibus permittatur elabi. Bonæ leges sunt, de coëmptionum abusibus, de superbo puerperiorum ac nuptiarum luxu reprimendo, sed eas rerum inopia preßi tenues seruare coguntur, diuites autem nonnulli permittuntur transgredi. Hic uigilandum Principi, ne xenia & dona excæcent iudicum oculos, et quasi mutus in ore auertat correctiones eorum. Item ne locum habeat illud: Qui multa rapuerit, pauca suffragatoribus dederit, saluus erit. Contingit enim sæpenumero, ut qui parua tollunt deprehensi, pendeant: magnorum autem raptores, aut splendidi depeculatores, factis argento uijs, euadant. Vnde Senior Cato: Fures, inquit, priuatorum furtorum in neruo, atque in compedibus ætatem agunt: Fures publici in auro atque purpura. Et Diogenes, cum uidisset aliquando magistratus, qui ἱερομνήμονες dicebant

Eccle. 20.

Prouer. ex Aeli. Lam.

Gell. 11. ca. ult.

Diog. li. 6.

dicebantur, quendam ex ærario phialam furatum adducentes: Magni, inquit, fures paruum ducunt. Et ſubtiliter Anacharſis Scytha Leges araneorũ telis comparabat. Nam ut illis infirmiora animalia retineri, ualentiora tranſmitti: ita his humiles, & pauperes conſtringi, diuites & præpotentes non alligari. Val. 7. c. 2

DE PRINCIPIS CONſtantia.



Onſtantem uocamus ſedatum, grauem, humana omnia prementem, illum quem magnanimum, & fortem uirum dicimus. Quæ uerba nemini cuiquam magis competere uidentur, quàm Principibus, quorum maieſtas humana ſupereminet omnia, quorũ ea congeſta mens, ea grauitas eſſe debet, ea firmitas animi, ea denique fides in præſtandis ijs, quæ recipiunt, ut ſimplex horum promiſſum, certius ſit, atque ſanctius, quouis aliorum iureiurãdo. Rectè igitur Iſocrates ad Nicoclem Regem: Omni, inquit, tempore ueritatem in te lucere curabis, ita ut maior fides uerbis adhibeatur tuis, quàm aliorum iureiurãdo. Quod ipſum cũ in fœderibus pangendis, atq; promiſſis ſeruãdis Ethnici præſtare ſtuduerint, multo magis idẽ Ci. 4. tuſc. quæſt.

Christiani Principes, quibus multò maiori datur crimini, quàm rustico uulgo, si leues mulieris animum gesserint, & cothurno (quod aiunt) uersatiliores extiterint. Quippe eos, qui nimis inconstantes pacta rescindunt, rumpunt, & iureiuranda uiolant, grauia crimina sequi, simul ac pericula solent manere. Exemplo sit Annibal, qui cum toties rupisset fœdera, ut Punica fides prouerbio locum fecerit, tandem hausto, quod sub annuli gemma habebat, ueneno absumptus est. Et Cleomenes, qui cum Archiuis septem dierum pactus inducias, cum obseruans deprehendißet illos, tertia nocte indulgere somno, fiducia uidelicet induciarum adortus est eos, & alios interfecit, & alios abduxit captiuos. Cæterum cum illi probro daretur, uiolata iurisiurandi fides. De diebus, inquit, pactus sum, noctes nō additæ sunt in iureiurando. Sed breui perfidus ipse sibi gladio mortem consciuit, in ea urbe, cuius gratia uiolarat conuenta. Longè constantiores atque iustiores enituere Romani, quorum aliquot memorabilia sequuntur exempla. Prælio Cannensi Annibal, ex captiuis Romanorum electos decem Romam misit, mandauit eis pactusq; est, ut si populo Romano uideretur, permutatio fieret captiuorum. Hos priusquam proficiscerentur, iureiurando adegit, redituros eos eße in castra Punica, si Romani captiuos non permutarent. Veniunt Romā

Era. 1. apo.

Gell. lib. 7. cap. 18.

decem

decem captiui, mandatum Pœni Imperatoris in Senatu exponunt: Permutatio Senatui non placita, parentes, cognati, adfinesq́; captiuorum amplexi eos, postliminio in patriam rediſſe dicebant, ſtatumq́; eorũ integrum incolumemq́; eſſe, ac ne ad hostes redire uellent, orabant. Tunc octo ex ijs, postliminium iustum ſibi non eſſe reſponderunt, quoniam deiurio uincti forent: ſtatimq́; uti iurati erant, ad Annibalem profecti ſunt. Duo reliqui Romæ manſerunt, ſolutoſque eſſe ſeſe, ac liberatos religione dicebant, quoniam cũ egreſſi castra hostium fuiſſent, commentitio conſilio regreſſi eòdem (iuriſiurandi enim ſoluendi cauſa, uelut aliquid obliti, redierant in castra, profectos comites ante noctem aſſecuti) tanquam ſi ob aliquam fortuitam cauſam iſſent, atque ita iureiurando ſatisfacto, rurſum iniurati abiſſent. Hæc eorum fraudulenta calliditas, tam eſſe turpis æstimata est, ut contempti uulgò diſcerptique ſint: Cenſoresq́; eos postea omnium notarum et damnis & ignominijs affecerunt: quoniam, quod ſe facturos dictauerant, non feciſſent. Eos item milites, qui post cladem Cannenſem Remp. deſeruiſſe, Italiaq́; exceſſiſſe uelle dicebantur: Eos præterea, qui nimis callidi, exoluendi iuriſiurandi interpretes, ex itinere regreſſi, clàm in castra Annibalis, ſolutum, quod iurauerant, ſe redituros, rebantur, tribu mouerunt Cenſores, equos ademerunt, &

Liu. lib. 4. bel. pun. ſe.

ærarios omnes fecerunt.

Liui. li. 6. bel. pun. se. ITEM: P. Scipio Africanus, ita elato ab ingenti uirtutum suarum fiducia animo fuit, ut omnibus quæ dixerit, inesset tum maiestas, tum fides.

Vale. li. 2. cap. 4. ITEM: Attilius Regulus per summos cruciatus expirare, quàm hostes etiam fallere satius esse duxerat. Is arte Xantippi Lacedæmonij mercenarij militis captus, in carcerem missus, Legatus de permutandis captiuis Romam missus, dato iureiurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret: in Senatu conditionem dissuasit, reiectisq; à se coniuge & liberis, Carthaginem regressus: ubi in

Pli. in uir. illustrib. arcam ligneā coniectus, clauis introrsum adactis, uigilijs ac dolore punitus est. Sic bonus Ethnicus maluit miseris modis enecari, quàm promißis non stare, ac fidei, quod aiunt, tesseram confringere. Sensit hominibus integrè uiuendum esse, credens non modò factis, sed etiam cogitationibus humanis adesse numen cœleste, dolos ac periuria uindicaturum: quod etiam Thales Milesius fassus, qui

Vale. li. 7. cap. 2. rogatus, an facta hominum deos fallerent, nec cogitata quidem inquit, significans non solum manus, sed puras etiam mentes seruandas esse. Præterea sensit fraudibus ac periurijs deos exasperari, uiolatarum promißionum, ac ruptorum fœderum iudices, & ultores. Quod approbat ipse Tis

Ex. Plut. saphernes Persarum Dux, cum Agesilao fœdus

non

non ex animo percusserat, hac lege ut Græcas ciui tates sineret liberè, suisq; uiuere legibus, mox ingentibus copijs, bellum illi denunciauit, ni Asia decederet. Hoc fœdus uiolatum libenter arripuit Agesilaus, Legatis hilari uultu respondens, se magnam habere gratiam Tissapherni, quod periurio suo & Deos et homines sibi infensos reddidisset, aduersæ uerò parti propitios. Quare metuentior Deorum Q. Fabius Maximus fuit, qui fidem etiam hosti seruare, proprio cum dispendio uoluit. Nam captiuos ab Annibale interposita pactione numorum receperat, pepigeratq; de redemptione captiuorum. Quod factum cum à Senatu improbaretur, nec pecunia mitteretur, misso in urbem filio, fundum quem unicum poßidebat, uendidit, eiusq; precium Annibali protinus numerauit, fidem impendio priuato exoluturus. Similis constantia fuisse prædicatur in Heroibus Christianis, horum maioribus, in DOMINO iam quiescentibus. Quorum sermo fuit: est, est: non, non. Quorum, ut in antiquis uidemus monumentis, exiguæ fuerunt in rebus confirmandis literæ, parua sigilla, pauca uerba, sed constantia & fide plenißima omnia.

Liui. li. 2. bel. pun. se.

At hodie uideas alicubi literas prolixas, in tergo nondum finitas, immensam uerborum copiam, sigilla palma, uel mensæ disco latiora, & tamen

fides

fidei non multum subesse. Nonnullis in locis habet locum illud Lysandri, qui egregius simulandi artifex, & fœderum ruptor solitus dicere: Pueros talis esse fallendos, iureiurando uiros, quasi hoc ipsum esset uiro dignum, periurio fallere.

Ex Plut.

IDEM dicere solitus: Vbi quod uellet non assequeretur leonis exuuium, ibi uulpinum addendũ esse: sentiens, quod honestis artibus non posset effici, id fraude, dolis ac periurijs perficiendum. At Christianus Princeps ab istis alienißimus, ubiq; uerax, conuentis ac promißis stabit, nunquam pacta rescindet, nec fucum faciet. Cæterum non facile promissa dabit, nisi perspectum habuerit, eum qui petit, non iniusta petere, nec os, ut aiunt, sublinere. Verum ubi pollicitus aliquid fuerit, dabit operam, ut protinus uerba rebus confirmentur, iuxta illud Periãdri Corinthij. Quodcunq; pollicitus fueris, serua.

Diog. li. 1.

Accidit tamen aliquando, ut multò consultius sit, fidem non seruare, quàm satisfacere, maximè cum res honestati reluctantur, aut utilitati publicæ repugnat priuata spes lucri. Sic Aurelianus olim Imperator auariciam militum elusit. Cum Theanam uenisset, eamq; occlusam reperisset, iratus dixit: Canem in hoc oppido non relinquam. Hac uoce milites sunt erecti in spem prædæ. Et Heradomon Tyanensis, metu ne cum cæteris occideretur,

Fla. Vopi.

tur,

tur, prodidit ciuitatem. Qua capta Aurelius Heradomonem patriæ proditorem occidit. Milites ex Cæsaris promisso direptionem oppidi flagitantibus, respondit: Agite, canem me negaui relictu-rum; canes omnes occidite.

Accidit item ut oratione dolosa captus, & expugnatus, artificioso aulicæ disciplinæ fuco bonus Princeps, aliquid iniustum promittat, idemq; literis ac sigillis corroboret. Quo uinculo constrictus, duplici forma se poterit extricare.

ALTERA, Cum prima sit amicitiæ lex, ut ab amicis honesta petamus, & amicorum causa honesta faciamus, nec deceat à iustis iniusta impetrare, Regis Agesilai exemplo quiuerit negocium expedire, quem cum urgeret quidam improbè postulando, diceretq; ei: promisisti, atq; idem crebro repeteret, quasi iam fas non esset negare, quod petebatur: Rectè sanè, inquit, si quidem iustum est quod petis promisi: sin minus, dixi, non promisi. Hoc dicto elusit flagitatoris improbitatem. Ille uerò cum nondum faceret flagitandi finem, sed subijceret: Atqui decet Reges præstare, quicquid uel capite annuerint: Nihilo magis, inquit, quàm eos qui Reges adeunt, decet ea petere, loquiq;, quæ iusta sunt, spectantes simul & oportunitatem, & quid Regibus conueniat decorumq; sit. Sunt qui Principes uelut ex insidijs adoriuntur, & à bene potis, aut alioqui aliud

Ci in Læl. Plau. in Amphitryone.

Ex. Plut.

Er. 1. apo?

aliud agentibus, ut non uacet quale sit quod petitur, considerare, postulant quod iniquum est. His meritò negatur, quod promissum est, & repulsi immeritò requirunt fidem à promissore, qui sui officij non meminerunt in postulando.

Certè non parum ergo dubito, utrum sui, an Principum officij meminerint, nonnulli petitores astuti, qui nostra tempestate, Principes aut benè potos, aut uenationum studijs intentos, aut alijs negotijs occupatos aggressi, non erubuerunt emendicare bona ecclesiastica, quæ pijs ab hominibus olim diuinos in usus erogata, non temerè fuerant in humanos imo prophanos transferenda. Quis hic arguerit inconstantiæ Principē, si melioris frugis gratia diuitias postliminio sacras receperit, quas certò cognouerit, in scelerata luxus atq; fastus incrementa se malè persuasum aliquādo collocasse?

Er. 4. apo. Altera fidem imprudenter obstrictam liberandi forma Principe dignißima, quam Heros à generoso Philippi Macedonum Regis exemplo deducere poterit. Is Machætæ cuiusdam pro tribunali sedens causam cognouit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatem, itaq; sententiam tulit aduersus Machætam. Verum cum is exclamasset, se ab ea sententia appellare, Rex iratus: Ad quem, inquit? Nam appellandi uerbum Monarchis est inuisum. Hic Machætes Ad te ipsum ò

Rex,

Rex, si expergiscaris, et attentius audias causam. At tum quidem surrexit Rex. Caeterum posteaquam causam apud se melius perpendisset, intelligeretq; Machetae factam iniuram, iudicata quidem non recidit, sed pecuniam qua damnatus fuerat Machetes, ipse persoluit. Vt igitur Philippus ingenioso cõmento, sic damnum exemit damno, ut regiam tamen in iudicando autoritatem non proderet, mulctam priuatim, perinde quasi ipse damnatus esset, dissoluit. Ita Princeps si quid inconsultò fuerit pollicitus, priuato curabit impendio, ut fides data seruetur, & autoritatis maiestas custodiatur, sed citra iustitiae atque partis aduersae iacturam.

DE IVSTITIA Principis.



ANtisthenes Atheniensis rogatus, quae res portenderent ciuitatibus exitium. Cum in his, inquit, nullum est bonorum atq; malorum discrimen. Sentiens eam Remp. beatam esse, in qua floreret iusticia, quae habitus animi cõmuni utilitate seruata, suam cuique tribuit dignitatem: contrà Resp. eas non posse consistere, ubi nec honos esset uirtuti, nec poena scelerosis, ubi auderent aliquid impune, breuibus Gyaris, & carcere dignum, qui uellent esse aliquid, ubi probitas

Diog. li. 6.

Ex Cicer. Rhet. uet.

probitas laudaretur, sed algeret: ubi deniq; probi & honesti, nullis beneficijs, nullis exornarentur uirtutum præmijs, sed bonorum iuxta atq; malorum haberetur ratio, in adulteros, stupratores, ebrios, raptores æderentur exempla nulla, aut relictis maioribus æderentur in inferiores tantum. Quare Princeps qui Remp. cupit beatam habere, colat & obseruet æqua lance iusticiam, cum de ea sola ueniant innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, adfectus, humanitas. Hinc rerum omnium Plato & actuum naturam penitus inspiciens, animaduertit in omni sermone suo, de Reip. institutione proposito, infundendum animis iustitiæ amorem, sine qua non solum Resp. sed ne exiguus hominum cœtus, nec domus quidem parua constabit.

Macro. de Som. ca. 8. & 1.

Et procul dubio nihil tam egregium, tamq; Principis aut Regis esse uidetur, quàm iusticiæ opus. Reges enim, ut inquit Homerus, non expugnatrices urbium machinas, æratasq; naues, sed Iusticiam à Ioue sumptam exercere, custodireq; decet. Chrysippus olim Iusticiæ imaginem fieri solitam esse dicit à pictoribus rhetoribusq; antiquioribus, ad hunc fermè modum: Forma atq; filo uirginali, aspectu uehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neq; humilis neq; atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristiciæ dignitate. Ex imaginis istius significatione intelligi uoluit Principem, qui

Plu. in uit. Demetrij.

Gel. li. 14. cap. 4.

iusticiæ

iusticiæ antistes est, oportere esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, contraq; improbos nocentesq; nobiles uel obscuros, immisericordem, atq; inexorabilem, erectum & arduum, & potentem, ui & maiestate æquitatis ueritatisq; terrificum, habentem animo fixum: Nihil esse periculosius criminum impunitate, cum ea semper ad deteriora inuitet. Vnde Cato senior dicere solitus, se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, qàum pro maleficio perpetrato non dare pœnam. Er.5.apo.

IDEM iniuriam etiamsi facienti nihil afferat periculi, uniuersis tamen periculosam esse dicebat. Sentiens impunitæ iniuriæ exemplum, omnibus minari iniuriam. Etenim si liceat impune lædere, nemo tutus erit ab improborum uiolentia. Sed metuendum hodie ne non quibusdam in aulis, non parua sit flagitiorum impunitas, ubi uindices iniuriarum & scelerum ultores ipsi ad flagitia conniuent, & indulgentia magna, studioq; aulica crimina, calumnias, scortationes, blasphemias, deierationes, adulteria, crapulas, emptiones & hæreditates fraudulentas, & pauperum expilationes dissimulant, in inferiora cernentes acutius. Iustius olim egerunt Ethnici Principes, qui fratribus etiam aut amicis suis delinquentibus non indulgenter pepercerunt, nedũ peccantibus suis subditis.

Quondam Antigoni Regis frater Marsyas litem habebat, sed à Rege postulabat, ut causa domi cognosceretur. Cui Antigonus: Si nihil, inquit, præter ius agimus, melius fiet in foro, cunctisq; audientibus. Non impetrauit hoc à Rege fraternus adfectus, ut uel tantillum de iure concederet. Ipsum autem hoc dilemmate constrinxit: Si iniustam causam habere te scis, cur litigas? sin iustam, cur fugis hominum conscientiam, & ad domesticas latebras rem fori pertrahis, non cariturus sinistra ciuium suspicione, etiam si bonam causam uiceris.

Plut. in ap. Agis Laconicorum Regum ultimus, parentibus rogantibus, ut sibi in re quapiam iniusta adesset, recusauit illis aliquandiu. Cæterum cum instarent, hunc in modum respondit: Donec essem apud uos, nullam omnino tenebam iusticiæ scientiam. Verum ubi me patriæ tradidistis, patriæq; legibus: insuper & iusticiam & honestatem pro uiribus docuistis, conabor huic magis obtemperare quàm uobis. Et quandoquidem hæc est uestra uoluntas, ut quæ sunt optima faciam: Optima uerò sunt, quæ iusta sunt, cum homini priuato, tum præcipue Principatum gerenti: quæ uultis faciã, quæ dicitis negabo. Nõ morosa nec aspera recusatione Rex parentum animos contristauit, sed mira ciuilitate respondit, se magis hoc pacto parentibus obtem-

obtemperare, si faceret, quod illorum perpetua uoluntas optabat, quodq; semper essent probaturi, quàm si præsenti adfectui indulsisset.

Agesilao Regi datum fuit crimini, & meritò, quòd amicis calamitosis plus æquo studiosius & uberius opem tulisset. Is Phœbidem accusatum, quòd Senatus iniussu Cadmeam demolitus esset, pœna exemit, & ut saluus fieret, autor extitit, sub dens: Eiusmodi res quandoq; ex tempore, ac raptim patrare necesse esse. Plut. in pol.

IDEM Sphodriæ, quòd Atheniensibus socijs ac fœdere iunctis agrum Atticum inuasisset, in iudicio salute periclitante adfuit, & ut reus absolueretur, effecit. Fertur præterea epistola eius, pro amico Nicia in hæc uerba: Niciam si insons est, dimitte: sin sons, mihi dimitte, omnino uerò dimitte.

Iustior fuit Phocion, qui ne genero quidem Charillo, repetundarum dicturo causam adesse sustinuit, inquiens: Equidem mihi generum te ut hominem iustum ac probum optaui: quæ cum dixisset, deserto genero, continuò inde sese proripuit.

IDEM Antipatro petenti, ut in gratiam suam faceret quiddam pugnans cum iusticia. Nō potes, inquit, ò Antipater, Phocione simul & amico, & adulatore uti. Sentiens, amicum obsecundare, quousque patitur æquum & honestum, nec amicū Plut. de di: adu et ami.

ab amico, quod iniustum est petere debere. Adulatorem autem ad quiduis obsequi.

Er. 4. apo. Harpalus pro Cratete propinquo ac familiari suo, qui iniuriarum postulabatur, petijt à Philippo Macedonum Rege, ut multam reus quidem solueret, sed à caussa liberaretur, nec damnatus hominum maledictis exponeretur. Hic uerò Philippus, præstat, inquit, ut ipse malè audiat, quàm ut nos propter illum. Indulgebat amicis, sed quatenus licebat iusticiæ lege, iudicisq; opinione integra.

Plu. in ap. Aegytiorum Reges (ut suprà memini) iuxta regionis illius consuetudinem, iudices ad iusiurandum adigebant, ut si quid Rex iuberet eos iudicare, quod iustum non esset, ne iudicarent. Tanti referre putabant, ut iusticia seruaretur in regnis.

Er. 5. apo. Porrò potentiæ ferociæq; regiæ opposita est iurisiurandi religio, quod adactum non uideri non poterat, cum ab ipsis Regibus exigeretur. At qui fieri potest, ut res synceriter administrentur, ubi iudicandi potestatem magno uendunt Principes.

Consimiliter Antigonus tertius, qui scripserat ciuitatibus, ut si quid per literas iuberet ipse, quod aduersaretur legibus, ne curarent, perinde quasi ipso nescio scriptum esset. Interdum enim Principes uel priuati compendij, uel amicorum gratia scribunt atque mandant ea, quæ iusta non sunt. Et aliquando dum metuunt quosdam offendere, iubent

bent, quæ fieri nollent. At quicquid pugnat cum legibus, hoc uelut insciente Principe tentatum haberi decet, cum ipse nihil aliud sit, quàm legum minister, qui iustus defendere iusticiam, eamq; acerrimo studio suis ab omnibus officiarijs exigere debeat. Quare Rex Cambyses, mali cuiusdam iudicis ex corpore pellem detractam sellæ intendi, in eaq; filium eius iudicaturum considere iußit, atq; ita Rex atroci, & noua pœna iudicis, ne quis postea corrumpi posset prouidit, simul innuens, eam perditam Remp. esse, ubi hastis (ut aiunt) argenteis pugnaretur: ubi locus nullus esset rectè factis, & rationibus æquis, sed largitionibus, & assentatione res omnes peragerentur explosa iusticia, quæ omnium domina & Regina uirtutum est, maior omni potentia, uiribusq; humanis præstantior, Vnde rex Agesilaus quodam rogatus tempore. Vtra uirtus melior esset, fortitudo an iusticia, nullam fortitudinis utilitatem esse dixit, absente Iusticia. Nam si omnes, inquit, iusti essent, nihil fortitudine opus fore, nihilq; ad profligandas iniurias ulla potentia, cum ubi iusticia sit, ibi nulla dißidia, nullæ simultates, nulla iurgia, nullæ seditiones, nulla deniq; prelia sint, sed pax, concordia, charitas, & unica parata ad immortalitatem uia. Hinc Antisthenes Atheniensis: qui cuperent immortales esse, oportere dicebat, piè uiuere atq; iustè. Vulgus

Ex eod. au.

Vale. li. 6. cap. 3.

Cic. 3. offi.

Plut. in ap.

Ciog. li. 4.

honinum è structuris, statuis, trophœis, b ellorumq; titulis sibi promittunt immortalitatem, sed ad eam Antisthenes uiam ostendit unicam, nempe iustè uiuere. Quare diligite iusticiam, qui iudicatis ter- Sapient.1. *ram, Iusticia enim perpetua est & immortalis, Iniusticia autem mortis acquisitio. Sic autem iudicate, quasi mox ab alio iudicandi.* Petra..lii. dialo.47. *Vnus est iudex, unum tribunal incorruptum. Ante illud stabitis mortales: quid falsi corio iudicis sellæ iudiciariæ impresso, & barbarica admonitione iusticiæ opus est? Ea in sella quisq; sedet, qui iudicat, ubi si iniustè iudicabitur, nec pecunia, nec gratia, nec inanes minæ, nec diserti proderunt patroni.* Esaie.5. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iusticiam iusti aufertis ab eo. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes dulce in amarum, & amarum in dulce.*

QVATENVS ET QVOVSque Principi deflectendum ab honesto, sua uel amicorum causa.

Sueton. in Cæsarib.



Llam Euripidis sententiam C. Iulius Cæsar in ore semper habuisse fertur: Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι, κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δὲ εὐσεβεῖν χρεών.

Nec

Hoc est, Si uiolandum est ius, imperij gratia uiolandum est, alijs rebus pietatem colas. Quam sententiam improbat Cicero, cum bonorum uirorum non sit, recta & honesta negligere, dummodo potentiam consequantur. Nullum enim commodum tam expetendum esse dicit, ut uiri boni & splendorem & nomen amittas. Nihil autem esse, quod afferre tantum queat, quantum auferre poßit ista, quæ dicitur, utilitas, si boni uiri nomen eripuerit, fidem, iusticiamq́; detraxerit? Quid enim interest utrum ex homine se conuertat quis in beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluæ? Quod facit, qui posthabita iusticia, solus instinctu libidinis impulsus omnia gerit. Cui patrocinantur, qui cum Agesilao Rege sentientes affirmant: in amicorum negocijs solam occasionem iuuandi perquam iustam esse. Et alij, sed paulò circumspectius, qui, cum agetur, inquiunt, aut caput amici, aut fama, declinandum est nonnihil de iusticiæ uia, ut uoluntatem illius adiuuemus, si non magna turpitudo consecutura sit. Sic paruam & tenuem turpitudinem, uel infamiam arbitrantur subeundam esse, si ea re magna utilitas amico quæri poßit. Minimam enim labem, & quasi famæ lasciuiam, partarum amico utilitatum ratione solidari. Sed multò consultius alij differunt: Amicorum commodis inser-

Ci.3.offic.

Plut. in ap.

Gel. lib. 1. cap. 3.

Er.in pro. usque ad aras.

uiendum esse: uerum eatenus, ne propter hominem amicum, uiolemus iura uel humana, uel diuina. Vnde rectè Pericles, quem cum quispiam rogaret, ut in caussa quadam, sua gratia deieraret, falsúmq; testimonium diceret, inquit: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμῶν. Hoc est, oportet me commodare amicis, sed usque ad aras. Significans aliquousq; gratificandum amicis, sed citra uiolationem religionis. Chilonem olim Lacedæmonium facti pœnituit, quo solummodo falsum pro amici salute consilium dederat. Is enim grandæuus dicebat: se sibi nullius facti conscium esse, cuius pœniteret, uno excepto, quòd cum esset ascitus arbiter, ut inter duos amicos finiret controuersiam, nec quicquam uellet aduersus leges facere, persuasit alteri amico, ut ad alios deferret arbitriū. Hoc pacto licet amicum seruarit, atque legem, hic tamen scrupulus mouebat senis animum, quòd perfectæ uirtutis fuißet, nullo metu à regula legum deflectere, nec illius amicitiam magnifacere, qui ob sententiam secundum leges, non secundum ipsum datam, desineret amicus eße.

Diog. li. 1.

Quid illa sanctius anima, qui per omnem uitam, quæ illi longa contigit, hoc tantum criminis admisit? At quid illis animabus aulicis prophanum magis, ac perditum, qui iustas pauperum causas, amiculi gratia, non semel negligere, sed omnino

pes-

pessundare solent?

DE VAFRIS ET INGENIOSIS Principum praeiudicijs, atque artibus.



Raecipua Regum & Principũ ars est, nullum reijcere, sed ad publicam utilitatem omnium operã accommodare. Quemadmodum Deus unicus totius mundi Monarcha malis genijs ac impijs hominibus abutitur ad utilitatem Ecclesiae: ita Principes cordati norunt et probis & improbis uti, non quòd ipsi per malos mali quippiam faciunt, sed quòd per malos puniunt malos. At multi sunt Principes, qui praeposterè bonis abutuntur, malis utuntur. Ad tyrannica negocia uiros adhibent sanctitatis opinione celebres, quò uulgus esse rectum, ac pium, quod agunt, existimet, cũ negocijs malis malos, honestis honestos debeant adhibere. Cuius rei gratia Philippus Macedonum Rex Alexandro filio suadebat, ut eos omnes, qui in Repub. pollerent autoritate, cum bonos, tum malos sibi conciliaret amicos, ac bonis quidem uteretur, malis uerò abuteretur. Eandem propter causam, prudens saepenumero Princeps, in aulicorum album, imò propriam in mensam receptos, patitur nebulones pessimos in aliorum supplicia nebulonũ Era. 4.48.

aliquandiu durare. Sic quum in conuiuio Rhymitales Thracum Rex, qui ab Antonio ad Augustum desciuerat, insolentius iactaret sua erga Cæsarem Augustum merita, ac sine fine exprobrans belli societatem, molestus eßet. Cæsar Augustus dißimulata illius petulantia, alteri cuidam Regum propinans dixit: Proditionem amo, proditores nō laudo. Significans his, qui Reipublicæ sua proditione uel malignitate profuerunt, nihil deberi gratiæ: Licet enim officium, quod præstiterint, pro tempore gratum sit, ipsi tamen habendi pro malis nebulonibus.

Plut. in ap.

ITEM, Callidæ Principum artes illæ, quibus instructi solent alienum à sententia concepta rumorem dißipare, aut aliud agere, aliud interim in animis habere. Sic Annibal expugnaturus Saguntum, opulentißimam Hispaniæ ciuitatem, uersutè prius in Olcadum fines exercitum induxit, aliasque ciuitates domuit, ut non petisse Saguntinos uideri poßet. Annibal, ut dictatoris Q. Fabij Maximi inuidiam augeret, quum omnia flammis absumeret, ab uno agro Dictatoris Fabij, uim omnem militum abstineri iussit, ut occulti alicuius pacti ea merces uideri posset, & ut aliqua suspicione trahendi belli illum respergeret, & notam clancularię cuiusdam proditionis inureret. Profecisset aliquid tanti beneficij insidiosa adumbratio, nisi Ro-

Liui. lib. 1. sec. bel. pu.

Val. 7. c. 3

manis Fabij pietas,et Annibalis uafri mores fuissent notissimi.

Agesilaus Lacedæmonius, quum inferret bellum Tissapherni,Cariam se petere simulauit, quasi aptius locis montuosis,aduersus hostem equitatu prævalentem pugnaturus.Per hanc consilij ostentationem,aduocato in Cariam Tissapherne, ipse in Lydiam,ubi caput hostium regni erat,irrupit,oppressisq; qui illic agebant, pecunia regia potitus est. Fron.lib.1.

Pyrrhus Rex quum falsas aduentus sui causas prætexens Laconicam inuasisset, diripuissetque, Lacedæmoniorum Legatis expostulantibus, quòd non indicto bello Laconicam inuasisset. Nec uos, inquit,Spartani,quod facturi estis,alijs denunciatis. Et Traianus Nerua Cocceius Imperator, rumores de hoste falsos plerumq; dissipabat, etiam aduersus ea, quæ speculatores exposuissent: ita milites, quæ imperasset, diligentius exequebantur,& ad omnia belli momenta parati, & intrepidi erant. Ex Plutar. Ex Dione Cassio.

ITEM, Sertorius Dux egregius,in temporibus difficilimis, mētiebatur ad milites,si mendaciū prodesset,et literas compositas pro ueris legebat, et somnium simulabat,& falsas religiones conferebat,si quid istæ res,eum apud militum animos adiutabant. Is quoties hostes ingressos fines,aut urbem aliquam cepisse occultè præsenserat, in somnis dictum Gell.15.ca. 22. Plut.in uita

dictũ sibi à cerua simulabat, ut copias in armis haberet. Rursus uerò si uictoria aliqua suorum Ducum deferebatur, occultato nuncio ceruam coronabat, sibiq; ab ea faustè nunciatum. Per hanc artem milites sibi magis atq; magis parere compellebat, ueluti non hominis, sed Dei consilijs agerentur omnia.

ITEM: Callidi Imperatores in rebus extra pericula positis, solent animos uigilantes ac circũspectos ad futura semper habere, & excubias agere, iuxta illud: Tranquillis rebus, quæ sunt aduersa caueto. Vnde Iphicrates Dux, cum in amicorũ ac sociorum agris haberet exercitum, ac nihilominus & uallum iaceret, & fossas duceret accuratè, cuidam dicenti; Quid metuimus? respondit: pessimam esse Ducis uocem: non expectaram. Significans in tranquillissimis rebus interdum existere periculum, quod nullus expectasset. Aduersus inopinatos igitur casus Iphicrates prospexit suis copijs, ne, si quid accidisset, dicere cogeretur: Non putaram. Quod dictum, ut suprà memini, transfertur etiã ad Scipionem. Alexander ille Magnus instructa iam ad prælium acie, cum cerneret & militem quendam id temporis amentum telo aptantem, ut inutilem submouit, ab exercitu, qui tum demum aptaret arma, cum his utendi tempus adesset.

Cato.

Plut. in ap.

ITEM: Qui uolunt odia suorum effugere, ac be-

beneuolentiam alere, ſolent alijs, quæ ſunt odioſa, delegare, quæ autem plauſibilia, per ſe facere, Hoc pacto magna pars inuidiæ defluet in eos, per quos res adminiſtratur, præſertim ſi fuerint & aliàs inuiſi populo. Eraſmus in prin. inſtit.

Sic Dionyſius expoſtulantibus quibuſdã, quòd hominibus improbis, atq; ciuibus inuiſis officia mã daret. Volo, inquit, eſſe, quem me magis oderint. Agnouit ingenium multitudinis, ſi ſit, in quem inuidiam odiumq́; deriuent, mitiores ſunt in Principẽ. Hac igitur arte nonnulli utuntur Monarchæ, ut ijs quos tamen ex animo non amant, plurimum aliquã do dignitatis, & autoritatis permittant, ut ipſi tutiores ſint à furore multitudinis. Plut. in ap.

ITEM, Quum nullum regnum, quod ſolo metu atque tyrannide conſeruatur, diu, ut ſuprà dixi conſiſtere poßit, Heroës prudentes faciunt iuxta Germanicum illud Adagium, quod Cæſari quondã Friderico, Maximiliani parenti ſemper in ore fuiſſe dicitur: Wer regiren will / der müß hören / vnd nicht hören: ſehen / vnd nit ſehen. Hoc eſt, Agricola in pro. ger.

Qui regnare uolunt, multis dormire, ſagaci
Multaq́; conſilio dißimulare ſolent.

Sunt profectò nonnulla, ad quæ Princeps, quoad fieri poterit, ſe prudenter accommodare, polypum piſcem imitari cogitur, & illud prouerbiale dicere; Nota res mala, optima, At quæ ſine magno

malo

malo non queant abrogari, paulatim abroganda sunt, aut certè corrigenda, ne præcipitatio periculum adferat. Bactri canibus, ad hoc ipsum nutritis senes obijcere solebant. Quod quum Alexandri præfectus Nicanor emendare noluisset, penè amisit prouinciam.

Hier. cont. Ioui. ca. 36

Era. in prouer. Lex et regio.

ITEM, Odiosa monumenta, ut perpetua simultas atque animorum rancor expullulare possit, abolere solent. Sic quum Cn. Pompeius Sertorij literas in Hispanijs intercepisset, in quibus erant inclusæ complurium Ducum epistolæ, Sertorium ad nouandas res, statumque ciuitatis immutandum, Romam nunciantium, exußit omnes, ut improbis daret pœnitentiæ locum, docuitque simul, quantum crimen sit, alienas resignare literas, aut quod tibi per literas obsignatas concreditum est, sub dium efferre.

Et C. Caligula commentarios ad matris fratrisque suorum calumnias pertinentes, ne cui postmodum delatori, testiue maneret ullus metus, conuectos in forum, & antè clarè testatus Deos, neque legisse se, neque attigisse quicquam, concremauit.

Plu. in pol.

PORRO multa sunt, in quibus Principes aliquando conniuere coguntur, multa prætereunda, tanquam nec uiderint, nec audierint. Id quod domi plerunque puerorum errata de industria non obseruantes, quasi nesciant, intelligantúe, factitare

ſolent. Porrò diſsimulat iniuriam callidus, at ſtultus ſtatim prodit iram ſuam. Et omnia facit callidus cum iudicio, fatuus ſtultitiam prodit. M. Marcellus, quum ei quidam nunciaſſet, Senatores Nolanorum habere clandeſtina cum hoſtibus colloquia, ipſe rem altis ſenſibus reponendo, tacitus diſſimulauit, non præcipitanter perrupit, donec ſpes Nolæ potiundæ hoſti Annibali fuiſſet adempta. Tum demum clauſis portis, & cuſtodibus diſpoſitis, ne quis elabi poſſet, in foro quæſtionem habuit, & de ijs, qui nocturna cum hoſtibus colloquia habuiſſent, ſupplicia ſumpſit. Pro. 12. 13 Liu. lib. 3. ſec. bel. pu.

ITEM, Leuiora pericula, & non graues iniurias, quas in aulis calumniatorum peruerſitas elephantum ex culice faciens exaggerat, callidi Principes non ſtatim punire, ſed potius fictam truculentiam præ ſe ferentes, eludere ſolent, ac dictis aliquando iocoſis proſequi. Sic quum quidam olim Gallieni Cæſaris uxori gemmas uitreas pro ueris uendidiſſet, & re comperta mulier flagitaret uindictam, Cæſar iuſsit hominem corripi, quaſi leoni obiecturus. Deinde in caueam, dum impoſtor & populus expectat terribilem leonem, proſilijt capus. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus, per Curionem dici iuſsit: Impoſturam fecit, & paſſus eſt. Eadem opera feſellit impoſtorem, & irriſit uxorem. Tre. Pollio

ITEM

ITEM, Si quid morbidi,turbulenti, uel dispē- dij fuerit in ciuitatibus obortum,id catorum Principum est,per sese componere,supprimere,non foras eliminare,uel exteris palàm facere, ne medicis alienis opus habere,& ab hostibus queant irrideri. Quare, quum olim Romæ post cladem Cannensem,clamor ubiq; mulierum obstreperet,mortuiq; per omnes ferme domos complorarentur, censuerunt Senatores omnem in urbe trepidationem esse tollendam,matronas è publico arcendas, silentiumque per urbem faciendum. P. Scipio, cum Syphacis Legati nunciarent ei Regis sui nomine, ne fiducia societatis eius, ex Sicilia in Aphricam transiret,ueritus,ne confunderentur animi sociorum,famam diffudit, tanquam ultrò à Syphace accerseretur.

Plu.in pol.

Liu.lib. 2. bell.pun.2.

Front.li.2.

ITEM, Quandoquidem ueritas, iuxta prouerbium,in uino. Et,quod in animo sobrij, id est in lingua ebrij, Reges dicuntur multis urgere culullis,Et torquere mero, quem perspexiße laborent: Sic Bonosius Imperator,si quando Legati undecunque gentium uenissent,ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per uinum cuncta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset securus,& sobrius. Habuit prætere a rem mirabilem, ut quantum bibisset,tantum mingeret,neque unquam eius pectus aut uenter,aut uesica grauaretur. Quod eam propter

Fla.Vopis.

causam

adieci, ut aulici potores, quibus fortaſſe reliqua non placitura ſunt, habeant, quod ex hoc libello queant optare.

ITEM, Aſtuti Principes, ut morbis ſubditorũ medeantur, fictitiam quandam aſperitatem aſſumunt, & iuuandi, non incommodandi gratia truculentiam induunt. Sic Dionyſius, quum audiſſet quendam è ciuibus aurum habere domi defoſſum id ad ſe adferri iuſſit. Verùm poſteaquam is ſuffuratus auri paululum, in aliam urbem commigraſſet, ibique mercatus eſſet agrum, reuocato Dionyſius totum aurum reddidit, ut qui iam diuitijs uti cœpiſſet, deſiÿſſetq; rem utilem inutilem reddere. Satis hac arte Tyrannus declarauit, ſe non aurum alienum appetiſſe, ſed hominis morbum ſanare uoluiſſe, ſimul uſum auri legitimum demonſtrauit, ſi in agricolationem impendas, potius quàm in uſuram. Er.5.apo.

Carolus olim GelrienſiumDux, acerbum, ut in officio militari ſuos contineret, dedit reſponſum. Nam quum quidam conquererentur, paruam à Duce relatam gratiam, qui pro eius ſalute multa paſſi eſſent, Multi captiui abducti, multi etiam interfecti. Cur, inquit, per ignauiam ſuam uicti, abducti & occiſi ſunt? Fortiter pugnando gloriam atque diuitias conſequi potuiſſent. Ex Gerar. Nouioma.

ITEM: Cauti Principes, rerum omnium, quæ

n

gerantur apud alios populos, explorandarum gra tia sæpenumero fouent in alienis regnis speculatores ac percontatores, aut legationis, aliorumq́; negociorum specie mittunt exploratores, ut hac arte certiores de omnibus redditi, sua prudentius negocia queant expedire. Sic Carthaginenses quum animaduertissent Alexandri ita magnas opes, ut Aphricæ quoq; immineret, unum ex ciuibus, acrem uirum, Amilcarem Rhodium, iusserunt simulato exilio, ire ad Regem, omniq́; studio in amicitiam eius peruenire: qua is potitus, consilia eius nota ciuibus suis faciebat. Iidem miserunt, qui per speciem Legatorum, longo tempore Romæ morarentur, exciperentq́; consilia Romanorum.

Fron.1.c.2

ITEM, Prisca (quæ nimia uetustate iam exoleuit) ars fuit Heroum, qua quum inimicis ualde nocere uellent, eos faciebant opulentos, quòd diuitias consecuti, seipsos uarijs negocijs obruerent, atque perderent. Vnde quidam incusauit Imperatorem, quòd illius insidijs, & ocio, & somno fuisset priuatus, uidelicet, quòd illius benignitate, è paupere factus esset diues. Diuitiæ quidem præ se ferunt uoluptatem, sed si introspicias, habent molestias, pericula, & amaritudinem.

Plu.in Sym posi.li.2.

Hinc ergo Eutrapeles cuicunq; nocere uolebat,
Vestimenta dabat preciosa, beatus enim iam
Cū pulchris tunicis, sumet noua consilia et spes

Hor.1.epi.

Dicti-

Dictitabat enim ita se eos ulcisci, quippe acce- pturos cum diuitijs ingentem curarum sarcinam.

DE GENEROSO PRINcipis animo, & adfectione.



Vamuis Solomon dicat: Cor Regis non perscrutabile, sicut altitudinem cœli, & incomprehensibilem terræ profunditatem esse, tamen ut industrium uirum, & egregium artificem ingeniosa monumenta, & opera nobilia declarant, ita generosa facinora & prolata sapientiæ specimina nobis ostendunt, uerè nobilem Principis animum. In manu enim artificum opera laudabuntur, & Principes populi, in sapientia sermonis sui. Quippe plurima sunt, quibus animum Christiano Principe dignißimum perspicere liceat indicia. Principiò igitur, cum sapientiæ tutißimæ regnorum omnium conseruatricis initium sit timor Domini, generosiorum animorum Principes hanc unã exẽplo Solomonis, à Deo Opt. Max. precibus aßiduis expetunt, atque ut in timore Dei uersatur eorum gloriatio, omnisq; enarratio in altißimi præceptis, ita familiã omnem in timore Domini regi curant, & erudiri. Ac in primis liberos in bonis disciplinis, atq; diuinis mãdatis institui, ut

Pro. 25.
Ecclesi. 9.
Ecclesi. 9.

eo melius regnare, gubernacula Rerumpublicarũ commodius tractare, & breuiter, omnia sapienti-us administrare poßint.

II. Excelsi ingenij Principem humilia atq; sordida minimè delectant, sed magnarum rerum species ad se uocat, & extollit. Quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, non magis, quàm quiescere: ita Principis animus eo nobilior & actuosior, quo uehementior fuerit, sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit, & extra ius ditionemque fortunæ sepofuit, contemptor eorum, quæ uulgus admiratur.

Sene. epi. 5.

III. Principes uerè nobiles gerunt in subditos suos animum, qualem boni parentes in suos liberos: ex tota mente cupiunt à suis amari, magis quàm metui: curant, ut qui optimi sunt, de se optimè sentiant, & ut probentur ab illis, qui sunt omnibus probati, hos habent familiares, hos in consilium adhibent, hos ornant honoribus, hos plurimum apud se pollere patiuntur. Atqui adulatores ac nebulones ægerrimè ferunt: nunquam ex uoluptate, quod Tyrannorum est, sæuiunt, sed ex neceßitate: nullis iniquiores, quàm prauis Officiarijs, qui stipendijs suis non contenti, pauperes calumniantur, expilant, eorum denique totum bibunt artubus cruorem. Quod item in regno suo crimen deterrimum Pescennius olim Imperator ferre non poterat.

Erasmus in prin. instit.

Sene. de cle. lib. 1.

poterat. Quare Consiliarijs suis, ne uel aliquam onerandi pauperes occasionem haberent, nec eos, quibus aßidebant, addidit salaria, dicens: Iudicem nec dare debere, ne accipere. Ael. Spart.

IIII. Boni Principis animus ægre fert bonos uiros ad genua sibi prouolui, & seruiliter abiectè que nimium supplicare, metuens ne non, quod de Dionysio dixit Aristippus, iure dici poßit. Is cum aliquando Dionysium oraret pro amico, repulsus ad pedes illius corruit. Quod factum arguenti: Nō ego, dixit, in culpa sum, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. Contrà, quum familiaritas nimia contemptum facit, non temere, qui fidei dubiæ, uel turpis notæ sunt homines, admittit. Sic Cato senior, lurconi cuidam ambienti inter Catonis familiares recipi, negauit, dicens: Se cum eo non posse uiuere, qui plus saperet palato, quàm corde. Diog. lib. 2 Era. 5. ap.

V. Quandoquidem uera nobilitas ab ipsa uirtute promanat, nobilißimorū Principum animi in omnem honestatē et uirtutis, hoc est, lucis opera faciles atq; proni sunt, ut in charitatē, pacem, lenitatem, benignitatem, māsuetudinem, temperantiam. Contrà, nunquā procliues, in opera carnis & tenebrarum, ut libidines, ebrietates, comessationes, cædes, scortationes, adulteria. Hæc cum ualde familiaria sint aulis nonnullis, & propter speciem mulieris multi perierint: in primis hic sibi cauent, ac Galat. 5.

nullas ideo uirgines aspiciunt, ne fortè scandalizen tur in decore illarũ, ac pereant. Honestis igitur oc cupationibus sese dedunt, ut impiarũ obliuiscãtur.

VI. Principum illustrium animi uarijs Rerum- publicarum occupationibus, aut curis exhausti, nõ dedignantur aliquando facetijs atque iocis oblecta ri, & recreari, non scurrilibus & obscœnis, sed o- mnino castis, & honestis, quæ pauciloqui, iuxta prouerbium, sed eruditi protulerunt. Philoxenus quondam cœnans apud Dionysium, quoniam anim

Eras. 8. ap. aduertit Regi appositum piscem Mulum, insignem magnitudine, cum ipsi appositus esset perpusillus, pisciculum auribus admouit. Id factum admiranti Dionysio, causamq; percontãti: In manibus, inquit est Galathea, de qua uolebam ex hoc quædam per- contari. Verum negat se per ætatem quicquam ad- huc scire: sed ait proauum suum isthic eße in disco tuo, qui multa posset commemorare, si liceat collo qui. Exhilaratus rex, misit illi suum mulum. Atqui uerbosos & garrulos homines magno prosequun- tur odio, ut interdum responso uix dignentur. Sic Cleomenes Anaxandridæ filius, quum Samiorum Legati uenissent, hortaturi, ut cum Polycrate ty

Plut. in ap. Laconicis. ranno bellum susciperet Id quum fecisent oratio- ne, plus æquo prolixa, respondit in hunc modum: Quæ primo loco dixistis, non memini, & ob id ne media quidem intelligo: Quæ uerò dixistis omni-

um

um postrema, non probo. Cleomenes item Cleombroti filius, cũ quidã lõga uteretur oratione: Quid mihi, inquit, de paruis rebus longa facis procemia? Nam quanta res est, tanta & oratio, qua uteris, esse debet. Et minimo fauore prosequuntur eos, qui Osce, hoc est, turpiter & impudicè loquuntur, præsertim religiosos, inter quos stultiloquium, immundicia, obscœnitas, scortatio nunquam audiri debet, ne sint offendiculo ijs, quos bonis moribus antecellere conueniret. Princeps igitur uenereos eiusmodi spermologos auditurus, dicere poterit, quod Diogenes, qui audiens adolescentẽ honesta specie, uerbis parum honestis utentem. Non te pudet, inquit, qui ex eburnea uagina plumbeum educas gladium?

VII. Mediocritas inter parum & nimium maxima uirtus est. Hæc in omnibus rebus optima, consistit in medio. Quanto igitur magis aliquid accedit ad medium, tanto melius: quanto magis distat à medio, tanto peius est. Proinde bonus Princeps totis animi uiribus ad mediocritatem peruenire contendit, ut in utroque latere posita crimina fugere poßit. Est ergo clemens & misericors, sed ita, ne illic in prauam, quæ populorum flagitia nutrit, lenitatẽ incidat: hic in tyrannidẽ, utraq; Principibus etiã Ethnicis dãnata scelere. Quare Sciraphidã Ephori mulctarunt, quòd à multis erat iniu

Ci. 1. offic.

Ari. pol. 4

Ex Plutar.

ria adfectus. Interpretabantur enim illius ignauiam esse in causa, quòd complures auderent eundem lædere. Nam qui ueterem impunè fert iniuriam, inuitat nouam. Si qui primus læserat, delatus dedisset pœnas legibus, cæteri temperaßent ab iniuria. Contrà nimiam castigauit sæuiciam Augustus Cæsar, qui cœnabat apud Vedium Pollionem. Fregerat quidam è seruulis uas crystallinum, ilico iußus

Ex eodem. est à Vedio rapi, & murenis obijci. Puer ad Cæsaris pedes confugit, nihil aliter petiturus, quàm ut aliter periret. Cæsar motus nouitate crudelitatis, et puerum dimitti, et crystallina omnia ante se frangi iußit, & his pro puero compleri piscinam. Amicum autem grauiter increpauit è conuiuio, inquiens: Rapi homines imperas, & noui generis pœna lacerari? Tantum ne tibi placebis, ut ibi aliquem duci iubeas, ubi Cæsar est? Quare rectißimè docuit

Era. 2. apo Chilon Lacedæmonius, ita moderandã esse uitã, ut nec inferioribus sis terrori, nec superioribus despe ctui. Metui enim à subditis, tyrannicũ est, negligentiæ uerò est, sic agere, ut à minoribus contemnaris. Docuit potentiæ adiungendam mansuetudinem, ut à suis, non tam metum extorqueat Princeps, quàm impetret reuerentiam. Reuerentiæ comes est amor: metus, odium. Amari autem non solum honestius est, sed etiam, ut suprà dixi, tutius.

ITEM, In auariciæ atq; prodigalitatis medio

con-

consistit pulcherrima uirtus Liberalitas, quam duobus utrinq; uicijs reiectis, ut sese dignißimam boni Principes amplectuntur, cum beneficentia & ueritas custodiant Regem, & fulciatur thronus eius beneficentia. Sed à turpißima auaricia, quam meritò Diogenes malorum omnium μητρόπολιν appellauit, uerè generosi animi sunt alienißimi. Hanc & in potentibus reprehendit Ethnica Carum Regina, quæ Babylonem condidisse fertur Semiramis. Hæc monumento, quod sibi pararat, inscripsit: Quisquis Rex pecunijs eguerit, aperto monumento, quantum uoluerit capiat. Darius ea potitus ciuitate titulo credens, saxum ingens, quo claudebatur monumentum, uix amolitus, nihil quidem inuenit pecuniarum, sed ex altero saxi latere, hoc inscriptum reperit: Ni uir malus esses, & pecuniæ inexplebilis, haud quaquam mortuorum loculos moueres. Quibus significauit Principis auariciam omnibus esse ludibrio debere. Et de Principe sordido Biantis illud dici posset: Hic facultates suas non poßidet, sed ipsum poßident facultates. Contrà peßima item prodigalitas Heroum, maximis incommodis regna sæpius afficiens. Etenim exhausto liberalitate stulta fisco, suboritur occasio pauperes expilandi. Rectè Leonides Alexandro puero dijs largius facienti suffitum, ac subinde ad thus currenti: Heus puer, inquit, tum lar-

Pro. 10.

Plut. in ap.

Er. 7. apo.

Er. 4. ap.

Sueton. in Cæsarib. gè facies suffitum, cum regionem deuiceris, quæ thus gignit. C. Caligula Cæsar luxu prodigio so uetens, ut calidis frigidisq; unguentis lauaretur, pretiosißimas margaritas aceto liquefactas sorberet conuiuis ex auro panes, & obsonia apponeret, nummos non mediocris summæ è fastigio basilicæ Iuliæ per aliquot dies spargeret in plebem, Liburnicas naues gẽmatis puppibus, uersicoloribus uelis fabricaretur, subinde dicebat: Aut frugi hominem esse oportere, aut Cæsarem. Er. 8. apo. Rectè igitur Aragoniæ Rex Alphonsus equitem, qui, ut suprà meminimi, amplum patrimonium per luxum absorbuerat, coëgit corpore pœnam luere. Idem equiti subinde aliquid à Rege flagitanti, sed mox quod acceperat profundenti: Si pergã, inquit, tibi dare quæ petis, citius me pauperem effecero, quàm te diuitem: nam qui tibi donat, nihil aliud, quàm aquam infert pertuso dolio. Quæ uerba iure bono deberet ex Principibus audire, patiq; repulsam aulicorum mendicorum grex, qui crebris emendicationibus suis, bolum è faucibus meliorum eripere non erubescit, nec impleri potest unquam, neq; quiescere, nisi terra sepultus, Iuuenal. sa. 10. Sarcophago contentus erit, mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula. Vera nimis sententia Aristotelis, qua dicebat, quosdam homines ita suis parcere, quasi semper essent victuri, rursus alios ita profundere, qua Er. 7. apo.

ſi mox eſſent morituri. Nõnullos profectò potentes hodie uideas adeo ſordidos ut congeſtis undiq; ſacris Indormiant inhiantes, & tanquam parcere ſacris Cogantur, aut pictis tanquam gaudere tabellis. Hi uere pauperes, tametſi magnas opes habeant, de quibus illud latinum meritò dici poteſt adagium: Auarus, niſi cum moritur, nil recte facit. Et Germanicum: Eyn reicher vnd geitziger / iſt Solomons eſel. Hoc eſt: Hor. ſer. 1. Io. Agri. in pro. ger.

Sordidior diues Solomonis habetur aſellus,
Qui uita plagas, gaudia morte refert.
Verbera multa capit dorſo, dum ſpirat aſellus,
Extincti pubes tympana pelle facit.
Nil habet ex opibus niſi curas diues auarus,
Ipſius aſt hæres funere lætus abit.

Contrà quoſdam adeo prodigos inuenias, ut meritò dici poßit illud: Largitio non habet fundum. Hi ſunt, qui multas opes alea perdunt, plurimas profundunt in potores, paraſitos, decoctores, ſemilixas, adulatores, & ſcorta. Hinc Diogenes eos ſimiles dicebat arboribus per præcipitia naſcentibus, quarum fructus homo non guſtaret, ſed à coruis & uulturibus ederentur, hoc eſt, non à bonis & honeſtis uiris, qui uerè ſunt homines, ſed ab hominum colluuie, nempe paraſitis, adulatoribus & ſcortis abſumerentur. Idem Crates Thebanus dicebat, nempe diuitum illorum opes ſimiles Diog. li. 6. Er. 7. apo.

miles esse ficis arboribus in præruptis locis, è quibus ut homines nihil caperent fructus, sed corui & miluij: ita ex facultatibus tantum alerentur scorta & adulatores. Quam profusionem impiam, animi uerè nobiles execrantur, parati uiris omnibus uirtute præditis opitulari, sed ita, ne quid nimis: sentientes melius esse, ut alij rogent, quàm ut ad egestatem ipsi redacti cogantur rogare. Nouerunt quidem scriptum: Auaro nihil iniquius esse, cumq; maledictum, qui frumentum absconderit: sed nouerunt etiam scriptum: Ita dandum esse, ne alijs sit relaxatio, datori autem angustia. Mediocritatem igitur seruabit bonus Princeps, memor illius, quod dicit Solomon: Ne des alijs facultates tuas, & annuos prouentus tuos ne effundas in crudeles. Item quod Ecclesiasticus prodidit, inquiens, Non dederis alij possessionem tuam, ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. Melius est, ut filij te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.

Ecclesʃ.10. Prouer.11. 2.Corin.8. Prouer. 5. Eccleʃ.33.

ITEM: Crimini datur pusillanimitas, datur item uicio temeritas. Probrosi sunt, qui necessitate nulla cogente coniiciunt se in uitæ discrimen, quiq; bonos equos, per horrida loca, uallesq; præruptas calcaribus admotis agentes, seipsos cum equis, ad meliores usus seruandis, præcipitant in pericula. Aeque probrosi sunt, qui uiri ceruini sunt

&

& ῥιψάσπιδες, hoc est, qui ante tubam, ut aiunt, trepidant timidi, ac formidolosi, quorum animus in pedes, iuxta prouerbium, decidere solet. At bonus Princeps inter utrumque mediam tenebit uiam, paratus etiam, sua morte, si fors tulerit, atque necessitas efflagitarit, populi commodis consulere. Er. in pri. instit.

ITEM: In prosperis rebus gaudio nimio perfundi, stultorum est. Eorundem contrà, in afflictis nimio mœrore confici. Sapienter Metellus ille Numidicus, qui patria pulsus in Asiam secessit: ubi ludos spectanti literæ redditæ, quibus licet nuncium lætissimum, nempe reditum in patriam datum accepisset, tamen gaudium illud suum proxime sedentibus ulla ex parte non patefecit. Eundem dicunt, pari uultu, & exulem fuisse, & restitutum, adeo moderationis beneficio medius semper inter secundas & aduersas res animi firmitate uersatus est? Optimè Poëta Lyricus: Vale. li. 4. cap. 1.

Rebus aduersis animosus, atq;
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes uento nimium secundo
Turgida uela. Hora. 2. car. 10.

ITEM: Vt nimium sapere uiciosum est, ita nimium desipere. Nole igitur esse iustus multum, neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas. Sunt qui maluerint nihil sapere, quàm plus æquo sapere. Ecclesi. 7.

sapere. Quibus illa Sophoclis poëtæ sententia placuit: Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν ἥδιστος βίος, τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ' ἀνώδυνον κακόν. Suauissima hinc est uita si sapias nihil. Nā sapere nihil doloris expers est malum. Sed in multa sapientia multa indignatio.

Ecclesi.1.

ITEM, Semper abstemium uiuere, & bonam Dei creaturam uinum respuere, hominumq; omnium consortia, more syluicolarum fugere, non decet Principem: econtrario nec decet, obrutum uino nimio, uel cibis distentū esse. Bonus igitur Princeps bonorum conuiuia iuxta prouerbium accedet, iustos ipse conuiuas habebit, uinum in sobrietate atque moderatè bibet. Diligentes in uino minimè prouocabit, ne illud dici poßit: Væ tibi terra cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. Sed potius: Beata terra, cuius Principes uescuntur in tempore suo, ad reficiendum, non ad luxuriam, Ergo,

Eccl.9.31.

Aurream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti: caret inuidenda
Sobrius aula.

Horati.1. car.10.

VIII. Boni Principes ex animo fauent ijs, qui recto corde sunt fideles, constantes atq; ueraces, placent enim Regibus labia iusta, & ueraces diliguntur. Quod Ethnicorum etiam exempla confirmant

Pro.16.

firmant

firmant. Damon olim & Pythias fideles amici fuerunt. Quorum alterum cum Dionysius Syracusanus interficere uellet, atq; is tempus ab eo, quo prius, quàm periret, domum profectus res suas ordinaret, impetrauisset, alter uadem se pro reditu eius, tyranno dare non dubitauit. Solutus ergo periculo mortis, qui modò gladio ceruices subiectas habuerat, idemq; caput suum subiecerat, cui securo uiuere licebat. Igitur omnes & imprimis Dionysius, nouæ atq; ancipitis rei exitum speculabatur. Appropinquante deinde finita die, nec illo redeunte, unusquisq; stultitiæ tam temerarium desponsorem damnabat. At is nihil se de amici constantia metuere prædicabat, eodem autem momento & hora, à Dionysio constituta, qui eam acceperat, superuenit. Admiratus amborum animum tyrannus, supplicium fidei remisit. Insuper eos rogauit, ut se in societatem amicitiæ, tertium sodalitij gradum, ultima culturum beneuolentia, reciperent. Vale. li. 4. cap. 7.

IX. Principes inanem & orrogantem subditorum prædicationem, quam uocant iactantiam, ferre non possunt. Aulicorum igitur alij propriam fidem suā iactanti, alij probitatem amplificanti, alij labores extollenti, alijs denique ferenti ad cœlum sua studia, & in patriā amorē, respondebunt: Laudet te alienus, & non os tuū: extraneus, & non os Pro. 27.
tuum

tuum. Solerter olim M. Liuij iactantia fuit elusa, Qui cum postularet acceptum sibi ferri, quod Q. Fabius Maximus cepisset urbem Tarentinam, uidelicet, quòd in arce præsidium habuisset: cæteris iactantiam hominis deridentibus: Vera, inquit Fabius, narras, Nam nisi tu ciuitatem amisisses, nequaquam ego recepissem.

X. Qui maturè, ac fortiter expediunt negocia, Principibus chari sunt. Et qui mandata maturè exequuntur, stabunt coram Regibus: sed odio habentur inertes atq; pigri, qui aliquò mittendi, leopardus, inquiunt, in uia est, foris leo, in plateis interficiemur: qui abscondunt manus suas in sinum, & in lecto uoluuntur, ut fores in cardine.

Pro. 22.

Pro. 25.

XI. Animi uerè nobilis ægerrimè ferunt ac concoquunt delatorum, adulatorum & palponum uerba, quòd ore profusa blando, plus in recessu habeant aloës atq; ueneni, quàm mellis: ut non frustra Diogenes orationem blandam, non ex animo proficiscentem, sed ad gratiam compositam, appellare solitus fuerit: melleum laqueum, quod blandè amplectens hominem iugulet. Cum igitur (ut suprà dictum) sub illa dulcedine fala, doli lateant, ac merum uirus, meritò noluit olim, quod ab adulatoribus fieri solet, in faciem laudari Pescenninus Niger, cui creato Imperatori, cum quidam ei Panegyricum, in ipsius laudem compositum recitare uellet

Diog. li. 6.

Aet. Spar.

uellet, dixit: Scribe Marij uel Annibalis, aut alterius Ducis egregij uita functi laudes, ut eum nos imitemur. Nam uiuos laudare irrisio est, præsertim Imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui possunt necare, qui possunt proscribere. Adiecit illud: Se uiuum placere uelle, mortuum laudari.

XII. Cum melius sit à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi, longè meliorem illi manifestam correptionem, quàm dilectionem clandestinam arbitrantes, non dedignantur etiam à mulieribus cordatis admoneri. Pythius Bithinicus, qui Xerxis temporibus claruit, Rex prediues, auri studio præter modum deditus, totam ferè ciuitatem in fodiendis metallis occupatā tenebat, ut iam uix aliud agi uacaret, multiq; ob laboris magnitudinem interirent. Quare mulieres agminatim ad Pythij uxorem uenerunt, orantes, ut huic malo mederetur. Quæ illas bono animo esse iußit. Deinde illius morbo, solerti remedio medicata est. Adhibitis artificibus curat absente marito mensam, omnemq; mensæ suppellectilem adfabrè ex auro confici, denique & cibariorum effigies, quibus nouerat maritum præcipue delectari. Reuerso cum conuiuij tempus esset, apponitur mensa aurea, cum reliquo uasorum apparatu. Atque hoc sanè spectaculo diues aliquando pauit oculos. Tan

Ecclesiastes 7.

Beroald. de felicita. Er. 8. apo.

dem cum interpellaret stomachus, iubet apponi cibos, Apponuntur illa aurea ciborum simulachra, spectanda non edenda. Hic cum incandesceret ira Pythius, flagitans apponi quod edi posset, iamdudum spectaculorum esse satis, se id temporis aurum non amplius exposcere. Tum mulier cordata: An non sentis, inquit, Pythi, dum nihil aliud quæris, quàm aurum, & omnis omnium uirorum cura, tuo iussu in parando auro uersatur, agricolationem deseri, omnem serendi plantandiq; arbores diligentiam intercidere, ciues tuos ad famem uocari, breui perituros, si qua cœpisti pergas? Hac castigatione & ciuili commento uxor prudens maritum ab immodico auri studio reuocauit. Vtinam Heroës hodie bonis cordatarum uxorum, ut Pythius acquiescerent consilijs, quibus illæ maritos reuocare nituntur, à nimio uenandi, populum expilandi, & alienas amplectendi desiderio.

XIII. Generosus Principis animus paci natus est, atq; concordiæ, alienus ab omni tyrannide bella detestatur, ac prælia. Summa tamen urgente necessitate sumet inuitus arma, defendendi sua magis, quàm, ut dixi, aliena rapiendi studio propulsus. Odio quodam, ut aiunt, Vatiniano solet eos odisse, qui rebus pacatis minus ualent in Rep. atq; ob id aliquoties data opera rerum motus excitant

Er. in pro. In seditione uel Andro.

arte

arte tyrannica, quo commodius suo arbitratu, populum compilent.

ITEM, illos qui factis inducijs, ictoq; fœdere, amicitiam ineunt, non quòd sese ex animo diligant, sed quòd alter alterius opis egeat, aut quo ueluti coniunctis copijs, cõmuniter Remp. aliquã pessundent. Id quod hisce temporibus sæpenumero factitari uidemus, ut arma iungant, alioqui inter se infensißimis animis. Tanta inest & Christianis hominibus ulciscendi rabies. Er. in pro. Syncretismus.

XIIII. Percontanti, quo pacto Dionysius amicis uteretur: ut utribus, inquit Diogenes: plenos suspendit, inanes abijcit. Et Solon Salaminius, eos qui apud tyrannos autoritate ualerent, calculis, quibus in componendis rationibus utimur, comparare consueuerat. Vt enim illi interdum maiorem numerum, interdum minorem, interdum nihil significant, ita & tyranni amicorum quenq;, pro ut libitum fuerit, aliquando illustrem faciunt, aliquando obscurũ habent, & abijciunt. Sed in generoso Principis animo tyrannicus adfectus iste non dominatur. Nã amicum ipsum alterum, nunquam nisi ab honestatis uia deflectentem repudiat. Subditis etiam omnibus bonis metum adimit, nullis insontibus se formidabilem esse uolens, sed talem, quales erga se cupiat illos adfectos, exhibens. Est optimo Principi molestißimum, si magis timeatur, Diog. li. 6. Idem li. 1. Er. 7. apo. Isocra. ad Nicoc. Re.

Macro. li. 2. cap. 4. quàm ametur à suis. Vnde Augustus Cæsar, cuidã ipsi libellum trepide porrigenti, qui manum nunc proferret, nunc retraheret: Quid inquit? An putas te assem dare elephanto: Et Diogenes, Regem non esse metuendum nisi se malum esse profiteretur, hoc modo conuicit. Ei astantem narrant Alexandrum Magnum quæsisse ab eo, num ipsum metueret, At ille: quid es? bonum an malũ? Alexander respondit: bonum. Quis, inquit Diogenes, timet bonum? Significans malum timeri, bonum diligi debere. (Diog. li. 6.)

XV. Vt palma non cedit oneri, sed aduersum pondus surgit: ita generosa Principis iunioris natura, nullis molestijs, nullis laboribus pro Rep. susceptis oppressa succumbit, sed omni difficultate superior, multis usibus exercita fortior euadit, ac siccum robustumq; confecta ætate corpus acquirit. Nam qui ineunte adolescentia laboribus honestis exercuere corpora, ij gloriam, & bonam ætate ingrauescente ualetudinem assequuntur. Sic Numidarum Rex Masinissa laudatus, quòd in eo fuerit maxima exercitatio atq; temperantia, unde summam corporis siccitatem consecutus. (Ci. de sene.) Qui cum nonaginta annos natus, iter pedibus ingressus esset, in equum omnino non ascendere: cum equo, ex equo non descendere solebat: & exequi omnia Regis officia & munera. Contrà qui po-

culis

culis indulget, ac libidinibus, is euadet turpis, elumbis, debilis, horridus desidida, latumq; trahens inglorius aluum. Etenim Vt Venus eneruat uires, sic copia uini. Vnde Pythagoras rogatus, quando esset congrediendum cum fœmina? cum uoles, inquit, te ipso fieri debilior. Quid olim turpius, quid ægrius, quid deniq; perditum magis esse potuit quàm Syriæ Rex ille Sardanapalus, cuius cognomen ob insignem molliciem abijt in prouerbium, qui delitijs adeo effœminatus, ut inter eunuchos et puellas, ipse puellari cultu desidere sit solitus. Cuius ut uita turpis, ita uitæ terminus. Indicio fuit Epitaphium, eius sepulchro literis Assyrijs insculptum.

Virgilius. Diog. li. 8.

Εσιε, πῖνε, ὄχευε, ὡς τ᾽ ἄλλα οὐδενός ἐσιν ἄξια,
Hoc est: Ede, bibe, utere Venere, nam cætera sunt nihil. At quid aliud in bouis, non in Regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne uiuus quidem diutius habebat, quàm fruebatur. Item A. Vitellius graui sæuicia nobilitatus, præcipue ingluuie, & uoracitate. Interfectus autem, & magno dedecore tractus per urbem Romam publice nudus, in Tyberim proiectus, etiam communi caruit sepultura.

Eutr. li. 7.

XVI. Principum animi, à cogitabundis, austeris atq; tacitis Aulicis abhorrent, Nam illi aliquid moliri uidentur. Rectè Cato:

Demiſſos animo, ac tacitos uitare memento,
Qua flumē placidū eſt, forſan latet altius unda.

Ex Eraſ. Quemadmodum flumen ea parte cauendū, qua tranquillum eſt: nam illic profundiſsimum eſſe ſolet, ita Cæſar magis metuebat Brutum & Caßium pallidos ac tacitos, quàm Antonium ebrium. Et cum olim ad Dionyſium delatum eſſet, duos adoleſcentes inter pocula multa conuicia, tum in ipſum, tum in eius tyrannidem dixiſſe: ambos uocauit ad cœnā, quo facto, animaduertit alterum largius potum multa nugari, alterum rarò cauteq; bibere. Illum dimiſit, ut qui natura uinolentus, per temulentiam maledicus fuiſſet. De hoc ſumpſit ſupplicium, ut qui ſtudio maleuolus & hoſtis eſſet.

XVII. Generoſi Principum animi uirorum intrepidorum & imperterritorum admiratione tenentur. C. Popilius miſſus erat ad Antiochum Regem, epiſtolā ferens à Senatu, qua iubebatur exercitum ex Aegypto abduceret, nec Ptolomæi filios orphanos ſpoliaret. Quum uerò Rex illū per medium exercitū ad ſe accedētem procul humaniter ſalutaſſet, non reſalutato Rege, literas reddidit. Quibus lectis, cū Antiochus diceret, ſe cōſultaturum, daturumq; reſponſum, Popilius uirga quā tenebat, ducta linea cinxit Regē, dicens: Hic igitur ſtans conſulta, & reſponde. Omnibus uiri ſpiritū admirātibus, poſteaquā Antiochus ſpopondiſſet, ſe

Ci. Phili. 8. Vale. li. 6. cap. 4.

facturum

facturum, quæ Romanis uiderentur: ita demum sa lutauit illum, & amplexus est Popilius.

ITEM, Cũ Porsena Rex obsideret Romam, Mutius Scæuola cordatus uir senatum adijt, & ueniam transfugiendi petijt, necem Regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsenæ uenit, ibiq; purpuratum pro Rege, deceptus, occidit. Apprehensus & ad Regem pertractus, dextram aris imposuit, hoc supplicij ab ea exigens, quod in cæde peccasset. Quo facto Regem in admirationem sui coëgit Mutius, ipsumq; Porsenam dicere: Reuertere ad tuos Muti, & eis refer, te cũ uitam meam petieris, à me uita donatum. Quid Cyrenæum Theodorum Philosophum non ignobilem nonne miramur? cui cum Lysimachus Rex crucẽ minaretur: Istis quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis, Theodori quidem nihil interest, humi ne, an sublime putrescat.

Vale. li. 3. cap. 3.

Cic. 1. tusc. quæst.

ITEM, Porus Rex ab Alexandro deuictus, cum ab eo post pugnam rogaretur: Quomodo te tractabo? Regaliter ait. Rursus subijcienti Alexdro? Num quid etiam aliud? Omnia, inquit Porus, complectitur hoc uerbum: regaliter. Alexander & prudentiam, & fortitudinem uiri admuratus, latiorem illi ditionem addidit ea, quam prius obtinuerat. Supplici et ad pedes adiecto minus cõcessisset, adeo diligebat animosus iuuenis animos im-

Plu. in apo.

pauidos. Q. Curtius aliquanto secius narrat: Interrogatus Porus, quid ipse uictorem statuere debere censeret: Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es, quàm esset caduca felicitas. Submonuit Regem, ut modestè sua fortuna uteretur, memor ipsi posse accidere, quod acciderat Poro.

ITEM, Cum pirata captus ad Alexandrum Magnum deductus esset, rogatus qua re fretus auderet infestare maria, compendio respondit: Ego inquit, quoniam id unico nauigio facio, pirata nominor: Tu cum idem facias magna classe, Rex appellaris. Alexander admiratus intrepidum animum, donauit illi uitam.

XVIII. Principis animus uerè nobilis, eorum miseretur, qui ueritatem periculo capitis audent fateri, malorumq; quorum autores ipsi fuerint in
2. reg. 14. sese discrimina recipere. Sic Dauid cum uideret angelum cædentem populum, dixit ad Dominum: Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei &c. Vnde misericordiam consecutus Dauid. Nam oblatis holocaustis propiciatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.

ITEM, Vt sacris profana subiungam, Pompeius Magnus olim Mamertinos, quòd hostium partibus adhæsissent, uniuersos interficere statuerat

rat. At Sthenius eius ciuitatis Princeps, Pompeium adijt his uerbis, Non æquum facis Pompei, qui propter unum noxium, multos innoxios occidere pares. Atqui ego ipse sum ille, qui & amicis persuasi, & inimicos coëgi Marianas sequi partes. Hic Pompeius uiri fortem animum admiratus, dixit se ignoscere Mamertinis, à tali persuasis uiro, qui patriam suæ ipsius uitæ antetulerit, simul & ciuitatem, & Sthenium liberauit. In Sthenio habes exemplum, quem animum erga Rempublicam oporteat gerere Principem, si periculũ incidat. In Pompeio placabilitatis argumentum, qui pietati maluerit habere honorem, quàm indulgere iræ. Plut. in ap.

XIX. Generosa Principum ingenia, festiuo magis persuadendi artificio duci uolunt, quàm rigido sermone permoueri. Vnde cum Alexander externis bellis cum magno periculo defatigaretur, quidam Calanus adhortatu Taxilis ad Regem accedens, coniecit in medium bubulam pellem aridam, & obambulando eius extrema pedibus premebat. Pellis cum ad unam tantum partem calcaretur, reliquis in altum attollebatur. Eo facto, media deinde firmus institit, atque ita pellis undique immota, cõquieuit. Tali exemplo Alexandrũ commonuit, ne in longinquis locis tempus tereret, sed imperij medium tueretur, ita enim in eius finibus quietura omnia. Diod. Sic. in uit. Alc.

POSTREMO. θυμὸς ἐπιτάδειος, hoc est, fortis ac inuictus, uerèq; heroicus animus longè maior est, quàm ut ad iram prouocari posſit, iocorũ omnium, ac liberaliorum etiam dicteriorum factorumq; patientiſsimus. Miramur in Augusto Cæsare, quos iocos, & quàm æquanimiter etiam iocis

Mac. li.2. cap.4. mordaciora pertulerit. Is militis non libertatem tantum, sed & temeritatem boni consuluit. In quadam uilla inquietas noctes agebat, rumpente somnum eius crebro noctuæ cantu. Prehendendam curauit noctuam miles aucupij peritus, & spe ingentis præmij pertulit. Laudato Imperator, mille nũmos dari iuſsit. Ille auſus est dicere: Malo uiuat, auemq; dimiſit. Quis non miratus est, non offenso Cæsare, abijſſe militem contumacem?

IDEM Augustus, ut gaudebat liberalibus iocis in alios ludere, ita in se iactos, atque retortos interdũ liberius, patientiſsimè tulit. Adoleſcens quidam prouincialis Romam uenerat, oris ſimilitudine, tam mirificè referens Augustum, ut in se populi totius oculos conuerteret, Cæsar hoc audito iuſsit ad se perduci, eumq; contemplatus, hunc in modum percontatus est: Dic mihi adoleſcens, fuit ne aliquando mater tua Romæ? Negauit ille, ac sentiens, iocum retorſit, adijciens: sed pater meus ſæpe. Augustus ludens ſuſpicionem intendebat in matrem adoleſcentis, uelut ab ipso ſtupratam. At adoleſcens

lescens protinus eam suspicionem retorsit in matrem Cæsaris, aut in sororem. Nam oris similitudo non magis arguebat illum esse Cæsaris filium, quàm fratrem, aut nepotem.

Agathocles figulo patre natus fuit. Is Rex declaratus cum obsideret urbem quandam. Quibusdam è muro conuicia in ipsum iaculantibus, dicentibusq́;: Figule, unde militibus tuis persolues stipendium? Ille placidus ac ridens, respondit: Cum hanc cepero. At cum urbe potitus esset, uenderetq́; captiuos: Si me, inquit, denuo conuitijs affeceritis, apud heros uestros de uobis conquerar. Non occidit homines, sed ciuiliter illis exprobrauit, & intempestiuam maledicentiam, & seruitutem maledicentiæ præmium.

Rusticus quidam, quoniam gratuitam libertatem suppliciter petēs à Cæsare, repulsus est, non ueritus est clarè dicere: Vulpes pilos mutat, non mores, exprobrans illi naturæ rapacitatem, quasi mercede data cōcessurus fuisset, quod gratuitò negabat. Era. 6. ap.

Pyrrhus Epirotarum Rex audierat apud quosdam in conuiuio Tarentinorum, parum honoratum de se sermonem habitum. Accersitos, qui ei interfuerant, percontabatur, an ea quæ ad aures eius peruenerant, dixissent. Tum ex his unus inquit: nisi nobis uinum defecisset, ista quæ tibi relata sunt pro his, quæ de te locuturi eramus, lusus ac iocus Val. lib. 5. cap. 1.

fuis-

fuissent. Tam urbana excusatio, tamq; simplex ueritatis confeßio, iram regis conuertit in risum.

Ex Iul. Ca. Quondã Antonius Pius Imperator, cum Omuli uisens domum, ac miratus columnas Porphyreticas, quæsisset, unde eas haberet, Omulus ei respondit: Cum in ædes alienas ueneris, & surdus & mutus esto. Quo tam libero ioco non est offensus Imperator.

Era. 6. ap. Bithys Parasitus, quum Lisymachus Rex uesti ipsius curaßet affigendum scorpium ligneum, aut ut Plutarchus ait, rubetam, pulchre aßimilatum uero, perturbatus resilijt. Ridentibus omnibus, ubi dolum sensit. Et ego, inquit, te uicißim terrebo rex, Quum ille dixisset: Fac. Da mihi, inquit, talentum, exprobrans Regis sordes, & parsimoniam.

Sene. lib. 5. de ira. Pisistratus Atheniensis Tyrannus, quum multa in crudelitatem eius ebrius conuiua dixißet, nec deessent, qui uellent manus eius moderari, & alius hinc, alius illinc faces subderent, placido animo ferens, hoc irritantibus respondit: Non magis illi se succensere, quàm si quis obligatis oculis, in se incurrisset.

Plu. de dis. adu. et ami. Cum Diogenes in Philippi regis castra uenisset, eo tempore, quo parabat cum Græcis confligere, adductus est ad Regem. Is cum eum non nosset, rogabat, an explorator eßet: Prorsus, inquit, Philippe, explorator temeritatis & amentiæ tuæ, per quam nulla

nulla adductus necessitate, huc ueneris, una hora de regno, simul & uita periculum subiturus, aleamq; iacturus. Funditus fortaße hodie periret, qui bellatoribus Christianis similia diceret.

Cum Aristides olim ad supplicium duceretur, quisquis occurrebat, deijciebat oculos, et ingemiscebat, non tanquam in hominem iustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animaduerteretur. Inuentus est tamen, qui faciem eius inspueret: poterat obhoc non molestè ferre, quòd sciebat neminem id ausurum animi purioris. At ille absterfit faciem, & subridens, ait comitanti magistratui: Amoue istum, ne postea tam improbè obstitet. His uerbis patientissimus uir iniuriam ultus fuit. Senc. de cō.

Athenienses legationem ad Philippū Regem miserant, ea benignè audita, ut humaniter dimitteret, iußit illos dicere, qua in re gratum facere posset Atheniensibus. Hic Demochares excipiens, Si teipsum, inquit, suspendas. Ob tam inhumanum responsum, indignantibus regijs amicis, Philippus compescuit eos, iußitq; ut Thersitem illum incolumem dimitterent. Tum ad cæteros legatos conuersus, Renunciate, inquit, Atheniensibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt. Tales demum animi regno digni sunt. Era. 4. ap.

Idem Rex Macedonum Philippus, cum dissidium haberet cum Olympiade uxore, cumq; Alexandro Plu. in apo.

dro

dro filio. Demaratum Corinthium, ad se uenientem percontatus est: Quomodo inter Græcos inuicem conueniret. Hic Demaratus, scilicet inquit, magno pere tibi curæ est Græcorum concordia, cum qui tibi sunt coniunctißimi, huiusmodi in te sunt animo. Quid hic expectas, nisi ut Rex offensus Demarati libertate, iubeat illum ab oculis suis abduci? Imò quoniam Demarati sermo, ab ira ad saniora consilia uocabat, Rex sese ad eius obiurgationem composuit, positaque ira, Rex rediyt cum suis in gratiam.

Plu. in uita Lycurgi.

Quū Lacedæmoniorum Rex Lycurgus Sysitia, hoc est, quorū suprà mentio facta, conuiuia publica (quibus luxum inuaderet, atq; delitias, diuitiarumq; tolleret admirationem) instituisset. Diuites hoc genus institutionis indignè ferebant, coortique sunt in illum, & non solùm conuitijs insectabātur, uerum etiam saxa in illum iaculabantur, conantes eum lapidare. At cū urgerent persequentes, dilapsus est per forum, ac reliquos quidem fugiens auertit. Alcander aūt pertinacius insequens, fuste, respicienti in tergum, extudit oculum. Hunc Alcandrum cum noxæ deditum, publico decreto accepißet puniendum, nec ullo affecit incommodo, nec incusauit, sed dimissis consuetis ministris, qui sibi famulabantur, illum ministrare iussit. Lycurgo Regi igitur adsistens Alcander, simulq; uiuens, in

pers

perspicienda eius mansuetudine, animi adfectu, & uitæ seueritate, & in perferendis laboribus constantia, ipse mirifico in eum uirum amore est redditus, & ad familiares amicosque dicebat, Lycurgum neque durum, neque elatum eße, sed solum mansuetum, atque aduersus alios mitem. Sic igitur Alcander cruciatus est, & huiusmodi pœnam subijt, ut ex improbo & temerario iuuene, in uirum exactißimum, continentißimumque euaderet. Geminum hic habes exemplum, Alterum admonens, non absque discrimine, mores ciuitatis corruptæ uicijs, ad meliorem frugem reuocari, Alterum insignis tolerantiæ, quæ ex hoste capitali reddidit amicum ac propugnatorem. Quem etiam si necasset, ut ipsi licuit, nihilo tamen minus ipse fuisset luscus, et uno legũ suarum defensore minus habuißet. Cum igitur Ethnici Principes atq; Reges leuiorum etiam hominum, nõ modò iocos, sed etiam longè duriora iocis, tam patienter tulerint, ego nihil ambigo, quin hisce lectis, boni proceres aulici, æquioribus animis sint laturi, si qua fortaßis in hoc libello parum blanda, sed aliena ab omni adulatione legerint, clarorum è monumentis Autorum prolata. Certè neminem ego singulatim, quod scurrarum est, dente Theonino (ut aiunt) corrodere, uel genuino mordere uolui, sed generatim eos, si qui forsitan uicijs essent obnoxij, ad sanio-

Eras. 1. ap.

ra consilia, si modò potuissem, reuocare. Quod opinor ægre feret nemo, nisi, de quo Catonis illud dici poterit: Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

QVORVM INDIES ANte supremum uitæ suæ terminum, Princeps debeat meminisse.



Eminerit in omni uita, nullam ueram gloriam, nullamq; salutem esse repositam, nisi in solo Deo Opt. Max. qui unicum in omnibus afflictionibus asylum, cuius nomen arx munita, ad quam curret iustus, ac defendetur.
Pro.18. Recordabitur omnem carnis concupiscentiam, omnemq; humanæ uitæ fastum ex mundo esse. Ipsum autem cum omni concupiscentia sua mundum periturum. Cogitabit omnem eius gloriam, euanescentem auram, pompam merum fumum, delitias Satanæ casses, principatus onera periculosa. Ipsum de-
1. Ioan. 2. nique hominem, quantumuis nobilem, ac prædiuitem, meram (ut prouerbio dicunt) bullam esse, imò
Iob. 25. terram, cinerem, atque putredinem. Animo igitur præmeditabitur, quid aliquãdo futurus sit, et quòd uelit nolit, longius abesse non possit. Quod si fecerit, nullam facilè (cuius cupiditatem & Ethnici docuere

docuere uitandam) gloriam quæret, sed in id fortiter incumbet, ut inuitum sequatur illa, quæ uirtutis umbra, comes ac præmiũ. Illud aßiduò reuoluet, quod Ecclesiastes inculcat, inquiens: Vanitas uanitatum, & omnia uanitas, quæ sub sole sunt. Quem uersiculum, si saperent, qui in potentia uersantur, in parietibus omnibus, & in uestibus suis scriberẽt in foro, in domo, in ianuis, in ingreßibus, & ante omnia in conscientijs suis, ut semper cum oculis cernerent, tũ corde sentirent. Postremum casu aliquo, uel ægritudine, uel senectute, qui mortis nuncij sunt, ingrauescente, secum reputabit mortem non esse timendam, maxime quam uita bona præcesserit. Intrepidus igitur secum ita loquetur: Quid tibi nouum est? Ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus. Series inuicta, & nulla mutabilis ope, illigat ac trahit cuncta. Quantus te populus præceßit? quantus moriturorum sequetur, quantus comitabitur? O præclarum diem, cum ad illud animarum concilium, cetumq; proficiscar, & ex hac turba, & colluuione discedam. Equidem efferor studio patres nostros (quos colui & dilexi) uidendi. Quo quidem me proficiscentem haud sanè quis facile retraxerit, nêue tanquam pilam retorserit. Quòd si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis uagiam, ualde recusem.

Chryso. homi. 5.

Sene. li. 12. epi. 78.

Ci. de sene.

Quid enim habet hæc uita commodi? quid non potius laboris. Animosa fuit item Demetrij fortißimi uiri uox: Hoc unum, inquit, dij immortales, queri possum, quòd non antè mihi uoluntatem uestram notam fecistis. Prior enim ad ista uenißem, ad quæ nunc uocatus adsum. Vultis liberos sumere, illos uobis offero: uultis aliquam partem corporis, sumite. Non magnam rem promitto, citò totum relinquam. Vultis spiritum, quid ni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis. A uolente feretis, quicquid petieritis. Quid ergo est? maluißem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre, accipere potuistis. Sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur, nisi retinenti. Tantum animi robur cum fuerit in Heroibus Ethnicis, & Christianus Princeps impendente uitæ termino, fortis apparebit, & animosus audebit dicere: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum, in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum.

Sen. de prouid. diui.

QVOMODO PRINCEPS uita defunctos amicos lugere debeat.



Aucis animus tam infractus atque ferreus est, ut non aliquam ex eorũ quos charos habent, interitu cõcipiant ægritudinem, quem luctũ uo

camus

camus. Atqui cum multos occiderit tristitia, et non est utilitas in illa, modū lugendi Princeps faciet, non impotenter, nec inconsolabiliter suorum funera de ploraturus, sed moderatè, preßurus alto corde dolorem, ita ut color eius non mutetur, non agitetur uultus, non artus frigescant. Nihil denique inconsulto naturæ geratur impetu. Quippe muliebres in fletus resolui, & in aniles eiulatus effundi, alienum est à Principis decoro, pueris conueniens, atq; fœminis Ethnicis. Et plus æquo lugere, deplorare, lamentari defunctos, pusillanimitatis est, non hæroicæ uirtutis.

Cic. 4. tus. quæst.

Ecclesi. 38

Ex Senec.

Non mulieres, nec item uiros decet dolori lachrymisq; nimium se dare, sed quantum fas est, resistere, lachrymas leuiter cum opus, sine tumultu, sine clamore, sine ululatu emittere. Nec uti solēt quidam tunicam scindendo, aut puluere caput aspergendo, neu deniq; turpe aliquid, & indecorum admittendo, admitti ab his solitum, qui sine disciplina & modestia res ferunt humanas. Oportet ergo diuino præcepto instructum, ac tanquam muro aliquo inexpugnabili recta ratione munitum esse, tū fortiter atq; constanter harum impetum rationum ab se repellere. Et non quemadmodum in depresso loco, sic in parte humili, atq; abiecta sedentem, tumultus uitæ turbinibus inundantes excipere. Animæ namq; inermis, ac nullam in Deum sperando fir

Basilius magnus de deo grat. agen.

mitatem, atq; robur habentis est, facilè disrumpi, & in rebus aduersis plus æquo cruciari. Sicut enim uermes in lignis mollioribus innascuutur maximè, sic animi anxietates in mollioribus hominũ mentibus oriuntur.

2.Reg 13. Rex Dauid cum audisset interfectum filium Ammon, scidit uestimenta sua, et cecidit super terram. Id factum opinor ex nimia funeris acerbitate atq; truculentia, qua filium à filio crudeliter obtruncatum audierat, ut magis paterni doloris, quàm imitationis uideatur exemplum. Atqui licet plus æquo multi non semel pij luxisse referantur: meminerit tamen Princeps Christianus Christianorum esse, mo-

1 Thes.4. deratè lugere, non quemadmodum ij, qui spem non habent, nec mortuos per Christum resurrecturos

Epist.li.10 epist.7. credunt. Non malè Seneca: Sapiens, inquit, non adfligitur liberorum amißione, nõ amicorum. Eodem enim animo fert illorum mortem, quo suam expectat, Non magis hanc timet, quàm illam dolet. Virtus enim conuenientia constat. Omnia opera eius cum ipsa concordant, & congruunt. Hæc concordia perit, si animus, quem excelsum oportet esse, luctu atque desiderio submitttur. Vnde Galie-

Tre.Pollio nus Imperator, quum Valerianum patrem audisset extinctum, id quod philosophus optimus dixisse fertur: Sciebam me genuisse mortalem, dixit: Sciebam patrem meum esse mortalem. Quid ? quòd

Eth-

Ethnicorum alij luctum inutilem, alij, si nimius esset, etiam ridiculum iudicarint. Quocirca rectè Lycij, quum ijs luctus incidit, muliebrem uestem induunt, ut deformitate cultus commoniti, maturius stultum proijcere mœrorem uelint. Post cladem Cannensem, cum nulla Romæ domus, nulla matrona luctus expers esset, trepidationes atque tumultus, ut inutiles urbe tollendas censuit Q. Fabius Maximus, & Senatusconsulto etiam luctus finitus fuit. Herodes olim Sophista, uxoris Regillæ mortem luxit impotentius, adeò, ut picturas, et ornamenta domus coloribus atraret, uelis pullis tegeret, ac lapide Lesbio obscuraret omnia, Nam is funestus, ac niger est. Quodam igitur die quum Lucius, qui frustra conatus fuerat Herodi persuadere, ut lugeret moderatius, pueros uideret, in fonte ædibus uicino lauantes Rhaphanides, rogabat, cui pararetur ea cœna, qui responderunt: Herodi. Tum Lucius: Iniuriam facit Regillæ, qui albis radiculis uescatur, in atra domo. Quo scommate iocoso, Lucius effecit, ut Herodes ab ædibus suis speciem funestam amoueret, ne uiris sapientibus, ridendi, uulgo traducendi materiam præberet.

Val. 2. c. 1.

Liu. lib. 2. bell. pun. 2.

Era. 8. ap.

ITEM, Philosophus quidam priscus, sed ἀνώνυμος, huiusmodi sermone iocoso, luctum immoderatum Arsinoës Reginæ compescuit. Quum Iu-

piter, inquit, inter dæmones rerum faceret partitionem, Luctus non aderat, sed distributione iam peracta, uenit. Huic igitur, quum Iupiter aliquid honoris tribuere uellet, nec esset, quod daret, quippe iam consumptis omnibus, tandem aßignauit illi honorem, qui mortuis impenditur, ueluti lachrymas & mœrores: Quemadmodum igitur, inquit, cæteri dæmones bene uolunt ijs, à quibus coluntur, itidem & Luctus. Quod si fuerit abs te contemptus, ò mulier, haudquaquam uenturus ad te. Contrà, si diligenter abs te colatur, honoribus illi designatis à Ioue, mœroribus ac lamentis, diliget te, semperq; tibi suppeditabit aliquid earum rerum, quibus abs te perpetuò poßit honorari.

Sagaciter Demonax, qui lugentem quendam inconsolabiliter filij mortem, in tenebris abditum adijt, certò promittens, se filij umbram ab inferis reuocaturum, si tres ex hominum numero sibi nominare poßet, qui nullius luxißent obitum. Cumque in cogitationem per omneis notos circumferens, ne unum quidem reperißet, luctus expertem. Quid igitur, inquit, teipsum discrucias homo, quasi nouum aliquid tibi acciderit?

Eras.8.ap.

Sapienter item Solon, qui quum ex amicis quendam grauiter mœrentem uideret, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subiectorum ædificiorum partes oculos circumferret. Quod ut

Val.lib.7. cap.2.

factum

factum animaduertit, cogita nunc tecum, inquit, quàm multi luctus sub his tectis, & olim fuerint, hodieq; uersentur, insequentibusque seculis sint habitaturi, ac mitte mortalium incommoda, tanquā propria deflere. Qua consolatione demonstrauit, urbes esse cladium humanarum consepta miseranda.

Idem aiebat, si in unum locum cuncti mala sua contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miseriarum aceruo portionē suam ferre mallent. Quo colligebat, oportere neminem plus æquo communia fata lugere, ac quæ patiatur, alijs grauiora iudicare.

QVID IN LIBERORVM, aut amicorum funere Princeps cogitare possit.



ENtium Lex est, quod acceperis, reddere. A Deo liberos accepi, Deo uero parenti reddidi. Ad imitandum mihi proponam opulentum illum Iob, qui licet corde non fuerit adamantinus, nec eius uiscera lapidea, tamen cum ei decem filij, breui temporis spacio, una plaga essent oppreßi, in domo uoluptatis, tempore hilaritatis, Diabolo ipsam commouente habitatio- Ex Basilio magno.

nem, & cum uidisset mensam sanguine conspersam, uidißet filios diuerso quidem tempore procreatos, unum exitum pariter habuiße, non ululauit, non comas euellit, nullam indignam emisit uocem, sed cantabilem illam, & in omnibus laudabilem gratiarũ actionem dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Filij mei habebant, cuius essent magis, quàm mei, apud me precario morabantur. Illi hominem me reliquerunt, induerunt Deum. Reliquere mundana, omnibus fortunæ ludibrijs obnoxia, sortiti iam cœlestia extra omnem fatorum aleam posita regna. Reliquerunt terrenas atque perituras arces, quas ad tempus erant possessuri, hæreditarias receperunt cœlestes, & æternas, ut non χρύσεα χαλκείων, permutarint, sed è contrà, hoc est, ferro posthabito, receperint aurum. Quid igitur habeo, quod cõquerar? In hanc lachrymarum uallem hac conditione sunt ingreßi, ut egrederentur. Nascentibus illis hũc protinus natura finem constituit. Me præcedentes cõfecere, quod mihi conficiendum iter. In portu nauigant illi, nos in procelloso tempestatum estu. Quò tot Principes, Reges, atq; Cæsares transierunt, atque transituri sunt omnes, illi transierunt. Quid est, quod indigner? quid contra expectationem meam euenit? Mortui sunt, quoniam mortales erant, ipse mortalis sum illos insequuturus, in hæc uerba

Sene. de re. fortui.

totus

totus iurauit orbis.

DE MORTE PRINCIPIS.


HEroës Ethnici, qui uentrem habēt Deum, calidis (ut aiunt) balneis detenti, hoc est, mūdana perditi mollicie & prophano luxu, sola terrestria more pecudum amplectentes, cœlestia nihil curantes, solent mortem formidare, metuque illius concidere, neque id mirum, cū uniuersam felicitatem habeant in corpore, quod extingui morte non est dubium. Iure igitur boni sui finem pauidi cogitant, mœsti uident. Et solis ijs mors terribilis, quorum cum uita omnia extinguuntur, non ijs, quorum laus emori non potest. Hoc qui non didicerunt, huius mundi gaudijs absorpti, curant id unum, ut quacunque ratione poterunt, cordibus timorem mortis eximentes, in hoc seculo gloriosi triumphent, in hoc neruos omnes intendunt, ut ubertim suppetat, unde genus omne libidinis foueant, expleantque. Cuius rei gratia solos in oculis ferunt, qui scenæ (quod aiunt) seruire, qui facetijs tempora fallere, qui delitias facere, qui denique rosas loqui, hoc est, uerba gratißima, & rosarum instar amabilia proferre nouerunt. Eos autem delicatuli ferre non poßunt, qui prudentes, humanæ fraglitatis, durorum casuum atq; mortis, uel

Petra. dia. li. 2. di. 117.

Cic. in par.

minimam faciunt mentionem. At quo uita iucun-
Eccle. 41. dior illis, tanto mortis recordatio durat acerbior. Hinc illud: O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti, in substantijs suis uiro quieto. Et rogatus Diogenes ab Adriano Imperatore, quid esset mors, argutè respondit: Mors est incerta peregrinatio, somnus æternus, pauor diuitum.

Atqui Christiani Principes officio suo iustè atq; piè fungentes, longè aliter sentiunt, qui suam in nullas omnino res humanas quantumuis excelsas, felicitatem collocant: sed ueros in cœlo the-
Hebre. 13. sauros, extra omnem hostium iniuriam positos, recondunt. Hi futurum inquirentes regnum, scientes, quòd hic non manentem ciuitatem, sed commorandi, non habitandi diuersorium habeamus: nihil expauescunt mortem, sed oblatam à Deo libenter accipiunt, non malum esse, sed optimum mori iudicantes. Quod Ethnicorum etiam testantur
Plut. in uit. Solonis. historiæ. Cum sacerdotem olim Argiam, ad solenne, ac statum sacrificium, curru uehi ius esset, satis longè ab oppido ad fanum, morarenturq; iumenta, tunc Cleobis & Biton filij, ueste posita, corpora oleo perunxerunt, ipsiq; iugum currus subeuntes, ad Iunonis templum matrem traxerũt, lætam & omnibus ciuibus felicem habitam. Ita sacerdos aduecta in fanum, cum currus esset du-

ctus à filijs, precata deam dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poßit à Deo. Post epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inuentos esse mortuos. Simili precatione Trophonius & Agamedes usi dicuntur, qui cum Apollini Delphis templum exædificassent, uenerantes deum, petierunt mercedem non paruam quidem operis & laboris sui, nihil certi, sed quod optimum. Quibus Appollo se id daturum ostendit, post eius diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti. Iudicauisse deum dicunt, & eum quidem deum, cui reliqui dij cõcesßissent, ut præter cæteros diuinaret, Mortem esse optimum homini. Cic. 1. tusc. quæst.

Fertur etiam de Sileno fabella quædam, qui cum à Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua mißione dedisse scribitur: Docuisse Regem, non nasci optimum esse, proximum autem, quàm primum mori. Cum igitur piorum hominum mors mala non sit, sed Ethnicorum etiam testimonijs optima, tanquam finis laborum, tanquam uictoriæ conseruatio, tanquam uitæ ianua, & perfectæ securitatis ingreßio, boni Principes non timentes mortem libenter audiunt crebram eius mentionem fieri, idq́; duas potißimum propter rationes. Bernh. de trans. Mal.

PRIOR. Ne fragilitatis humanæ nimia sit in prosperis obliuio. Etenim qui fatali quadã felicita Q. Curtius lib. 8.

te

te, successuq; rerum utuntur, insolentes euadere solent, atq; conditionis humanæ prorsum obliuisci iuxta prouerbium, τίκτει κόρος ὕβριν. Hinc Sapiens ille: Diuitias, inquit ne dederis mihi: Tribue tantum uictui meo necessaria, demensum meum suppedita mihi, ne fortè satiatus, illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? Quis Deus? Cuius generis athei multi diuites, qui si Deus potestatem faceret eligendi, terrenam hanc perpetuò colendam, aut cœlestem æterni regni uitam, dubio procul illam, tot licet casibus obnoxiam, huic omnium experti malorum essent multis, ut aiunt, parasangis, præposituri. Contrà, qui fortunæ procellis iactantur, ac in uaria discriminum, atq; morborum genera demerguntur, in sese descendere solent, ac dicere: Mortales sumus, quibus non conuenit superbo turgere fastu. Fragilia nobis sunt corpuscula, quibus non ex iniuria tantum, aut ex potentioribus uiribus denunciabitur dolor, sed ipsæ uoluptates in tormenta uertuntur. Epulæ cruditatem afferunt, Ebrietates neruorũ torrpoẽ tremoremq;, libidines pedum, manuũ, articulorũ omnium deprauationes. Quorum non ignarus solertißimus Rex Macedonum Antigonus, qui à graui morbo, posteaquam conualuerat: Nihilo peius est, inquit, Siquidem hic morbus submonuit nos, ne animo efferamur, quum simus mortales. Quis do

Pro.30. Sene.lib.3. epi.24. Plut.in ap.

cuerat

euerat Ethnicum Regem Philosophiam Christiano dignam animo? Deplorabant amici ceu magnum malum, quòd tam grauiter ægrotasset: ille interpretatus est, ex morbo plus accessisse boni, quã mali. Corpus extenuarat, sed animum reddidit modestiorem: Corporis robori nonnihil detraxerat, sed animo detraxit morbum longè periculosissimum insolentiam, qua correptus non agnoscit, omnium istorum, quos altos incedere uiderit bracteatam esse felicitatem, nec, quantum tenui sub membrana dignitatis, mali iaceat, Quare Chilo Lacedæmonius admonere solebat, rebus secundis elato non applaudendum, nec arridendũ: quòd infelix felicitas sit, quæ hominem reddit insolentiorem, eoq; non plausum mereri, sed lachrymas. Solent nonnulli uiatores, cum amœna fortasse prata in itinere conspiciunt, pergendi moras innectere, & ab accepti itineris rectitudine declinare, eorumq; gressus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo suis pergentibus ad se DOMINVS, huius mundi iter asperum facit, ne dum quisq; uitæ præsentis requie, quasi uiæ amœnitate pascitur, magis eum diu peregre, quàm citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in uia, obliuiscatur, quod desiderabat in patria. Cum autem hæc uita, præterquam quòd multis miserijs exposita sit, nihil durius, nihilq; tristius, quàm quòd mortẽ habeat

Er. 4. apo.

Sene. li. 21. epi. 15.

Diog. lib. 1.

Grego. lib. 23. moral.

Diog. li. 1.

habeat certißimam, diem mortis incertißimum: uigilandum est omnibus, ne mors incautos opprimat. Ad hoc autem conditor noster latere non uoluit finem nostrum, diemq; nostræ mortis esse incognitum, ut dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur: & tanto quisq; sit feruentior in operatione, quanto incertior est de uocatione: ut dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus uenire. Ergo cum incertum sit, quo loco nos expectet, illam omni loco expectemus oportet, maximè cum uita nostra sit dubia, uita cæca, uita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exiccant, aër morbidat, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristiciæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactãt, paupertas deijcit, iuuentus extollit, adolescentia profundit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, tot enim hostibus indies oppugnantur mortales. Prudens in bello Princeps uigilare solet aßiduò, & prouidere diligenter, ne quid corpori præter spem accidat. Sed cum animus longè præstantior corpore, multo magis in uita (quæ mystica super terram militia) prospiciendum est, ne præcipitetur in discrimen animus. Cui cum insidiæ fiant multo plures à fortuna prospera, quàm aduersa, maximæ cuique fortunæ minimè

Gre.mora. lib.12.

Sene.epist. lib.3.

Aug. super illud Iaco. Quæ enim est uita no.

Liui.li.10. sec. be. pũ.

nimè credendum erit. Calamitas enim occasio uirtutis est, ut inquit Seneca, sed peccatorum nimia blandientis fortunæ prosperitas, obliuio mortis, & æternæ uitæ contemptus. Virtutis igitur præmia feret, qui rebus in aduersis, non abiecerit animum, sed potius coëgerit eum secum esse, hoc est, abductum à rebus corporeis animum assuefecerit indies conditionis suæ meminisse, corpus autem benè mori. Et secernere animum à corpore, nequaquam aliud est, quàm mori discere, quare hoc commentemur, disiungamusque nos à corporibus, id est, consuescamus mori, ne uitæ præsentis occæcati præstigijs, ruamus in interitum, à quo mortis crebra meditatio liberat. Quare semper cogitemus mortem, ut eam non timeamus, aut illius immemores, peccemus. Scriptum est: In omnibus meditare nouißima tua, & in æternum non peccabis. Item: Memento mortis tuæ, & non peccabis. Qui se quotidie meditatur moriturum, contemnit præsentia, & festinat ad futura.

Cic. 1. tusc. quæst.

Sene. ep. 4

Ecclesi. 7.

Hieron. ad Ciprianum

Et nihil profectò tam æquè nobis fuerit, ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quicquid facies, respice ad mortem. Cuius rei gratia olim in diuitum epulis apud Aegyptios unus quispiam cadauer ligneum, sed quàm proximè ad

Sene. ep. 1. epi. ult.

uerum

uerum effictum ostendit singulis, dicens: In hunc intuens, pota, & oblecta te, talis post mortem futurus: quo admonebantur, ut moderatius fruerentur uoluptatibus, conditionis suæ memores. Ita quondam Ethnici non semper (ut hodie delicati quidam aulici diuites) iucundas, & applausibiles res audire uoluerunt, sed etiam tristeis, ut à nimia uiuendi licentia reuocarentur ad modestiam,

Ex oratione funebri Sueuica.

Eadem ratione commotus prudentißimus Imperator Maximilianus Cæsar, anno quinto priusquam diem obiret ultimum, in maximis Imperij & regnorum negocijs sarcophagum sibi construi curauit. Etenim cum palatium amplißimum in Inspruck regio oppido Tirolis fabricaretur, atq; nonnihil erroris artifices commisißent, ad Matthæum (quem seniorem appellabant) qui primus inter eos qui cubiculo regio præ erant, secretius in aurem susurrans, dixit: Nihil hi faciunt, quod mihi gratum sit. Ego domum mihi construam placituram, eaq; die Sarcophagum, cum omni, quæ mortuo ad sepeliendum necessaria suppellectili, parari iußit: & clanculò quidem, ne ad hominum ostentationem, aut simulatam religionem, id factum uideretur. Quod secretißimè apud se quinque illis annis, ubicunq; locorum esset, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, quã diligentißimè singulis noctibus semper conserua-

uit

uit, ac reponi iußit. Arbitrabantur quidam homines, etiam quibus rerum magnarum demandata fuerat cura, thesaurum aliquem illic detineri ac conseruari. Alij nonnihil librorum, quibus historiæ ueteres continerentur. Alij aliud magni quippiam eo deferri atq; custodiri. Cæsar uerò sibi conscius, in quem secum deferret usum, ut semper hilaris erat, subridendo in rei cuiusdam sibi omnium charißimæ usum, id secum deferri dicebat. Sic aßiduò mortem ante oculos sibi reposuit, ac dies atq; noctes sepulchrum sibi adesse uoluit, ut perpetua mortis recordatio eximeret cordi uanum huius mundi fastum, sanctas autem cogitationes infunderet.

IDEM adhuc uiuus iusserat, ut suum cadauer, à cunctis, cuiuscunq;, ac quantumuis infimæ sortis hominibus conspici permitteretur, ut uel suo exemplo discerent cogitarentq;, cuiuscunq; status forent, sese mortales esse, nec ulla diademata, nullas opes, regna, & imperia, à morte hominem præseruare posse.

ITEM, Barbari Thraces ideo sapientes prædicantur, quòd memores miseriarum humanarum, flebiliter celebrare fuerint soliti natales hominũ, exequias cum hilariate: præuiderunt conditionis suæ habitum, & quod mirum, sine ullis doctorum præceptis. Fragilitatis item humanæ ac mortis Solin. capt. 17.

(quæ rapit omnia) consideratio compulit in lachrymas, & ne nimium superbus ferociret, compescuit Xerxen illum magnum potentißimumq; regem? Qui cum de sublimi loco uidisset uniuersum Hellespontum nauibus suis constratum, omniaq; littora atq; Abydenorum plana hominibus referta, iactauit se beatũ, moxq; fudit lachrymas. Tam subitam mutationem admiratus Artabanus Regis patruus, qui dissuaserat eam expeditionem, ausus est rogare causam. Tum Xerxes: Subijt, inquit, animum meum cogitatio, quàm breuis sit hominum uita, quando ex tam numerosa multitudine, post annum centesimum, nemo super futurus est. Sed si possemus super talem ascendere speculam, de qua uniuersam terram sub pedibus cerneremus, iam tibi ostenderem totius mundi ruinas, gentes gentibus, reges regibus, regna regnis collisa: Alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in seruitutem trahi. Hic nuptias, ibi planctum, illos nasci, istos mori. Alios affluere diuitijs, alios mendicare. Et non tantum Xerxis exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc uiuunt, in breui spacio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, & quasi è cœlo descendentes paulisper nostra uideamus. Sentis obsecro te, quando infans? quando puer?

Vale. li. 9. cap. 13. Er. 5. apo.

Hieron. ad Heliodo.

et quando senex factus sis?

Quotidie morimur, quotidie commutamur: & tamen æternos nos esse credimus. At uita nostra nauiganti similis est. Is enim qui nauigat, stet, sedeat, iaceat, uadatq́;, semper impulsu nauis ducitur. Sic & nos sumus. Quia siue dormientes, siue uigilantes: siue iacentes, siue ambulantes: siue uolentes, siue nolentes, per momenta temporum quotidie ducimur ad finem. Grego. in Registro.

Huc qui uitæ suæ rationes omnes benè contulerit, is beatus mortem expectare, & intrepidus audet arripere, dicens: Prò dij immortales, quàm optabiliter iter illud iucundum esse debet; quo confecto, nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura est. Sed hodie pleriq; cogitationibus mollißimis effœminati, senem ullum Aesopicum imitamur: Cic. 1. tusc. quæst.

Qui lignorum fascem super humeros ex nemore portans, cum longa uia defessus esset, fasce humi deposito, mortem uocauit. Ecce mors aduenit, & caussam, quamobrem se uocauerit, rogat. Tunc Senex: Vt hunc lignorum fascem super humeros mihi imponeres, ait. Quæ fabula significat, quòd quisque huius uitæ, licet mille periculis subiectæ, sit auidior, ac terrenarum rerum amantior, quàm ut per mortem calamitatis terminum, cupiat ad æterna regna perduci. Sed tamen quocunque ingredimur, sequitur mors, corpus ut umbra. Cato.

ALTERA, Ne per mortis obliuionem ingruens inopia moriendi (quæ in uiro sapiente turpißima) neceßitas, uenturæ mortis horrorem alat, pauorem exaugeat, & rem, ut prouerbio dicitur, ad restim redire compellat: sed potius, ut præmeditatio mortis eximat, aut minuat de illa cõceptam opinionem mali, quam ægritudinem aliqui uocant. Hanc Cyrenaici non omni malo fieri censebant, sed insperato tantum & inopinato, quod non mediocre ad augendam ægritudinem incitamentum. Omnia enim repentina, & improuisa grauiora sunt. Sed præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum aduentum, quæ uenientia longe antè uideris. Ergo quoniam multum potest prouisio, & præparatio ad minuendum dolorem, omnia humana Principi sint meditata. Et nimirum hæc est illa præstans, & diuina sapientia, & perceptas penitus, & pertractatas humanas res habere, nihil admirari cum acciderit, nihil antè quàm aduenerit, non euenire posse arbitrari. Sed unde tantus homini metus? unde tantum mortis odium? Ex sola mortis impræmeditatione, quam mollicies animorum fouet, ac tanta uoluptatis enutrit indulgentia, Vnde fieri uidemus, ut magna pars mortalium ipsum nomen (ut suprà dixi) mortis exhorreat. Quod quid est aliud, quàm naturam propriam horrere, atque id odisse,

Cic. 3. tusc. quæst.

Petra. dial. li. 2. dia. 118

se, quod natus sis? quo nihil inter homines stultius, nihil ingratius in Deum. Quàm multi nomen illud ægrè audiunt, quod semper internam aurem pulsare debuerat, nempe sine quo non est, qui seipsum cogitare poßit. Quid nanque se cogitet, nisi quòd est animal mortale? Quoties in se quisque reflectitur, nonne sibi illico nomen mortis occurrit? Sed refugimus, quasi per aurem mors irrumpat, & auertimus animum, atque id cogimus obliuisci, quod mox sui memoriam, uel inuitis ingeret. Recusamus ecce mortem cogitare, quam confestim & cogitare oportebit, & pati, cuius passio facilius sequeretur, si cogitatio præceßisset. Nunc simul in angustijs altera alteram exasperat. Omne enim inopinum, ac subitum animam quatit. Quod ne fiat, bonus Princeps libenter mortis recordatur, cum id præsentißimum contra omnes carnis atque superbiæ motus remedium existat. Nam qui mortis aßiduò memores, non facile rebus humanis elati cornua tollent, sed quid natura sint reputando, uigilabunt atque cauebunt ne quando corda eorum grauentur crapula, & curis huius seculi, subitusq; ingruat dies ille, &c. Lucæ 21.

Adnitentur in cœlo magis quàm in terra, thesauros esse reponendos, ubi nulla tinea, nulla corrumpat ærugo, nec hostis rapiat ullus. Hinc ad Cæsarem Iustinianum scribens Agapetus: Digni-

tatum, inquit, splendores mors haud reformidat, omnibus enim uoraces suos dentes infigit. Ergo ante illius ineluctabilem aduentum, opum copiam transportemus in cœlum. Nemo enim quæ colligit in mundo, illuc profectus adducit, sed omnibus in terra derelictis, nudus de uita sua reddit rationem, imò de quocunque quod fuerit locutus, ocioso uerbo. Hæc cuius animo tenaciter hæserint, uitam instituent ita, ne mors eam mala subsequi possit: Plerumq; autem mala est, quam mala uita præcessit. At non potest malè mori, qui benè uixit. Namsi quis nos roget, utrúm ne mors sit bonum an malum? respondebimus, qualitatem eius ex uitæ ratione pendere. Nam sicut uita ipsa bonum est, cum uirtute uiuitur, malum, si cum scelere: Ita & mors ex præteritis uitæ actibus ponderanda est. Aequißimo igitur animo sapientißimus quisque moritur, stultißimus iniquißimo, cum sua turpitudine nimis horridum & inauspicatum fecerint hi, quod uirtutibus illi placidum atque beatum. Sapienter Antisthenes Atheniensis rogatus, quid apud homines beatißimum esset, respondit: felicem mori. Quare cum utilißima sit recordatio mortis, ipsaq; per se beatißima, boni Principes, ultrò (ut aiunt) citroqúe uerba de morte gaudebunt facere, atque ita mortalem hanc uitam exigere, ut ad æternam peruenire mereantur. Quod omnibus

Augu. de doctrina Christia.
Lactan. li. 3. cap. 19.
Ci. de sene.
Diog. li. 5.

bus

bus magistratum gerentibus, simul ac subditis eueniat, Amen.

DE SEPVLTVRA Principis.



Aria fuit apud Ethnicos sepulturæ superstitio: Aegyptij condiebant mortuos, eosq; domi seruabant. Persæ cera circumlitos, cōdebant, ut quàm maximè permanerent diuturna corpora. Magorum mos erat, non humare corpora, nisi à feris antea fuissent laniata. In Hircania publicos canes alebat plebs, optimates domesticos, quibus deuorarentur mortui, eamq; optimam censebant sepulturam. Apud Christianos item nonnullos magna superstitio durat. Alibi sumptuoso nimis apparatu, qui nihil aliud, quàm prophanum luxum, atque superbas opes ostentat, mortui sepeliuntur. Alibi sacris ædibus ipsis preciosiora monumenta, oculos hominum in se conuertunt. Alibi magnifici sub terra fornices, in quibus pensilia Mausoleis superbiora sepulchra coruscant. Alibi cum cadaueribus, tot aromatum, gemmarum, annulorum & uestituum preciosarum genera, defodiuntur, quorum supra terras usus, multos diu pauperes Cic. 1. tusc. quæst.

refocillare posset. Laudanda Maximiliani Cæsaris modestia, qui moriturus inhibuit, ne præter cõmunem hominũ sepeliendi consuetudinem sibi pompa fieret exequialis. Et balsamo noluit condi, cum tamen Principibus Germaniæ, maximè autem Austriæ, id fuerit consuetum atque commune. Sepultus igitur in oppido Vuelss Austriæ, honorifico magis, quàm apparatu nimium glorioso. Quippe si D. Bernhardus non tam uaniorem, quàm insaniorem uanitatem uanitatum appellat: quòd ecclesia fulgeat in parietibus, sed egeat in pauperibus: quòd lapides auro sint induti, sed Ecclesiæ filij nudi deserantur: quòd deniq; de sumptibus egenorum seruiatur oculis diuitum, multò magis opes in prodigiosam funerũ, aut sarcophagorum magnificentiam nostra tempestate profusas, uanitatem uanitatum appellasset. Certè pompa funebris honorifica Principem Christianũ non deceret, ac nitidior sepulturæ locus, sed dedecet plus æquo superbus apparatus, inanis profusio rerum, & fastuosa diuitiarũ ostentatio: Abrahã à filijs Heth emit agrum cum duplici spelunca, ut suos ibi mortuos honorificè conderet, ubi Sarã sepeliens honore magis pio prosequebatur, quã diuitiarum, quibus affluebat, luxu: luxu, inquã, Ethnicis etiã sapientioribus detestato. Apud illos enim, ne sepulchrorũ amplitudo mediocritatis terminum excederet, sancitum erat,

Ex oratione funebri Sueuica.

Bernhar. in apolget.

Gene. 25.

Cic. de le. 2

rat, ne quis ſepulchrum faceret operoſius, quàm quod decem homines effecerint triduo. Neque id opere tectorio exornari, nec hermas eos, quos uocant, licebat imponi, nec è lapide excitari plus, nec addi, quàm quod caperet inciſam mortui laudem, ne plus quatuor Heroicis, quos Ennius longos appellauit, uerſibus. Et Demetrius ſepulchris nouis finiuit modum, ac nimios eorum ſumptus non pœna ſolum minuit, ſed etiam tempore ante lucem iuſsit efferri, præfecto huic procurationi magiſtratu. Lycurgus item ſepulchrorum ſuperſtitionem ſuſtulit, mandauitq́;, ne quid unà cum cadaueribus ſepeliretur, præter puniceam ueſtem, & oliuæ folia, in quibus æquè omnes cadauera ſepeliebant. At hodie uideas alicubi, non operæ triduanæ ſepulchralem ſtructuram, ſed menſium plurimorum, atq; ſumptuum operoſiſsima lithoſtrata, nec breuioris ſpacij lapidem, aut expenſæ mediocris tumbã, ſed tot bracteatorum titulorum, tot armorum, tot inſignium latiſsimè diffuſorum capacia monumenta ſaxea, uel inaurata ſculptilia. Et quorum aui monumentis humilioribus, Chriſtianos decentibus, contenti fuerunt, modò nepotes affectare ſuperbiſsima hominum ocioſorum oculos inani ſpectaculo magis paſcentia, quàm pauperũ adflictorum animos conſolantia. Quorum immemores multi nimis anxij, & ſuperſtitioſe ſoliciti ſunt, quomodo ſepelian-

tur, ac per quos efferantur. Hos ridiculos argu-it illud Diogenis, qui rogatus, quomodo se uellet sepeliri, iußit cadauer abijci. Tum amici: Volucribus ne & feris? Minimè uerò, inquit: sed bacillum prope me, quo illos abigam, ponite. Quibus præcipuè taxasse uidetur id sepulturæ genus, in quod uana curiositas hominum profundit opes non paucas: non ut inde uiuentes aut mortui fructum ullum sentiant, sed quò luxuriosius fastus mundanam aucupetur gloriam.

Qum igitur (ut suprà dictum) mediocritas uirtutum omnium sit optima, Christianus Princeps ullius gloriæ nouæ titulum ibi non quæret, ubi locus, & humanæ fragilitatis conditio monent, admirationem rerum caducarum eximendam esse, cœlestium autem et æternarum animis insigendam.

FINIS.

ELENCHVS CAPITVM huius Libri.

Mao

que

De


Qua

FINIS.

FRANCOFORTI APVD
Christianum Egenolpum.
Anno
M. D. XLI.

Principē dc̄re subcē legibus
C. de Aulica Familia 117. 8. 9.
It. C. de Pricipib. Coniugio 104. 10.
It 111. It 120 It. cap. 177.
ibi: de alia Fuciennoy[?]
Praeceptori recto committendus puer c. 124
Qui sint ad Magistratus admittendi: 146

Strawiona rdeiz, abo poze marmonan[?]
largitionibus expensum, profusum, exhaustum,
decoctum, absumptum.
De Principis peregrinae 179 ibi Postremoy
Ebrietatis reprehensione 191.
Clementiā Principis debet p. subditis 207
et 70. 80. 223. 237. 284. 290.



lex de
exauit
āuē o
uixerū
dicauit
douit
uāus tr
ullas
pulctu
landa
ū sue
ma cu
lucan
dthas
stal
xx



